



Brandeis University
Library




*As for the wise, their
body alone perishes in
this world* – Rashi

Problem Sheet
1909.

4/

10³³



PHILOSOPHIÆ
LEIBNITIANÆ
ET
WOLFIANÆ
V S V S
IN
THEOLOGIA,
PER
PRÆCIPVA FIDEI CAPITA.
TOMVS PRIMVS.

PRÆMITTITVR
DISSERTATIO
DE
RATIONE ET REVELATIONE,
NATVRA ET GRATIA.
AVCTORE
ISRAELE THEOPH. CANZIO,
LOG. & METAPH. PROF. P. O. IN VNI-
VERS. TVBING.

FRANCOVRTI & LIPSIAE,
IN OFFICINA BERGERIANA.
A. MDCCXXXIX.

Khare
Banks
3/7/70
C3
v. 1

DEO.
ECCLESIAE.
ORBI. LITTERARIO.
BONISQUE. OMNIBVS.
SACR.

193861



PRÆFATIO.

Sisto tibi , beneuole lector !
philosophiæ Leibnitianæ &
Wolfianæ vsum in theolo-
gia. Quod institutum si
mecum adprobaueris ; grates me de-
bere profiteor : sin minus , non est,
cur tibi succenseam , qui pro tua con-
scientia non minus hoc scriptum da-
mnas , quam ego quidem pro mea il-
lud ipsum emittendum esse duxi ; cum
interim solus Deus arbiter conscientiæ,
& rectius informatæ , & minus instru-
ctæ , existat.

Consilium , vt intelligis , eo per-
tinet , vt huius doctrinæ innocentia
pariter ac incredibilis in sanctissima di-
sciplina publice cognoscatur vtilitas.

At enim, inquis, *num baridi fuerunt, qui ante hos novos homines docebant? num sapientia omnis nata cum his ac demortua est? Quis immenso fastu inflatus (*)* hæc talia sibi arroget? Gigantes antiquos iudico, quorum humeris recentiores suffulti longius prospiciunt, quam illi prægrandes, quibus gloria cedunt. Non enim virorum magnorum laudes perspicaciæ gradu, sed adminiculorum sui temporis copia, ac opportunitate metimur, quæ quo vehementius minuitur, eo maior illis parata est gloria: ut vel Euclidis exemplo constat, cuius scientiam & mediocres hodie mathematici superant, gloriam vero ne æquant quidem summi.

Forte & alia dubitatio tenet animum ancipitem. *Si veteres philosophiæ huius placitis poterant præclare carere, & ignorare, quæcunque nunc adeo extolluntur; certe & nobis ea nescire in theologiæ studio versantibus licet.* Quæ cum religione connexa sunt quocunque modo, tamdiu possunt salva veritate ignorari, quamdiu nondum distincte & per partes sunt euoluta: sufficit enim interea generalis & minus determinata

)(3

eorum

eorum cognitio ; at quamprimum no-
 ua in iis lux exoritur , vt ex generali
 doctrina specialior euadat , maiorque
 existat rerum explicatio : ignorari qui-
 dem ea recens inuenta possunt , inco-
 lumi manente veritate ; negari autem
 absque detrimento non possunt. Idem
 hic iudicium ferendum puto , quod alias
 theologi de quibusdam fidei capitibus,
 plus minus a fundamento remotis,
 item de eruditis , qui ante & post na-
 tas in ecclesia controuersias vixerunt,
 pronuntiant. Ante Lutherum v. g.
 quis patribus non ignoscat paulo ne-
 gligentius de iustificatione cogitanti-
 bus ; simul vero atque in isthac mate-
 ria vberiores explicationum radii emi-
 cuerunt , negari non potest , nec de-
 bet , quod antehac tuto ignorari pote-
 rat. *Εἰσι διαίρεσεις χαιροματων* I. Cor.
 XII. 4. *non respectu solum singularum per-
 sonarum , sed & integrorum temporum.*

Methodus a me illa cooptata est,
 quam plerumque theologi sequuntur,
 non geometrica , sed *cumulatiua* , qua
 materæ cognatæ in certas digeruntur
 classes. Etiam si enim alteram alteri
 pro re nata præitare non ignorem :
 tamen

PRÆFATIO.

tamen vt hanc anteponerem illi , & instituti ratio , & seculi genius poscebat. Vt meditationis seriem grata respirandi mora distinguerem ; paragraphis passim quædam , data occasione , interferui ex historia litteraria , cuius studio nihil dulcius , nihil ad demulcendos meditationis profundæ impatientes animos adcommodatius existit. Indulgendum id igitur erat genio auctoris. Inter ea , quæ singulari ratione exposui , eminent v. g. doctrinæ de *libertate* , *omnipræsentiâ Christi* , *iustificatione* , *satisfactione* , *prædestinatione* &c. Quas vt beneuolus lector a capite ad calcem patienter & cum cura expendat , enixe rogo.

Stilum potuissim comtiores exhibere , imo reuera exhibuissim in alia occasione , nisi ea cura attentionem , maxime hoc libro necessariam , minuisset. Quæ tamen sermonis præcipua virtus est , *perspicuitatem* videlicet phrasium dictionumque adeo non neglexi , vt , quantum per ipsas doctrinas fieri potuit , plurimum in ea posuerim operæ. De modestia , qua fui vsus , dicere nihil adinet : eius enim negle-

P R Æ F A T I O .

Ætus vituperium quidem contrahere; obseruatio vero laudem conciliare nullam potest, cum eam adhibendo fecerim, quod necessarii est officii.

Ceterum finire licet breuem hanc antecessionem verbis Ioach. Langii, de republica litteraria præclare meriti, contraria licet sentientis, in *noua anatom. system. Wolfiani* p. 7. *Hæc sunt, quæ in philosophia Leibnitiana probe expensa deprehendi: id quod nunc denuo coram DEO cordium scrutatore & totius generis humani iudice, & simul coram ecclesia euangelica, ac uniuerso eruditorum ordine non sine plerophoria publice profiteor ac contestor.*

(*) Huius fastus recentioris philosophiæ asseclas coarguit excellent. dn. Walther in *der Philosophischen Bigotterie* p. 6. & alibi. Sed nouit vir doctissimus, quemque suos pati manes. Nescio, cur vir eruditus sub finem citati scripti epistolæ Parisiis in Germaniam missæ mentionem faciat, cuius quædam fragmenta talia dedit: *Wolfius, mathematicus Marpurgensis, tanti non sit a Iesuitis Gallis, ac ipse gloriatur. Vidi ego nuper epistolam, a Iesuita celebri Coloniensi P. des Bosses ad Tourneminiū datam, in qua hæc subiicit verba, postquam de argumentis, quæ Wolfius reiicit,*
disserne-

PRÆFATIO.

differuerat : si cela ne convaincra Ms. Wolf, je lui dirai, qu'il ne fera jamais voir, qu'il n'est pas athée lui-même. Quis Parisiis in Germaniam hanc epistolam miserit? equidem præclare noui, quia eius auctor, nimirum *Danica legationis apud Gallie regem præco* mecum ea de re collocutus est, haud obscure præ se ferens, visam a se epistolam patris *des Bosses* in Gallia, communicatam a patre Tourneminio : at perspectum quoque & exploratum habeo ex testimoniis authenticis, *negare Iesuitam Coloniensem, a se exaratas unquam tales litteras.* Interest igitur honoris, ut dominus *Walther* ostendat, immerito se a patre citato *criminis falsi* postulari. Ceterum in explicanda superstitione philosophica multa solide & eleganter dixit clarissimus *Walther*, licet in characterum adplicatione fuerit paulo infeliciores : puto enim, longe alia *subiecta*, in quæ illi cadant, posse substitui. Ex scripto etiam præsentis iudicabit lector, *num Leibnitium Wolfius atheum faciat?* quæ iniquissima nonnullorum obtrectatio fuit, qua Parisienses trahere in partes cupiebant.



INDEX CAPITVM E T A R G V M E N T O R V M DISCVRSVS PRÆLIMINARIS.

Cap. I.

De harmonia rationis & reuelationis.

| | |
|---------------------------------------|--------|
| R ationes pro isthac harmonia. | pag. 6 |
| Soluuntur dubia Bælii & Huetii. | p. 11 |

C. II. *Discurs. prælim.*

De vsu rationis in theologia.

| | |
|---|-------|
| De ratione <i>subiective</i> spectata : vbi agitur de theologia impii. | p. 29 |
| De ratione <i>obiective</i> considerata. | p. 41 |

Cap. III.

De natura & gratia.

| | |
|--|-------|
| Quomodo omnis actio iudicanda? | p. 55 |
| De officiis erga DEVM, <i>quid in iis naturæ & gratiæ sit?</i> | p. 61 |
| De officiis erga alios quosuis. | p. 64 |
| De officiis erga se ipsum. | p. 77 |
| In singulis enumerantur naturæ & gratiæ gradus, alii aliis sublimiores. De so- cialitate christiana. | p. 79 |

TRACT.

I N D E X.

TRACT. CAP. I.

Se&ctio I.

Expenduntur recentiores DEI definitio-
nes, enarratis, quæ hinc inde disce-
ptata fuerunt in partem vtramque. p. 84

Ostenditur vsus definitionum in proban-
dis DEI virtutibus. p. 96

Vbi varia illustrantur ad rem facientia.

Se&ctio II.

De existentia DEI.

Recensentur dubia aduersus argumentum
de contingentia mota. p. 108

Vna cum responsionibus ad ea datis. loc. cit.

Commonstratur triplex vsus philosophiæ
Leibnitianæ in probanda DEI existen-
tia, isque omnino singularis, & huic
disciplinæ proprius. p. 120

Se&ctio III.

De infinita DEI natura.

Examinantur argumenta veterum pro hac
veritate. p. 142

Eademque suppleantur ex recentiorum
doctrinis. p. 145

Se&ctio IV.

Quod DEVS sit vnicus.

Examinantur argumenta pro hac veri-
tate. p. 151

Suppleantur ex Leibnitii doctrinis. p. 156

Se&ctio

INDEX.

Sectio V.

De DEI sanctitate.

| | |
|---|--------|
| Vbi exhibetur eius vera notio. | p. 160 |
| Vsus notionis in euertendo absolutismo. | p. 162 |
| In aliis fidei capitibus. | p. 165 |

Cap. II.

De S. scriptura.

| | |
|--|--------|
| Vsus principii de suffic. rat. in stabilienda scripturæ auctoritate & confutanda pontificis. | p. 166 |
| De interpretatione scripturæ ex doctrinis recentiorum. | p. 177 |
| Demonstrantur canones hermeneutici ex notionibus eorundem. | p. 179 |
| Difficultas interpretandi. | p. 182 |
| Tollitur per princip. suffic. ration. | p. 184 |
| De analogia scripturæ & fidei ex mente recentiorum. | p. 189 |
| Cuius datur exemplum. | p. 191 |

Cap. III.

De creatione.

| | |
|---|--------|
| Quod sine princip. suffic. ration. creatio ex nihilo probari nequeat. | p. 194 |
| Examinantur argumenta eorum, qui prin- cipium hoc distincte non vserunt. | p. 198 |
| Probatur creatio ex nihilo. | p. 202 |
| Aliud ratiocinium. | p. 203 |
| Mundus non fuit ab æterno. | p. 208 |
| An sine ratione præpollente conditus? | p. 211 |
| Confirmatur decisio aduersus dubia. | p. 212 |

Cap.

I N D E X.

Cap. IV.

De homine.

| | |
|---|--------|
| Quod anima sit materiæ expers contra hodiernos materialistas. | p. 228 |
| De libertate. | p. 248 |
| De immortalitate animæ. | p. 259 |

Cap. V.

De peccato originali.

| | |
|--|--------|
| An concupiscentia sit positivi quidpiam? | p. 275 |
| De actionibus gentium. | p. 288 |
| Traduntur & alia, videnda suo loco. | |

Cap. VI.

De prouidentia & mali permissione.

| | |
|--|--------|
| Patrum de permissione mali sententia resolui debent in Leibnitii decisionem. | p. 292 |
| Argumentum decretorium pro sententia Leibnitii. | p. 303 |

Cap. VII.

De omnipræsentia carnis Christi.

| | |
|--------------------------|--------|
| Quid sit esse præsentem? | p. 309 |
| Quid sit omnipræsentia? | p. 318 |
| Quid sit corpus? | p. 328 |
| & alia complura. | |

Cap. VIII.

De satisfactione.

| | |
|---|--------|
| De satisfactionis necessitate. | p. 340 |
| De eiusdem perfectione contra Arminianos. | p. 356 |
| Cap. | |

I N D E X.

Cap. IX.

De prædestinatione.

- An sit absoluta? p. 363
An Leibnitius supralapsarius? p. 405

Cap. X.

De iustificatione.

- An DEVM possimus demereri? p. 421
An aliena nobis imputetur iustitia? p. 432

Cap. XI.

De lege diuina.

- Num ius naturæ lex, an consilium? p. 435
Num a decreto DEI iustitia omnis pen-
deat? p. 443
An detur lex positua vniuersalis? p. 470

Cap. XII.

De lege ceremoniali.

- De ceremoniis in V. T. p. 484
De ceremoniis in N. T. p. 489

Cap. XIII.

De conuersione.

- An ad eam nos quidquam conferamus? p. 495
An ei possint mortales obluçtari? p. 496

Cap. XIV.

De vita & morte.

- De vita corporis, animæ, & suppositi. p. 498
De vita animali, carnali, spiritali &c. p. 502

Plura quidem in quibusuis capitibus tractantur; sed indici huic omnia, quo minus inferantur, angustia paginæ prohibet.



C. D.

DISCURSUS PRÆLIMINARIS

DE

RATIONIS CVM REVELA-
TIONE HARMONIA LEGITIMO-
QVE EIVSDEM IN THEOLO-
GIA VSV.

CAPVT I.

*De harmonia rationis cum reue-
latione.*

§. I.

Qui de philosophiæ recentioris in *Introitus.*
theologia vsu verba nunc facturus
sum, haud inepte forsan fecero,
cum prius dixero quædam de ratio-
nis cum cœlesti doctrina confor-
mitate, pariter ac vsu in eadem, non contemnen-
lo, subiunctis quibusdam, quæ ad naturæ gra-
iæque operationum discrimen pertinent, obser-
vationibus. Tria id institutum capita sistet, quæ
mnino præsentis discursui & posse & debere præ-
mitti videntur.

A

§. 2.

§. 2.

*Diuisio
capitulum.*

Primum caput, idque præfens, nonnulla de rationis cum reuelatione conformitate exhibebit. Duos præternavigare scopulos, euitato vtrinque naufragii periculo, hoc opus, hic labor est. Inter duos errores, e diametro sibi inuicem oppositos, mediam inuenire veritatem, non minorem profecto, æqualem certe, vel & ampliorem requirit peritiam. Eo nunc contendendum nobis est, conatune duntaxat inani, an euentu, qui respondeat, felici, penes lectorem beneuolum iudicium esto.

§. 3.

*Diuor-
tium sen-
tentia-
rum.*

Sunt nimirum, qui rationis, & philosophiæ imperium, eo vsque propagatum cuperent, vt vel ipsa S. Scriptura ad eam tanquam legem normamque exigeretur, nihil probaturi, quod cum rationis axiomatibus non consentit: (1) Sunt vero vicissim, qui contrariam ineuntes viam, rationem veluti mysteriis DEI iniquam, carpunt, damnant, proscribunt, & profus eam commercii cum theologia nihil habere volunt, quocunque tandem consideretur modo. (2) *Medio tutissimus ibis.* Cui autem celeberrimus auctor Bayle classi sit adscribendus, difficile est pronuntiari. Iam enim a ratione reuelationi insuperabiles posse obiici difficultates affirmat, iam autem ex aduerso fidei, licet profligatæ, triumphum se ambabus largiri siue falso, siue vere contendit. (3)

(1) Huc pertinent primo Sociniani, & qui propius ab ipsis absunt, ex Arminianis nonnulli; v.g. laruatus ille Liberius de S. amore in epistolis theologicis, qui ex theo-

theologia cuncta pene mysteria exesse iubet p. 25. seqq. cuius sententiam forsan intra tangemus. Sunt porro huic numero addendi, infamis Spinoza in tractatu rheologico-politico de libertate cogitandi: Antonius Collinus, recentior scriptor, qui de eadem cogitandi libertate commentatus est Gallico scripto: nec non Io. Tolandus in libro, quo christianam disciplinam mysterii expertem esse probare voluit. Aliquantum ab his, non multum tamen, differunt, qui philosophorum sectas veterum cum scriptura S. conciliare student, etsi finem consequi nequeant, eius verba detorquent, mentemque corrumpunt. Vid. Budd. observat. de syncretismo philosoph. tom. III. obseru. 12. seqq. p. 218. Nec prætereundus medicus Amstelodam. Ludou. Meier, qui auctor esse perhibetur exercitationis paradoxæ: *philosophia scripturæ interpret.* vid. Henrici Ludolph. Benthemii *Kirchenstaat Hollands*, P. II. C. II. §. 5. p. 60. Wolfius Manich. ante Manichæismum p. 358. In ea quoque peruersa sententia est Chauvinus, de religione naturali, quem confutauit Buddeus in parerg. p. 509. item Lockius in scripto anglice edito, quod titulum hunc præ se fert de *rationabilitate*. Scripta eristica gallice edidit Clericus anno 1703. in 8. &c. &c. supersunt innumera, quæ non addam.

(2) Notissimum est, philosophos a Tertulliano hæreticorum patriarchas vocitatos fuisse, de quo effato Adami Rechenbergii exstat dissertatio. Accusatur & a Romanensibus Lutherus, quod philosophiam damnauerit omnem. vid. Heumanni acta philosoph. P. X. num. III. p. 579. Fanaticos autem potissimum in hanc sententiam, quæ philosophiæ usum proscribit, eamque theologiæ aduersam esse docet, iuisse, notius est, quam ut a me heic enarrari debeat. Poireti enim v. g. liber, qui inscribitur *fides & ratio collata*, testis eius rei esse potest: namque in eo ita refutauit Lockium, ut in contrarium incurreret errorem. Historiam certaminis Hofmanniani Helmstadix recenset præter alios Io. Hermann ab Elsvvich de varia Aristotelis in scholis protestantium fortuna. §. XXVII. p. 76.

(3) Nolo certi quid definire; nec enim id possum, licet me non fugiat, esse, qui malis suspicionibus auctorem

onerent, contententes, id eum egisse, vt sacras litteras, rationi quippe, vt putabat, aduersas, conculcasset. Vid. Budd. Isagog. theolog. histor. p. 235. a. qui in eo secutus est aduersarios Bælii Iacquelotium ceterosque.

§. 4.

*Definitio
rationis.*

Exprompturi igitur nostram sententiam, a definitione *rationis* exordiendum esse arbitramur. *Placet enim, quoniam omnis disputatio de rationis cum theologia conformitate futura est, ante definire, quid sit ratio? omnis enim, quæ suscipitur de aliqua re institutio, debet a definitione proficisci, vt intelligatur, quid sit id, de quo disputetur.* (4) Rationem licebit cum ill. Leibnitio describere *per connexionem veritatum.* (5) Causam facti ipse vir celeberrimus indicauit. (6) Etiam si enim viri docti nonnulla contra definitionem isthanc monuerint; (7) non ea tamen videntur esse tanti, vt nos ab eadem iure dimoueant. Si quæ ab aliis rationis vocabulo comprehenduntur, quibus præfens rationis definitio ad commodari nequit: tum nec ad ea nobis adplicare constitutum est, id, quod hisce paginis pro rationis vsu, demonstrare, in animum induximus. Simplex v. gr. quam vocant, notio, inter primas rationis operationes collocatur. *At enim nexus veritatum titulo ornari non potest.* Sit ita sane! parum aut nihil id derogat tractationi, quam meditatur, nunc iam secutura. Liceat igitur philosophorum iure vti, quorum institutis (8) definitiones nominales arbitrariæ esse solent.

(4) Verba sunt Ciceronis de offic. L. I. c. I. §. I. ex ed. Rottli.

(5) Vid.

- (5) Vid. discursus theodicæ Leibnitii præmiss. §. 1. *Ratio est veritatum nexus.*
- (6) Causam, quare complures vocis definitionem mirentur, hanc esse dicitur illustris scriptor, quoniam, quibus paradoxa videatur, homines nunquam conversati sunt cum viris, qui distincte suam de ratione mentem exposuerint. loco citato. §. 1. Theod.
- (7) Walchius in lexic. philosoph. sub artic. *Vernunft*. definitionem hoc argumento oppugnat: *Wir müssen dieses auch von der Beschreibung des Herrn Wolfens sagen, der in Metaph. §. 368. schreibt: Die Einsicht, so wir in den Zusammenhang der Wahrheit haben, heißt Vernunft. Denn es giebt noch andere Wirkungen, die man der Vernunft zuschreiben muß, auch zuzuschreiben pfeget.* Qui plura rationis voce complectuntur, latius accipiunt eandem, quam recentiores, qui suorum nominum potestates adcuratius & arctius circumscribentes, ea ipsa aliter adpellant, quæ ceteri sub rationis vocabulo innuunt, quæ pro veritatum nexu haberi non possunt. Non litigabimus de vocabulis.
- (8) Vid. Clerici logic. P. II. cap. 12. §. 2. 3. 4. Non quærimus enim, *inquit*, quo sensu alii utantur voce quæpiam; sed quis futurus sit apud nos eius usus, exponimus. Igitur primo definitionem significationis, quam voci cuiquam tribuere constituimus, prorsus pendere ex arbitrio nostro observabimus. Licet enim nobis sono, qui per se nihil significat, prout libet, ideam annectere &c. &c.

§. 5.

Rationis vocabulum cum alia, atque alia, pro discursus varietate, significet, idque nunc indicet facultatem hominis, nunc doctrinas a lumine perfectas naturali, queis homo imbui, & ad veritatis scientiam formari debet: perspicuum est, par esse, ut parumper inflectatur Leibnitii definitio. Primo enim sensu ratio (subjective ut barbare loquuntur) accepta, *perspicientia est nexus verita-*

*Diversa
vocis
acceptio.*

tum: Altero autem significato recte per *veritatis nexum*, mea quidem tenui sententia, explicari potest. Vtroque modo nunquam corrupta, nunquam deprauata, dummodo talis reuera sit, qualis hoc loco describitur, esse solet. (9) Qui corruptam accusant, alio eos vocabulum sensu adhibere, indubium est.

(9) Vbi reuera non perspicitur veritatis nexus, ibi nec locum ratio habet. Omnes igitur errores, præiudicia imprimis aduersus sacram concepta scripturam, non rationis, accurate loquendo, titulo insigniuntur, sed abusum potius rationis iuxta recentiorum placita inuunt. Vid. disput. prof. Tubing. Weisnanni in locum ad Coloif. II, 8.

§. 6.

*Status
contro-
uersiæ.*

Primæ igitur quæstionis de conformitate fidei cum ratione, cardo in hoc vertitur: non, *an summa, eademque infinita DEI ratio, seu veri perspicientia suprema, nexum dogmatum, per naturam cognitorum, cernat cum theologia?* id enim penes omnes litigantes vtrinque partes extra controuersiæ aleam positum est: neque porro id agitur, ut disceptetur, *num sola ratione adiuti, exactam philosophicarum doctrinarum cum theologia mysteriis harmoniam ostendere, το πως, seu, quomodo? utriusque generis placita cohæreant, distinctius exponere queant?* Hoc enim pacto religionis mysteria explicari possent: id est, desinerent esse mysteria, quod nemo dixerit temere: Sed id potissimum quæritur: *nunquid philosophia sententias inculcet, firmissima demonstratione roboratas, quæ propositiones exhibeant, scri-
pturæ*

pturæ effatis e diametro oppositas? (10) id porro disquiritur, an fieri non possit, vt, qui sacra theologiæ arcana tuetur, respondens, sophismata obiectorum ratiociniorum commonstret, & intentatam inter vtramque disciplinam pugnx suspensionem amoliat? posteriorem nos quæstionem affirmandam; priorem autem pernegandam esse arbitramur, reclamante Bælio, aliisque, qui vel palam cum eo faciunt, vel clandestina tacitaque cogitatione.

(10) Vid. discursus theod. Leibnitii præmiss. §. 60.

§. 7.

Nimirum etiamsi a nobis vtrorumque dogmatum, & ad fidem & ad philosophiam pertinentium consensus, per partes, plena enarratione commonstrari nequeat: tamen nec aduersarii probare eorum pugnam possunt, longe subsistentibus rationis rectæ decretis, infra religionis mysteriorum sublimitatem, haudquaquam vero iisdem repugnantibus. (11) Quæstione sic formata, non alienum erit indicare, quibus eam rationibus fulcire, qualibusque argumentis, istam firmare liceat?

Declaratio ulterior.

(11) Vid. discursus Leibnit. theod. præmiss. §. 73. qui quo magis, inquit, a perspicuitate dogma quoduis recedit, eo difficilius est peruestigare axiomata, ex quibus formari rationes in contrarium possent. Imo si vel maxime aduersarius thesini eiusmodi inuenerit a ratione profectam; tamen plurimum negotii faceffet, ostendenda eius thesios aduersus mysteria reuelationis pugna.

§. 8.

Quodsi ratio fidei aduersa foret: tum quædam philosophiæ theses inuicta demonstratione

Rationes pro conformitate fidei & nixæ rationis.

nixæ inimicis veluti cornibus confligerent cum theologiæ capitibus: possent igitur duæ theses, sibi mutuo contradicentes, esse simul veræ. Atqui hoc prima omnis humanæ diuinæque cognitionis (12) fundamenta penitus euerteret. Fieri igitur non potest, vt veritas a ratione profecta, contraria sit vlli reuelationis articulo.

(12) Vid. iterum disc. Leibnit. theod. præmiss. §. 3. cuius mentem breuioribus heic verbis complectar. Aut ea, quæ a ratione possunt reuelationis dogmatibus obuerti, inuicta demonstratione nituntur, aut non. Si prius: veritas veritati erit contraria: nam quicquid demonstratione fundatur certa, veritas est æterna, nulli obnoxia dispensationi. Si posterius autem eueniat: probabilis tantum est rationis reuelationi opposita obiectio. Atqui eius generis argumenta nihil aduersus fidem proficiunt. Quis enim nescit, reuelationem omni verisimilitudine iuperiorem esse?

§. 9.

*Secunda
ratio.*

Excipit hoc argumentum aliud quoddam non minoris, me arbitro, roboris. Quælibet veritas a DEO est. Intellectum enim DEI immensam veritatum cunctarum regionem veneramus. Nemo forsân de eo dubitat: liceat id tantisper nondum plene demonstratum præstruere. Est vero, quicquid a DEO proficiscitur, amicissima contemperatum harmonia, nullus heic hiatus, (13) nulla lacuna, nullus ergo relinquatur locus suspicandi, quod vlla in quocunque genere veritas alteri contradicat. Aquam aquæ (simili enim quominus rem arduam illustremus, quid obstat?) non vt ignem repugnare, sed insinuari facillime, ipso condocemur vsu; quamuis altera cælo velut

lut immediate depluat, altera autem ex fonte hauriatur subterraneo. Surroga, si placet, in locum aquæ pluuiæ scripturæ placita diuinitus inspirata; in vices vero aquæ, ex scaturiginibus telluris haustæ, veritates per naturam notas: non deerit similitudinem adplicandi procliuitas.

(13) Vid. dedicatio Syrbii, quam institutionibus philosophiæ primæ, nouæ & eclecticæ præmisit, vbi haud obscure fatetur, quod summa religionis sit & rationis consensus, saluo tamen vtriusque discrimine, & alterutrius insigni prærogatiua. Plura lege in discursu eius anonymi, qui in germ. linguam transtulit theodicæam Leibnitii. §. 44. operi huic subiuncto.

§. 10.

Addere licet rationem tertiam. Sensuum in religionis causa haud plane nullum subsidium est. Quicquid sacræ circa Messæ munia tabulæ docent, id secundum sui partem maximam ex eorundem testimonio pendet. (14) Quem autem fugit, rationem facultatem esse, a sensibus incoactam? Rerum enim singularium, a sensibus repræsentatarum, similitudines obseruat ratio, detegit nexus, iudicat, pronuntiat, exque iis nouas elicit veritates. Quæ omnia si reuelationi aduersari, vel saltem ex parte repugnare possunt, profecto nec fides tuta sensibus tribuitur, quorum occasione se ratio exercere cœpit. Quam vero id periculosum sit dictu, nemo vel obiter sacrarum litterarum peritus ignorat. (15) Nisi forte fuerit, ut cum Dan. Huetio omnem sensibus fidem denegare, & ima credibilitatis, quæ in reuelatione inest, fundamenta laxare in animum induxeris tuum.

*Tertia
ratio.*

A §

Certe

Certe si naturalis facultatis cogitatio te mouet, ut fidem inter rationemque, comminiscaris pugnam: cur non eodem argumento ductus sensuum testimonia, pro religione facientia, damnas? quin etenim facultates naturales sint, nemo mortalium negauit vnquam (16)

(14) Vid. I. Io. I, 1. 2. *Das da von Anfang war, das wir gehört haben, das wir gesehen haben mit unsern Augen, das wir beschauet haben, und unsere Hände betastet haben, vom Wort des Lebens &c. &c.*

(15) Innuo Huetii opus posthumum sub. tit. *Traité philosophique de la foiblesse de l'esprit humain.* quod & germanice versum a quodam Wirtemberga M. Grossio, quem & Stolle citat in supplement. ad historiam litterariam, professus, se non in omnibus cum auctore Grossio facere.

(16) Loquor de sensibus a natura tributis, de quibus questio est, imo vero esse debet. Non de sensibus, quos vocant spirituales, ingeneratis per spiritus diuini efficaciam, in animis piorum semet exferentem. Multa de sensuum distinctione internorum, externorumque, rectene an secus? alii iudicent, Poiretus tradidit, in libello, qui inscribitur: *Fides & ratio collata* p. 41. seqq.

§. 11.

*Distinctio
inter id,
quod supra
&
contrarationem.*

Quemadmodum ratio nostro sensu accepta, nunquam ei, quod diuinitus reuelatum est, aduersatur: ita tamen non semper eius sublimitatem æquat. Quamuis enim ratio sit perspicientia nexus veritatum naturalis: nihilo secius tamen vel acutissima præditus ratione non animaduertet vnquam, quo veritates naturales modo cum reuelatis cohæreant? Id exploratum esse probaui, quod alteræ alteris non contradicant: qui autem utræque connectantur, (17) a mortalium nemine, theologo quantumuis consummatissimo, peruideri potest.

potest. Eo mens theologorum spectat, inter *id, quod supra & contrarationem est*, communiter distinguentium. Quicquid connectitur cum veritatibus exploratissimis, quæ philosophiam excolentibus, vel & naturali mentis capacitate videntibus patent, id *rationi consentaneum* adpellatur: quotquot autem propositiones, veritati aliunde iam demonstratæ, non in speciem, sed reuera contradicunt, isthæ *contra rationem* esse dicuntur. Sin autem nonnullæ propositiones, cum veritatibus natura cognitis non combinari videantur, (18) neque vero etiam iisdem repugnent, ex sublimiori nimirum origine pendent, tum *rationem illa superantes* ad altius forum referri debent.

(17) Vid. discurs. supra citat. germanic. §. 47. distinctionem hanc omnis ferme theologorum cohors adprobat, vt eorum testimonia allegare superuacuum foret.

(18) Dixi consulto *videantur*. etiamsi enim nobis, in hac mortali vita constitutis, naturalium veritatum cum reuelatis nexus haudquaquam fit perspicuus; comitante mortales, vel pientissimos, nunquam non intelligendi debilitatis umbra: nullum tamen dubium est, quin Deus nexum illum intelligat, imo spes affulget, teste Paulo, I. Cor. XIII, 9. 10. fore, vt, quæ hiatibus varie interstincta videntur, tandem aliquando ab intellectu, cœlesti gloria vestiendo, sint combinanda aptissime; vt de mysteriis plenissimam & cohærentem simus impetraturi notitiam, saluo tamen Dei & cœlitum discrimine: neque enim aut angeli, aut cœlestes animi, omnia intelligunt distinctissime. vid. discursus Leibnit. theod. præmiss. §. 23.

§. 12.

Sed nunc animum subit, quod contra doctrinam, tanto firmatam præsidio, vastæ magnitudinis eruditione conspicuus Goliath Bayle molitus est.

Num

*Dubia
Balii.*

Num reuera ille, rationis aduersus fidem dubia tantopere extollendo, reuelationis ea omnia spernentis triumphum augere, illustrioremque præstare? an vero simulata pietate aliud agere, fideique rationi obsistere impotis vanitatem vel nihil tale cogitantibus obtrudere voluerit? decidere heic nihil atinet; DEus est solus *καθ' ἑωυτωνος*. Audiamus argumenta eius non omnia, sed ex grauissimis quædam. Displicet Baylio, quam inter id, *quod supra, & contra rationem est*, explicauimus, differentia, eamque oppugnat sequenti discursu, a me in compendium mittendo. *Distinctionem inter id, quod est contra (19) & supra rationem in ambiguitate vocis (ratio) positam; aut enim per eam denotari rationem generatim eandemque supremam; tum nec contra eam, nec supra eam mysteria fidei esse posita: aut vero significari concrete rationem in hominibus spectatam; tum ne sic quidem illam consistere differentiam: neque enim rationem suorum dogmatum cum fidei mysteriis conformitatem perspectam habere, eaque propter videri sacra illa rationi opposita.*

(19) Vid. discursus Leibnit. theod. præmiss. §. 63.

§. 13.

Responsa.

Argumenti autem consequentia hiatu laborat. Quodsi enim vel maxime mortales solo rationis, imo vero & reuelationis lumine adiuti nunquam philosophicarum sententiarum cum mysteriis harmoniam cognoscunt, haudquaquam tamen documento id est, quod reuelatio rationi, aut vicissim, aduersetur. Qui enim harmoniam

vtro-

utrorumque dogmatum non pernoscunt, intelligunt tamen pugnam ab utrisque abesse. Id quod ad tuendam distinctionem omnino sufficit. Placuit anonymi cuiusdam pro illustranda responsione ad commodatum exemplum. (20) Fingamus amissos esse Euclidis elementorum geom. libros posteriores, superstite duntaxat primo. Fac quæso, præterea beneu. lector! in manibus nostris versari quasdam Archimedis propositiones, sed sine demonstratione; Nunquid re sic nata, deficiente propositionum intermediarum, quæ intelligendis Archimedeis enuntiationibus inseruiunt, catena serieque, harum ideas animo formare, aut fundamenta concipere liceret? Minime vero! veruntamen ex aduersa parte nemo sine temeritatis nota Archimedeas istas propositiones contradictionis argueret. De similibus simile esto iudicium. Contende, si lubet, rationis placita cum Euclidis, articulos autem fidei sublimiores cum Archimedis propositionibus. Si Euclideorum theorematum eo, quem finxi, casu, cum Archimedeis nexus non ostendi, nec tamen etiam pugna doceri potest: profecto philosophicarum doctrinarum cum theologiæ capitibus deficiente nexu & consensu, a mortalibus peruestigabili, non continuo arguitur pugna, aut a contradictionibus exorta dissensio.

(20) Auctor discursus sæpe citati german. de luminis naturæ cum scriptura conuenientia. §. 44.

§. 14.

Dubium omne nihil aliud est (21) quam *Confirmatur ulterius.*
argumentum, cuius conclusio nostræ thesi aduersatur.

facur. Inuictum autem argumentum illud adpellatur, quod in demonstratione certissima poni solet. Nec suppetit alia explorandæ demonstrationis via, quam vt syllogismus, demonstrandi vi pollens, secundum omnes sui partes examinetur, excutiaturque & forma eius & materia. Quodcunque igitur dogma inuictis premitur dubiis, illud erroris loco iure habetur: aliter enim veritas veritati contradiceret, quod prorsus absurdum. Indicium namque veritatis est demonstratio; insuperabile vero dubium a demonstratione hæud differt. Quæ si igitur veritati dubium tale obstiterit, demonstratio, id est veritas obstiterit: duæ igitur propositæ omnes sibi contradicentes simul veræ esse possunt, quod, quam absurdum sit, dici vix potest.

(21) Vid. discursus theod. Leibnit. præmiss. §. 25.

§. 15-

*Aliud
Bælii
dubium.*

Dulcius ex ipso fonte bibuntur aquæ. Deriuabimus Bælianos discursus non ex aliorum scriptis, sed ex ipsius auctoris eruditissimo libro. *Mysteria, inquit, (22) euangelii sunt ordinis naturam supergredientis, non subiicienda examini regularum rationis. Non sunt tradita eo consilio, vt in specimina disputationum philosophicarum transformarentur: id enim nec eorum præstantia permittit nec sublimitas. Sacrarum rerum huius generis non fert natura, vt in conflictu disputandi victoriam reportent. Essentialis earum character est, fide obsequiosa credi, nec exponi scientia. Desinerent esse mysteria, id quod sunt, si ratio difficultates eisdem obuersas e medio tollere quiret.*

Tantum

Tantum igitur abest, ut reprehensionem mereatur, quisquis contendit, philosophicis oppugnationibus non posse oblucri fidem, ut potius is bene animatos offendat, quicumque id in dubium vocare, affirmato contrario, audeat.

(22) *Damus hic verba Bælii ipsa ex ejus dictionaire edit. de Basle t. IV. p. 621. in eclarcissement sur les Manicheens. Ce qui faut conclure de cela est, que les mysteres de l'evangile etant d'un ordre surnaturel ne peuvent point, & ne doivent point être assujetis aux regles de la lumiere naturelle. Ils ne sont pas faits pour être à l'épreuve des disputes philosophiques: leur grandeur, leur sublimité ne leur permet pas de la subir. Il seroit contre la nature des choses qu'ils sortissent victorieux d'un tel combat: leur caractere essentiel est d'être un objet de foi, & non pas un objet de science. Ils ne seroient plus des mysteres, si la raison en pouvoit resoudre toutes les difficultez, & ainsi au lieu de trouver etrange que quelcun avoue que la philosophie peut les attaquer, mais non pas repousser l'attaque, on devroit se scandaliser si quelcun disoit le contraire.*

§. 16.

Sunt bona mixta malis, conuoluta erroribus veritas. Non esse eo consilio mysteria nobis tradita, ut in philosophicarum dissertationum specimina transformarentur, vnanimi profiteamur omnes ore: at a vero alienum est, in disputandi conflictu non posse, qui mysteria defendit, respondentem reportare victoriam. Nunquam respondens obstringitur ad explicandam, quam tuetur, thesin. Satisfecit officio, si alterutram præmissarum negauerit, vel & liberalitate ductus, (23) limitauerit. Opponentis contra est, negatas propositiones eo usque probare, donec cum evidentissimis veritatibus cohærere intelli-

Responsio.

celligantur. Atqui fieri nullo pacto potest, ut evidentissima rationis doctrina e diametro fidei mysteriis contradicat, quod supra probatum est. *Essentialis quidem sacrorum character est, fidei credi; nec exponi scientia.* Sin hæc verba de specialis mysteriorum modi explicatione capias, non refragabor; at id non officit meæ causæ: sin id velis, non posse certissima scientia peruideri, an contradicat reuelationi philosophia, nec nego te audiendum.

(23) Vid. discursus theod. præmiss. §. 73.

§. 17.

*Aliud
Bælii
dubium.*

Omisit hoc Bælii dubium Leibnitius, quod hic inferendum putavi, aliud continuo, pariter a viro illustri prætermissum, subiuncturus. (24) *Spiritus, inquit, disputandi minime ad probatum videtur in œconomia euangelii. Christus doctrina, quam diuinitus acceperat, prædicata fidei obsequium protinus commendat: Sequere me, & seruaberis. Atqui ea, quam requirebat fides, non impetrabatur longo rationum examine: erat enim Dei donum a solo profectum diuino Spiritu, nemini nisi ignorantibus largiendum. - - Quoties Iesus Christus & apostoli ad disputandum semet accinxerunt, querebant doctrinæ fundamenta in libris prophetarum, in perpetratis portentis, neutiquam sane in lumine naturali. Quod si Paulus argumento contra ethnicos ad hominem usus est, diu eidem non institit. Methodus apostolica, quanta, quanta fuit, a philosophorum ratione docendi discrepabat. Hi enim ostentabant dogmata euidencia, systema undiquaque connexum,*

&

Et se obstrictos reddebant, de iis, quæ inculcabant, satisfaciendi uniuerso mundo. At id contra fiebat penes apostolos. Haud obscure Paulus præ se fert suam doctrinam obscuram, cui perfectius cognoscenda vel ipsemet impar sit. I. Cor. XIII. 12. Addit vir diuus, nil sacrarum rerum intelligi posse, nisi DEVS ingeneret cœlestem discernendi facultatem. I. Cor. II. 14.

(24) Vid. dictionaire To. IV. in éclaircissement sur les Manichéens p. 621. verba hæc sunt: L'esprit de dispute est la chose, qui paroisse la moins aprouvée dans l'économie évangélique. Iesus Christ ordonne d'abord la foi, & la soumission. Sui moi, croi & tu seras sauvé. Or cette foi qu'il exigeoit, ne s'aqueroit point par une suite des discussions philosophiques, & par de grands raisonnemens: c' étoit un don de Dieu, c' étoit une pure grace du saint Esprit, & qui ne tomboit pour l'ordinaire que sur des personnes ignorantes - - Si Iesus Christ & ses apôtres sont descendus quelquefois au raisonnement, ils n'ont point cherché leurs preuves dans la lumière naturelle, mais dans les livres des prophètes, & dans les miracles, & si quelquefois saint Paul s'est prévalu de quelque argument ad hominem contre les gentils, il n'y a guere insisté. Sa methode étoit entièrement différente de celle des philosophes. Ceux - ci se vantent d'auoir des principes si evidens, & un système si bien lié - - & ils s'exposent à rendre raison de leur doctrine à tout le monde. Saint Paul au contraire reconnoît, que sa doctrine est obscure, qu'il ne la fait qu'imparfaitement. &c.

§. 18.

Plura heic a quæstionis momento abluunt: pauca merentur responsionem. Sospitatore, proposita euangelii dæctrina, fidei commendatione nil prius habuisse, nil antiquius, mirum non est. Docebat enim populum, maxima ex parte rudem,

Responsio.

B

qui

qui studia haudquaquam professus, longum religionis examen suscipere non poterat. Verum enimvero, (25) quin alii, laboribus quotidianæ vitæ inferuentibus vacui, rationum, pro veritate fidei facientium, pondera examinare aut debuerint, aut potuerint, dubitandum non est. Hinc mandatum explorandi omnia I. Theff. V. hinc exempla eorum, qui apostolicos sermones ad amissim sacrarum litterarum exegerunt: Actor. XVI. peruulgatum est Lydiæ exemplum. Quid? quod ipsi patres ecclesiæ, in acie contra ethnicos stantes, ad rationem naturalem prouocauerint, superstitionum idololatricarum vanitatem ostensuri? Nonne id argumento est, vanam istam religionem esse, cui recta ratio repugnat? Quod si est: fateatis oportet, ostendi debere & posse, non aduersam rationi fidem esse, nec hanc quidquam absurdi, aut a ratione alieni continere: concedas, oportet: religionem posse & debere rigorosissimum examen subire eorum, queis a laboribus vacat, tum vt exploretur, an religio cum sacris tabulis conspiret, tum vero etiam, vt inuestigetur, doceatne absurdi quiddam, quod rationi dissentaneum sit, nec ne? Ceterum, quod ad examen accedere debeat diuina vis Spiritus, qua mens ad assentiendum arcano dulcique instinctu inclinatur flectaturque, veritas est indubia, quam nobis inculcando a disceptationis momento Bælius discessit.

(25) Celeberrimus ecclesiæ doctor Origenes similia fere docet in libr. adu. Celsum L. I. c. 2. Concedit viam examinis omnibus commendandam fore, si per negotiorum quidem, queis alimenta paranda sint, occupationes,

tionēs, a curis his omnibus liceret esse liberis. Nunc cum præsentis vitæ necessitas aliud postulet: quid quæso rudibus aliud commendari potest, quam simplex & obsequiosa fides? Non dissuasō tamen, (vt pontificii solent) quantum per labores fieri potest, examine rerum sacrarum tali, quod certa proportione negotiis respondeat.

§. 19.

Mittimus nunc præsentem aduersarium, reliquis quippe armis a Leibnitio spoliatum ita, vt actum ageret, qui litem satis peroratam suscipere renouandam. Oculis nunc obuersatur alius quispiam ratiocinandi facultatis inimicus, qui eo consilio, si quisquam alius, dubitandi artem ad supremum euexit fastigium. Non dissimulo, me innuere Huetium, cuius de infirmitate intellectus libellum posthumum paulo ante citauī. Omnem hic auctor mouet lapidem, vt incerta omnia ostendat, lectoribusque persuadeat, a sola fide firmati in scientiis animi præsidium petendum esse. Quo consilio id quidem fuerit factitatum? ignoro. Quo euentu? coniiicio. Quo veritatis vniuersæ periculo? prorsus peruideo. Dabimus quædam eius argumenta (26) Prouocat primo eruditissimus Gallus ad complura sacrarum litterarum testimonia Eccles. VIII. 16. 17. Sap. IX. 15. seqq. Eccles. III. 10. 22. I. Cor. I. 19. c. III. 19. Col. I. 8. ad Constantini imperatoris orat. ad coet. sanct. c. 8. &c. Quibus documentis omnibus nihil aliud declaratur, quam homines imbecillitate intelligendi laborare, non præditos cuncta distinctissime cognoscendi facultate, pauca distincte, multa clare, infinita obscure tantum sibi repræ-

*Aliud
Huetii
dubium.*

Responsio.

sentare. Paucis: oracula isthæc recte examinata significant, plurimum interesse inter nostram DEI-que supremi rerum cognitionem: est enim hæc instar Oceani, ex quo mortalium hausta guttæ cuiusdam perexiguæ similitudinem induit. Quid hisce sanius? quid verius dici posset? nunquid vero ex eo consequitur, (27) incerta omnia, lubrica, vana esse? Minime vero! *non* (28) *enim esse debemus ii, quorum vagetur animus errore, nec habeat unquam, quid sequatur. Quæ enim esset ista mens, vel quæ vita potius, non modo disputandi, sed viuendi ratione sublata? Nos igitur, ut ceteri omnia incerta esse dicunt, sic, ab his dissentientes, alia certa, alia incerta, alia probabilia esse contendimus.*

(26) Vid. traité philosophique de la foiblesse de l'esprit hum. chap. 2.

(27) De diuinæ humanæque cognitionis differentia si ex professo viri iudicio pollentes scriberent, nullus dubito, fore, vt Huetiana scepticismum promouendi cupiditas radicitus euelleretur.

(28) Verba sunt Cic. de offic. L. II. c.2. §. 11. ed. Roth.

§. 20.

Secundum
Huetii
dubium.

Sequitur nunc (29) nouum Huetii ratiocinium, speciosissimo tinctum colore, quod me iudice nemo solidius confutauerit, quam qui ardua Idealistarum, quos vocant, castra expugnandi facultate polluerit. (30) Ita vero ille: *quis est, qui affirmare audeat, speciem illam, quæ ex corporibus, in sensum incurrentibus, emanat, veram obiecti similitudinem referre? Qua arte, qua industria intellectus meus, qui de imaginis oblata obiectique similitudine indicare debet, ideam*

ideam illam cum re externa comparare & contendere potest? Siquidem amba extra intellectum collocatae sunt; neque enim imago isthac detineri, nec considerari diutius potest. - Nos abutimur voce similitudinis, quoties v. gr. statuam quandam suo exemplari non absimilem esse dicitamus. Agitur enim de vera perfecta que similitudine, qua non representare solum debet externam rerum figuram, magnitudinem, colorem, sed & depingere omnes corporis conditiones partesque internas, ex quibus componitur. Cui representandi modo, si vel tantillum defuerit, eo respectu dissimilitudo orietur. Atque species v. g. arboris, qua animus subit nostrum, plurimum differt ab arbore, qua extra nos ponitur, ipsa. Arbor enim est conspicua, immobilis, solida; species vero & imago eius in mente, mobilis, perexigua, fluxa &c. Si vel maxime vera perfecta que ex rebus ad nosmet imagines tenderent: verendum tamen est, ne spatium intermedium, quod ipsis est emetiendum, imagines interpolet, mutet, adulteretque. Capiamus exemplum a calore, qui nunc vesperti inclinante ad crepusculum die, nunc interdiu pleno solis lumine cernitur, comprobatur experientia, vesperti spectatum aliter adparere, quam sub meridiem. Cogitemus etiam colorem, solis lumine collustratum, qui flammæ ardentis fulgore illuminatus alio tempore veluti diversus nobis offertur &c.

(29) Lege hæc verba in libro Huetii citat. chap. 3. p. 34. seqq. Qui est ce, qui osera dire, que l'image, ou ombre, ou espece, qui s'ecoule de ce corps exterieur, qui se presente a nous, est sa veritable ressemblance, sans aucune difference &c. Verba non sum κατὰ ποδᾶ

secutus, sensum potius expressi, ac, vbi opus videbatur, additis vocabulis quibusdam declaravi.

(30) Facio igitur cum ill. Bilfingero, qui in diluc. de DEO, anima, mundo §. 48. *Difficilius, inquit, est refutare idealistas, quam primo videri intuitu solet. Saltem ex sensatione ductum argumentum non probat immediate. Puto autem, id probare, si cum aliis huius systematis sententiis combinetur. Id non exhibeo, ut & ceteris liberum sit, suas contra idealismum vires experiri.*

§. 21.

Responsio.

Hi sunt fructus philosophiæ Cartesianæ, quæ sensibus fidem (31) denegans ad veracitatem DEI, velut ad sacram ancoram, confugere solet. (32) Non improbo penitus isthanc philosophiam, quæ multa tradidit egregia, (33) minus tamen sufficientem esse eam, existimo cum viris doctis. Dubia enim grauißima opponendo sibi ipsi, cum rectam soluendi viam non inueniret, optatam scepticis occasionem præbuit, quadrata miscendi rotundis, omnemque labefactandi veritatem. Neque tamen admiratione indignum est, quod Huetius ex Cartesii pharetra sagittas depromat, quem episcopum fuisse eruditionis & pietatis laude florentem, toto litteratorum orbe peruulgatum est. (34) Sed his ratiociniis occurrendum erit. Ac primo quidem, quod res inter, nobis obuersantes, imaginemque earum, qua mens nostra afficitur, non possit plane nulla esse similitudo, ex principio sufficientis rationis, non, quod fatemur vltro, ex sensuum actione, qui circa rerum phænomena occupati sunt, (35) intelligitur. DEVS enim, qui voluit, vt certos in corpore nostro a sensuum obiectis excitatos motus idea
mentis

mentis hæc aut alia sequatur, (36) decreuit id fieri non sine ratione: *aliter enim quiddam existeret absque ratione*, quod contra axioma pugnat. Quodsi igitur ratio DEVM mouerit, quare hunc præcise corporis motum comitem esse voluerit huius nec alterius ideæ: profecto non plane nulla similitudo inter imaginem rei, remque ipsam, in mente depictam, intercedit. Ratio enim illa DEI, ex obiecto petita, qualemcunque imaginis & rei repræsentatæ conuenientiam indicat. Nec sufficit, æquipollentem DEI voluntatem, nulla ratione motam, cum Cartesianis, qui arbitrarias essentias fingunt, allegare. Quæritur enim subinde, cur DEVS hunc *determinate* motum cum hac mentis idea constanti decreto sociatum voluerit? ipsam voluntatem DEI pro ratione citare, est idem per idem probare, & fundamenta erroneæ de arbitrariis essentiis sententiæ iacere. (37)

(31) Vid. Cartesii princip. & quidem meditat. prim. p. 5. *Nempe quicquid hætenus ut maxime verum admisi, a sensibus accepi. Hos autem interdum fallere deprehendi. At prudentiæ est, nunquam illis confidere, qui nos vel semel deceperunt &c. Sed forsitan quamuis sensus circa minuta quedam & remotiora fallant, pleraque tamen alia sunt, de quibus dubitari plane non potest; ut me iam hic esse, foco assidere &c. Manus enim has totumque corpus meum esse, qua ratione posset regari? nisi me insanis comparem, qui aliquando constanter asseuerant, se esse reges, cum sint pauperrimi, purpura inuanti, cum sint nudi. Praclare sane, tanquam non sim homo, qui soleam noctu dormire, & ea omnia in somnis pati, vel interdum etiam minus verisimilia, quam isti vigilantes &c. Atqui nunc certe vigilantibus oculis intueor hanc chartam: quasi scilicet non recorder, a similibus etiam cogitationibus me alias in somnis fuisse delusum &c.*

- (32) Vid. annotationes Wolfii in suam metaph. §. 20. ubi propter hanc causam Cartesium notat. Adde quod Malebranche in Entretiens sur la metaphysique Cartesii sententiam illustraturus reuelationis cuiusdam genus effinxit, quo sensus adeo fallaces, audiendos tamen esse erudiamur.
- (33) Consentit Leibnitii iudicium. Vid. Recueil des diverses piéces sur la philosoph. math. par. Mr. Leibniz, Clarke &c. tom. II. p. 135. *Mr. des Cartes l'avoit fait, mais non pas assez. Il étoit allé trop vite dans la plûpart de ses dogmes. Et l'on peut dire, que sa philosophie est à l'antichambre de la verité. Et ce qui l'a arrêté le plus, c'est qu'il a ignoré les veritables loix de la mecanique ou du mouvement, qui auroient pû le ramener.*
- (34) Accedit, quod inter Cartesii aduersarios maxime eminuerit Huetius, strinxeritque contra eum *cenfuram philosoph. Cartesianæ.*
- (35) Recentioris physicæ, & Cartesianæ, & Gassendianæ &c. prorsus expertus est, quisquis negat, ea omnia, quæ sensibus nostris obiiciuntur, nonnisi phænomena esse, sed bene fundata. vid. Recueil supra cit. t. II. p. 139. *les choses materielles en elles mêmes ne sont que des phænomenes bien reglez, lege, si lubet, totum Malebranchii de inquirenda veritate librum I. de erroribus sensuum: vix poteris ab hac veritate cohibere assensum.*
- (36) Vid. Sturmii physic. conciliatrix. c. 9. p. 91.
- (37) Sententiam de essentiis arbitrariis Cartesius stabilivit, quem pone secutus est in cogitationibus rationalibus Poiret.

§. 22.

Sed plura in illo Huetii ratiocinio sunt, quæ reprehendi debent. Etiam si enim idea corporum, quam animo fouemus, rebus ex asse non respondeat, nec per suam naturam possit, (38) deficiente semper perfecta inter mentis imaginem rei que obuersantis indolem, similitudine: id tamen non obstat, quo minus ordinem phænomenorum illorum obseruare, successionum leges eruere,

vnum-

Continu-
atur
responso.

vrumque ex altero elicere queamus. (39) Sufficit id ad scopum physicum, qui rationes phænomenorum inquirat. At quomodo *metaphysice* (error enim Idealistæ metaphysicus est) rerum, si quæ extra nos sunt, vera possit præsentia demonstrari? hoc opus, hic labor est. Existimo, primum contra Idealistas ostendi posse, continui compositionem non esse impossibilem: præsto quippe est filum ariadnæum, quod secutis, ex famoso illo philosophorum labyrintho emergere licet, in quo suæ causæ potissimum (40) præsidium Idealistæ quærunt. Partes enim materiæ in infinitum, vt aiunt, diuisibiles, reuera non existunt, sed vt possibiles tantum concipiuntur. (41) (breuitati heic studeo, qui hæc non assequitur, alios adeat) Præterea concedit Idealista creatum a DEO mundum: atqui DEVS id, quod præstantius est, nunquam non eligit. Quis autem non videt, maiorem harmoniam, perfectionem, impetrari, vbi mentium actionibus res corporeæ motibus suis respondent, quam vbi solæ mentes in mundo existere finguntur? Sic eminus tantum ostendo, quibus armis Idealistas non sine fructu adgredi liceat. Transeant hæc. Ex iis, quæ præstruxi, patet, non vacillare veritatem, quantumuis sensuum imagines rebus ipsis exacte non respondeant: sua igitur sponte ruit, quicquid Huetius huic opinioni inædificauit.

(38) Sensus enim sunt facultates res confuse repræsentandi; atque qua tales hominis finitam indicant naturam, ex quo constat & efficitur, vt nunquam homo,

more DEI, cuncta distinctissime suo sistere animo possit. vid. Wolf. metaph. §. 749.

(39) Ill. Bilfinger. in dilucid. §. 118. ita differit: Idealista ex phænomeno solis obliqui deducit phænomenon frigoris hyberni. Negat existere res, his phænomenis respondentes; ordinem vero successionis eundem seruare debet. Substitue in locum Idealistarum Huetium: idem de eius opinione iudicium erit.

(40) Legat, cui volupe est, veterum argumenta contra extensionem, quibus Idealistarum opinioni præludicceptum est: non diffitebitur certe, difficultates circa continui compositionem, in vulgari sententia scaturientes, inauditas prorsus & irrefragabiles esse. Inueniuntur pleraque apud Bælium in dictionaire sub artic. *Zenon*. Citauimus difficultates nonnullas: t. IV. p. 540. ait. *Il n'y a point d'étendue, donc il n'y a point de mouvement. La consequence est bonne; car ce qui n'a point d'étendue, n'occupe aucun lieu, & ce qui n'occupe aucun lieu comme l'étendue, ne peut point passer d'un lieu à un autre ni par consequent se mouvoir. Cela n'est pas contestable; la difficulté n'est donc qu'à prouuer qu'il n'y a point d'étendue. Voici ce qu'auroit pu dire Zenon. L'étendue ne peut être composée, ni de points mathématiques, ni d'atomes, ni de parties divisibles à l'infini, donc son existence est impossible. La consequence paroît certaine, puis qu'on ne sauroit concevoir que ces trois manieres de composition dans l'étendue: il ne s'agit donc, que de prouuer l'antecedent. Peu de paroles me suffiront à l'égard des points mathématiques, car les esprits les moins penetrans peuvent connoître avec la dernière euidence, que plusieurs neants d'étendue joints ensemble ne feront jamais une étendue - - Il n'est pas moins impossible ou inconcevable qu'il soit composé des atomes d'Epicure, c'est à dire de corpuscules étendus & indivisibles; car toute étendue quelque petite qu'elle puisse être, a un coté droit & un coté gauche, un dessus, & un dessous: elle est donc un assemblage de corps distincts - - la divisibilité à l'infini est l'hypothèse qu'Aristote a embrassée; & c'est celle de presque tous les professeurs en philosophie, dans toutes les universités depuis plusieurs siècles - -* Mittam cetera in compendium.

dium. Si extensio datur; datur extensorum contactus atque extensa in infinitum diuisibilia: ergo cum se mutuo contigerunt, suas inuicem dimensiones penetrant; quod est absurdum. Superficiem non statues: est enim extensionis terminus, qui a re diuisibili in infinitum exulat. Vid. præter Bælium, artem. cog. P. IV. C. I. Libertum Fromondum in libro, quem labyrinthum de compositione continui inscripsit.

(41) Vid. de materia difficili, quæ solide pro ea explicanda tradit Wolf. in phys. P. I. §. 4.

§. 23.

Persequi omnia ob instituti temporisque rationem non possumus: vnicum ergo, quod speciosissimis adscribo, Huetii dubium confutare, erit consultum. Ita vero scriptor famigeratissimus argutatur: *Quodcunque ratiocinium proponatur pro tuenda ratione, id subinde ex ipsa ratione orietur: atqui hæc principii petitio est, defendere*

*Nouum
Huetii
dubium
soluitur.*

(42) *rationem per rationem. Ergo vana omnis est pro tuenda ratione contentio.* Bona verba quæso.

Qui ex ratione pro ratione pugnat, is haudquaquam incertum probat per æque incertum, sed ex doctrina notiori, quæ & ipsa rationis nomine venit, ignotiorem stabilire connititur. Ratio enim est, vt sub initium dixi, *perspicientia nexus veritatum*: qui rationem igitur defendit, is dari cum primis veritatibus aliarum sententiarum connexionem affirmat: non petit ergo principium. Nisi ipsum veritatis summum axioma in dubium vocare velis, quod hoc est: *Non potest idem simul esse & non esse*: (43) quod & factitare Huetius videtur, qui hoc ipsum nondum esse concedit exploratum, *utrum propositio qualibet vera sit an falsa?* Verum enimvero,

aut,

aut, *id incertum esse*, innuit absentiam diuinæ cognitionis infinitæ, quæ nunquam rebus creatis conceditur, aut rigoroso sensu intellectum labefactare conatur propositionem primam: *idem non potest simul esse & non esse*: tum contra negantem principia non est disputandum. At enim dicis cum Huetio: (44) fides rationis defectus compensat, & certas veritates præstat, quas ratio non nisi inexploratas exhibet: recte tu quidem, sed doctrinæ tuæ minus consentanea loqueris. Annon enim religionis fundamenta sensuum innituntur testimonio? I. Io. I. 1. 2. Si verum est, quod tanto ardore contra sensus causeris, *fallere eos semper*: unde nosti, non deceptos apostolos fuisse, portenta Christi illis suis oculis cernentes, vulnera in crucem acti contrectantes, vocem cælo demissam: *Hicce mihi probatur Filius* audientes? &c. Nunquid & istis sensuum operationibus fidem denegare oportet? Haudquaquam sane! Fatendum igitur est, aut ipsam fidem instabilem fluxamque esse, aut suam rationi restituendam existimationem, iure velut postliminii.

(42) Vid. sæpe cit. traité philos. de la foiblesse &c. L. I. C. II. p. 89. *Quelque preuve que je puisse inventer pour defendre la certitude de la raison, elle sera incertaine. C'est donc une petition de principe, que defendre la raison par raison. Car les argumens que l'on propose pour cela, comme certains, sont produits par la raison &c.*

(43) Vid. libr. modo citat. p. 267. *Pour réponse à ce raisonnement, je vous dis que vous supposez encore comme veritable, & comme une chose accordée, ce qui est en contestation; savoir, que toute argumentation, c'est à dire,*

à dire, toute preuve, qui se fait par raison, preuve, ou ne preuve pas donc, direz vous, si cette preuve est vaine & sans effet, il s'ensuit qu'il y a des démonstrations, puisque la preuve que j'ai apportée, pour montrer qu'il n'y a point démonstration est sans effet. J'avoue que cette preuve n'est pas véritable, je dis qu'elle est seulement vraisemblable, & ce qui n'est que vraisemblable, ne conclut rien de certain, ce qui est pourtant nécessaire pour une démonstration.

(44) Libro II. cap. 2. p. 182.

§. 24.

Amplius dicendi campus superesset, si longius excurrendo cuncta vel curatius intueri, vel *Transitus ad alia.* aliorum vestigia premendo ab aliis dicta repetere instituissemus. Sed id iam non agimus. Quemadmodum hucusque nostra omnis ratio eo spectabat, ut inter fidem rationemque, vel suavem concentum percipi, vel nullam certe pugnam committi, demonstraremus: ita nunc ad alterum caput, cito pede, progrediendum est, quo de *usu rationis in theologia* paucis statuetur.

CAPVT II.

Discursus Preliminaris.

§. 25.

Rationem duplici vestimento quasi seu circumstantia conspicuam varie intueri licet. Aut enim consideratur in homine; (subiective) tum est nexus veritatum perspicientia: aut in disciplinis præceptorum extra hominem; (obiective) tum, ut iam antecedenti capite monui, merus veritatum nexus est. Vtroque modo suam in theologia *Sensuum in fide innotuit.*

logia nauat operam. Priori significato amplificato sensus hac vice complectemur. Eorum est, portenta DEI pro conseruanda seu firmanda religione obseruare, (45) ex conspicuo gratiæ diuinæ signo vehiculoque fidei fomenta suggerere, ne extingatur, (46) ex stupenda mundi machina conditorem agnoscere, (47) ex pœnarum DEI vestigijs iustitiam metiri, iudicare, iudicatamque toto venerari pectore: (48) verbo: sensuum est, ea obiecta omnia non per transfennam adspicere, quotquot scalarum vices obire possunt, quibus ad cognitionem reuerentiamque DEI aditus præbetur, atque adscensus. Facilia hæc sunt, & a nemine, quod sciam, in dubium vocantur, si a solo discesseris Huetio.

(45) Vid. ep. Ebr. cap. II. 4.

(46) Vid. Matth. XXVI. 26. 27. 28. I. Corinth. X. 16. c. XI. 24. 25. 26.

(47) Vid. Rom. I. 20. Iesai. XL. per tot.

(48) Vid. I. Cor. X. 6. - II. &c.

§. 25.

De rationis usu.

Rigoroſe loquendo a ſenſibus ratio quam plurimum differt: (49) coarctato igitur rursus vocabuli ſignificatu, quod par eſt, dicendum, quodnam eius, hoc intuitu in rebus ſacris officium ſit, quiſue uſus? loquimur autem etiamnum de ratione, quæ facultas eſt, veritatum nexus perſpiciendi. Rationem in amplectenda fide generatim neceſſariam eſſe, haud, opinor, quiſquam negauerit, niſi & bouem cognitionis ſacrorum pietatiſque capacem dixerit. Sed quousque eius limites extendantur? definitu arduum eſt.

est. Dixi, ad nauseam forsari vsque, naturalem illam hominis vim in perspicendo veritatum nexu, rationem adpellari; sed num ea facultas veritatum etiam reuelatarum combinationes seriesque peruidet? num suis ea viribus isthas connectiones pernoscere, cognitisque assentiri, exque honoratis iisdem suo assensu, nouas elicere hactenus ignotas potest? Responso est perdifficilis facta non veritatis ipsius, sed hominum, problema tam facile mirifice intorquentium, culpa & errore. (50) Hæc enim est famosa illa quæstio de theologia irrogeniti, quem vocant, seu impii, num diuina aque spiritu profecta dici mereatur, nec ne? Maximo agitata inter ipsos Augustanæ confessionis minus variatæ promachos, animorum motu.

(49) Vid. Cic. offic. L. I. c. II. §. 3. ed. Rotth. *inter hominem & beluam (sensibus præditam) hoc maxime interest, quod hæc tantum, quantum sensu mouetur, ad id solum, quod adest, se accommodat, paullulum admodum sentiens præteritum atque futurum: homo autem, quod rationis est particeps, per quam consequentia cernit: causas rerum videt, earundemque progressus, & quasi antecessiones non ignorat &c.* Relinquo lectori iudicium, annon hæc rationis descriptio cum nostra penitus consentiat? Quid enim quæso est, *rerum antecessiones & consequentia cernere, quam nexus veritatum mentis oculo intueri?*

(50) Scripta, quibus disceptatum fuit, magno numero laudat Pfaffius in introduct. in histor. litterariam notis amplis illustrat. P. I. L. II. ad §. X. p. 281. seqq. reliqua huc spectantia tradit P. II. L. III. ad epilog. p. 444. seqq. Prodiit olim Tubingæ dissert. præsid. I. W. Jægero, quæ inscribatur: *Specimen moderat. theolog. laudabilis potius quam vituperabilis in controuersis modernis &c.* qua partes litigantes logomachiarum arguuntur.

arguuntur. Sed & emissum fuit aliud scriptum sub tit. *Salome Christo affinis, hoc est, synopsis logomachiarum, ut vulgo vocant, pietificarum, breuiter recognit. reconciliandis fratrum animis &c. destinata a Georgio Augusto Pachomio, sub quo Zeltnerum latere docti autumant.*

§. 27.

*Questio
de theolo-
gia impij.*

Nunquam naturæ vires gratiæ operatio tollit, emendat potius. In ratione autem, quæ veri est perspicientia, duo obseruari possunt; ipsa primo cognoscendi vis, quæ non est rei defectus, sed res omnino vera. Secundo, cum hac coniungitur virium cognoscendi constans limitatio, certa que ad obiecta determinatio, quorum alia post alia procedente tempore menti semet sistant: neque enim noster animus diuina præditus vi, omnia cognoscit vno obtutu, nec etiam distinctissime, quæ solius DEI prærogatiua est. Hanc limitationem cognoscendi virium, qua fit, ut huc nec ultra extendatur ratiocinandi facultas, defectum, seu cum scholasticis rei priuationem non male adpellaueris. Emendatio omnis versatur circa supplendos defectus: res qua talis bona est semper; defectus vero eius supplemento indiget, solummodo quippe malus. (51) Quæ cum ita habeant: luce meridiana clarius est, rationem ipsam, quæ vis est perspiciendi rerum nexus, ex pio per fidem non colli, sed iam multo ante a natura præstructam, per gratiam confirmari. *Est enim res, non rei defectus.* Non generatur ergo noua ratiocinandi vis: naturalis illa veri perspicientia extollitur ad sublimiorem in fidei articulis dignoscendis usum.

visum. Hoc sensu vel impius res sacras cognoscere, cognitasque diiudicare potest. Si non posset: noua ei vis ingeneranda, facultasque naturalis prorsus extinguenda foret; quod absurdum. Quid plura? vis agendi generatim, eoque & ratiocinandi, media est inter nudam agendi (ratiocinandi) facultatem seu possibilitatem, atque inter facultatis exercitium. (52) Parit enim nisum conatumque tendendi a facultate ad exercitium. Exemplo rerum grauium, manu suspensarum, quæ deorsum tendunt, seu arcus tensi, vim elasticam exercentis. Atqui dudum ostenderunt viri celebres, *characterem substantiarum omnium in quadam agendi patiendique vi positum esse.* (53) Quod si igitur naturalis ratiocinandi vis per fidem tollitur: ipsa hominis, seu animæ potius substantia auferetur, noua a spiritu substituta, quod a Flacii Illyrici errore proxime abest.

(51) In quo malinatura posita sit, solidissime, nisi me omnia fallunt, ill. Bilfingerus demonstrauit in tr. de origine mali S. II. §. 242. seqq. Nunquam positui, ut cum scholasticis loquar, quiddam malum esse potest. Semper collocatur in defectu.

(52) Vid. acta eruditorum ad annum 1694. p. 112. ubi ita Leibnitius: *Vis actiua actum quendam siue εντελεχειαν continet, atque inter facultatem agendi, actionemque ipsam media est, conatumque inuoluit, atque per se ipsam in operationem fertur.*

(53) Vid. acta erudit. ad annum 1695. p. 145. ubi agere Leibnitius inquit, est *character substantiarum.* De rebus cunctis cogitari nihil potest præter extensionem, & agendi patiendique vim. Iam vero, quod extensio substantiarum character esse non possit, probat Leibnitius Recueil supra cit. p. 235. in examine principiorum Malebranchii: nil igitur supererit, quam vis agendi,

agendi patiendive. Accidentia vero in huius varia limitatione collocata sunt.

§. 28.

Primus
gradus
gratia.

Quid igitur gratia homini emendando confert? inquis. Dicam id nunc continuo. Occupata est in supplendo rationis naturalis defectu. Quisnam aut qualis iste est? audi, si placet. Defectus est absentia eius, quod præsto esse deberet. Deficit igitur ratio, non in eo, quod veritatis naturalis nexum perspicit, sed quod sibi relicta veritatum reuelatarum nexus, imo vero existentiam (sit venia minus latinæ voci) ignorat. Accedit propterea Dei fauor, nouas isthas veritates hominibus, nil tale merentibus, per sacras tabulas declarantis. Quarum si nonnullos nexus, ratio ex se, adminiculis præsiidiisque hermeneuticis instructa, perspicere incipit, initium diuina eius collustratio capere dicitur. *Hæc est gratia præueniens. Est enim ratio collustrata nil aliud, quam perspicientia nexus inter veritates reuelatas.* (§ 4) illuminatio hæc posset vocari obiectiua. Attingit enim non ipsam rationem, quæ quippe suis hucusque viribus nouarum veritatum nexus intelligit; sed posita est in noui luminis ortu. Ne dicas quæso, hominem ratione sua recte videntem, ex se, plane rerum sacrarum, si proponantur, nihil intelligere: experientia enim tibi reclamatur, eorum hominum, qui v. g. satis sentiunt quantumuis impii, quid sibi velit propositio, quod *Sospitator sit Deus*: qui plane cognoscunt nexum huius cum altera: *Si Deus: ergo adorandus &c.* Accedit, quod aut gratia præueniens

ueniens ante meditationem verbi vim suam exerere debeat, aut post. Sin illud statuas; se iungis more fanaticorum a verbo gratiam spiritus: verbum enim hæcenus non intellectum, non mediatum, perinde est, ac si prorsus penes impium non esset, separata operante gratia. Sin hoc affirmaueris; profecto suis viribus homo recta vtens ratione, verbi decreta intelliget, propositionum reuelatarum nexus perspicendo: aliter progressus oriretur in infinitum.

(54) Vid. ill. Bilfingeri dilucidat. de DEO, anima &c. §. 278. *Si quis ex verbo DEI norit mysteria salutis, quam apte & sapienter omnia sibi respondeant, ad glorificandas DEI perfectiones ordinata: facultatem illam cognoscendi nexum diuersarum in æconomia gratiæ partium, rationem dicere licebit, eandemque reuelatione illuminatam.*

§. 29.

Ita corrigitur per Θεοπνευσία primus rationis defectus, vt, quæ hucusque ad solas naturales composita erat veritates intelligendas, iam ad sublimiores meditandas reuocetur. Favoris id diuini, eiusdemque immeriti, documentum esse, nemo dubitat. At nunc alius grauior hiatus, amplior rationis, vt ita dicam, lacuna occurrit, per gratiam explenda superiorem. Non deficit in eo ratio nostra, quod veritatibus natura notis assentiatur; peccat in eo, quod propositis reuelatis ægerrime præbeat assensum. Duplex hic defectus est. Primo sibi relicta non assentitur cœlesti doctrinæ, per se quippe eius ignara: post, ea satis ex verbo Dei exposita, ægre aut plane non a se impetrat, vt ei fidem tribuat. Intelligit quidem

*Secundus
gradus.*

præconis orationem, sed eam iudicat stolidam. Huc pertinet oraculum I. Cor. II. 14. το δεχεται enim assensum indicat. (55) Mundi totius Seruatorem profiteri, in crucem solenni integræ nationis sententia actum, stultissimum arbitratur. I. Cor. I. 20. Sed id non fit, nisi ab hominibus barbaris, sensuum seruitute ductis, vel ab iis, qui extra ecclesiam constituti variis contra religionem nostram præiudiciis occupantur. Qui in ecclesia vero educantur homines dociles: illi, licet sint expertes diuini spiritus, instituto grauissimarum, pro veritate christianæ religionis facientium, rationum examine, vltra prouehuntur, possuntque ad assensum qualemcunque, doctrinæ sacræ tribuendum, moueri. Bonus ille per se est, sed non sufficiens. Laudatur assensus, culpatur debilitas. Est ergo heic res, est rei defectus. Adprobatur altera, compensatur alter. Superuenit spiritus nimirum sancti gratia, per verbum semet exserens, quæ animum diuino instinctu dulcique afflatu percellit, prensat, vrget, vt firmissimum veritati assensum præbeat. *Hoc est spiritus S. testimonium Rom. VIII. 16. Hac gratia nunc in animo operans.* (56)

(55) Vid. Cleric. comment. in N. T. in h. l.

(56) Historiam gratiæ & prædestinationis prolixè exhibuit doctissimus Hottinger, in volumine, quod inscribitur: *fata doctrine de gratia & prædestinatione.* in 4. Tiguri A. 1727.

§. 30.

*Tertius
gratia
gradus.*

Tristis est defectuum rationis copia. Plurima complectitur ratio, quæ ad philosophiam pertinent, & ad iis assentiendum inuictis ducitur
argu-

argumentis. Testes sunt, qui mathesi operam nauant, qui disciplinam moralem certissima methodo tradere in animum inducunt. At scientia illhæc sterilis manet, destituta virtutis, quæ illinc nasci deberet, fructu. En defectum nouum! placet scientia, (57) displicet sterilitas. Explet ergo iterum, quod deest, exoptatissima supremi Numinis per Seruatorem oblata gratia. Viuam ea præstat cognitionem, quæ ignaua, minus efficax, imo, phrasi scripturæ, mortua erat. *Viuam dico cognitionem eam, quæ motium seu incitamentum obtemperandi, moresque & mentem emendandi præbet.* (58) *Hæc est gratia inhabitans, operantem secuta, nec ab eadem nisi in eo distincta, quod maiores iam in animo radices egerit, quam illa. Maior enim vis est, quæ in formanda ad pietatem tota mente versatur, quam quæ in eliciendo ab intellectu doctrinæ cœlestis assensu ponitur. Quo diutius animum occupat, eo euadit, more plantarum, robustior. Multa tum sentit opius, multa ipso rerum sacrarum vsu & in animo & extra eum experitur, quæ solo rationis licet perspicacissimæ auxilio vtentij peruia nunquam fuerunt. Huc pertinet I. Cor. II. 9. Non potest id non contingere. Attentionem enim rationis, quæ hucusque non nisi naturales animaduertit veritates, gratia Dei aliorsum, ad sacra nimirum, ad arcanas Dei vias conuertit. Quemadmodum igitur attentio (59) nil aliud est, quam rerum hæcenus a mente non obseruatarum distinctio: ita tali vitæ instituto plura, imo innumera discerni posse, quæ antehac neglecta erant, vi-*

Quartus.

tro cognoscitur. Ecce noui defectus, quo ratio laborat, nouum supplementum. Qui S. scripturam penitus callent, improbi theologi, norunt in sacris *plura generalia*, norunt articulorum nexus, oraculorum expositiones, dubia aduersariorum, lites, fara ecclesiæ &c. at *specialiores in singulorum piorum animis vicissitudines*, gratiæ interualla, arcanos Dei recessus, ignorant, nec scire ob infinitam varietatem possunt. Superat igitur vel vilissimus homo probus impium theologum doctissimum, & ab eo etiam superatur, in suo quisque genere. *Hanc vero experientiam spirituales*, hanc forsan quoque illuminationem internam adpellarunt Speneriani, quam recte vel eruditissimis theologis nondum emendatis hoc sensu denegarunt. Non iniqua igitur forsan est eorum suspicio, qui plurimum heic logomachix intercessisse autumarunt: namque eorum aduersarii de ea locuti sunt collustratione mentis, quam §. 28. exposui, quam vere spirituales sensu indicato vocare, haud quidquam obstat.

(57) Inepti sunt, qui scientiam pietate cassam, quanta quanta est, carpunt. Non cognitio damnanda, sed sterilitas. Ea est donum Dei per se præstans, hæc autem est vituperandus defectus. Abusus theologiæ mysticæ h. l. notandus venit. Amorem illi commendant, damnant cognitionem. vid. Rom. X. 2.

(58) Definitio hæc est Wolfii, me iudice, genuina & fœcunda. vid. metaph. p. 133. Moral. §. 169. *Die einnige Erkenntniß wird lebendig genennet, welche einen Beweggrund des Wollens abgiebet, das gute zu thun, das böse zu lassen. Hingegen die ist todt, welche keinen solchen abgiebet.*

(59) Vid. Metaph. Wolfii. §. 268. *Wir finden bey der Seele ein Vermögen, sowohl bey ihren Empfindungen als*
Eir-

Einbildungen, sich auf eines unter ihnen dergestalt zu richten, daß wir uns dessen mehr als des übrigen bewußt sind, welches wir Aufmerksamkeit nennen.
Collat. cum §. 729. metaph. eiusdem.

§. 31.

Anacephalæosis.

Ita quatuor, eisdemque præcipuos, rationis defectus indicauimus, subiunctis totidem gratiæ eos suppletis, gradibus. Prima lacuna est, quod ratio veritates solum naturales perspiciat, reuelatarum contra ignarissima sit. Coit hæc fissura per verbi præconium. Secundus hiatus est, quod iis expositis, ægre assentiatur, aut saltem non firmo animi motu. Compensatur iste, per spiritus S. testimonium, has veritates obsignantis. Tertius defectus est, quod paucissimæ veritates, quas ratio perspectas habet, efficaces sint, suppletur vero per gratiam excitantem. Quartum, quod rationi sibi relictæ deest, in eo ponitur, quod non solum haud se extendat ad veritates reuelatas generatim cognoscendas, sed, quod grauius est, multo minus specialiores Dei operationes in animo singulorum norit. Occurritur huic nævo per experientiam, quam spiritualem vocant. (60) *Nunquid hæc ad gratiæ laudes efferendas non sufficiunt?* Ratio igitur, quod his ita disputatis patet, quatenus aliquod Dei donum est, vsum in theologia omnino præstat, nexum veritatum (omnis generis) detegendo, ratiocinando, confutando errores, applicando doctrinas ad singulares casus &c. Quatenus autem hominum culpa imminutum Dei donum est, gratiæ eget medicina. Parum cauti propterea sunt, quotquot vocibus vagis, nil determinati sonantibus, pro-

lixo affectu, zelo inconsulto, magna orationis facundia, verborumque flumine contra rationem declamant; aut enim reuera cum his nostris meditati facerent, si distinctius animi sensa exponere quirent; aut in fanaticorum castra palam transferunt.

(60) De qua legis D. Pfaffi dissertationem eruditam de gustu spirituali. Adde Philipp. I. 9.

§. 32.

Simile.

Possunt hæc pro instituto sufficere. Dabo tamen, illustrandæ sententiæ causa, & in tiro-
num gratiam simile, quod sequitur. Stephani lapidibus obruti oculos quis facultatum naturalium titulo vocandos neget? legimus vero eum in extremo mortis (61) periculo constitutum vidisse stantem in cælo, claudentem patris dextram Christum. An quæso, ut naturales oculi Christum cernerent cœlesti gloria vestitum aliud quiddam præter singularem Dei operationem, nouique obiecti præsentiam necessarium fuit? num oculi naturales eruti? minime vero, sed eleuati ad sublimem illum usum. Atqui par est rationis in rebus fidei conditio. Nil amplius requiritur, quam nouarum veritatum doctrina, quam facultatis, iusto per se debilioris, emendatio, quam denique perpetua ad augendam scientiam faciens exercitatio. Existimo, quæ hætenus disputata sunt, lucem, præfiscini! intricatissimis de gratia litibus, nullo non tempore omnium seculorum doctores exercitantibus, affundere posse. Arbitror, latere in his paginis filum quoddam Ariadnæum, cuius ductu ex conturbante perplexarum inter Speneri affectas aliosque

aliosque ortarum contentionum labyrintho exire liceat. Fœcunditatem ostenderem, adque multas generatim hæc dicta lites adplicarem, nisi aliorum spectaret disputationis consilium.

(61) Actor. VII. versibus vltimis. Singularem de dextra Dei opinionem Clericus, non explorate quidem, tradit in notis ad N. T. Hammond. P. I. p. 271. ad Marc. XVI. 19. *Itaque forte, inquit, (nihil enim adfirmo) voce Deus intelligere possemus lucem inaccessam omnibus, præterquam Christo, quæ symbolum est diuinæ præsentie, & ad cuius dextram partem sedeat is, quem regem cæli & terræ constituit Pater. Aliud nihil videre potuisse videtur Stephanus, cum eidẽ δόξαν θεῶν καὶ Ἰησοῦ εἶωτα ἐκ δεξιῶν τῶ θεοῦ, vidit gloriam Dei & Iesum stantem ad dextram Dei, h. e. gloriæ seu lucis inaccessæ. Deum enim proprie dictum sine dubio non vidit, & durum est dicere Iesum ad dextram Dei, pro summa gloria fruentem &c.*

§. 33.

Attigit discursus, quem hucusque continuavi, *De ratione obiectiue sumptæ.* rationem in homine spectatam, quæ facultas est. Nunc ordo postulat, vt nonnulla dicamus de ratione, quæ denotat veritatum connexiones, homini obuersantes. Vbi est connexio, vbi series rerum: ibi aliud primum, aliud secundum, aliud denique vltimum est. *Quod in serie veritatum primum est, ex quo cetera ducuntur, adpellatur principium.* De rationis igitur hoc modo sumptæ principii nunc dispiciendum, *an & quousque ea in sacris adhibere conueniat?*

§. 34.

Rationis principia, imo vero doctrinæ omnes in duos ramos abeunt. Sunt enim vel veritates *Distinctio principiorum rationis.* necessariae, vel mutabiles. Necessarias adpellamus,

mus, (62) *quarum oppositum inuoluit contradictionem*. Mutabiles vero dicimus, *quarum oppositum non exhibet contradictionem*. Prioris generis doctrinæ sunt in algebra, geometria, arithmetica, logica, metaphysica, dicere & ausim, in disciplina matheſeos puræ qualibet. Posterioris ordinis veritates in physica, in genere morum aliisque artibus inuenire licet. Hæ omnes nituntur principio sufficientis rationis; id iubet eligere excellentissimum quodque. Contra priores axiomate contradictionis fulciuntur, quod brutam necessitatem eandemque absolutam parit numeris omnibus. Vt triangulum rectum duos habeat angulos æquales duobus rectis, ita verum est, vt contrarium exhibeat contradictionem. At alia est legum motus conditio: neque enim illæ ita sunt a Deo stabilitæ, vt vel tantilla illarum mutatio contradictionem inuoluisset, vbi ita fuisset Creatori visum. Minime vero! Est hoc multo præstantissimum Leibnitii *εὐρημα*, quo vel solo Spinozæ error penitus profligari potest. (63)

(62) Ita recte describit veritates Leibnitius necessarias in discursu theod. præmiss. §. 2. & 22. ait: *Cauendum omnino esse, ne in defendendis mysteriis veritates necessarias deseramus, ne veritatis hostes occasionem arripiant omnibus sacris illudendi*. Scilicet qui veritatem necessariam deserit, eius oppositum, id est, contradictionem concedit, profiteturque cœlestem doctrinam, quantumuis contradictioni obnoxiam, amplectendam esse.

(63) Recueil de diverses pieces par Mr. Leibniz. &c. t. II. p. 133. *Il est vrai que je n'entrai dans le plus profondes qu'après avoir conversé avec Mr. Huygens à Paris. Mais quand je cherchai sa dernière raison du mécanisme & des loix memes du mouvement; Je fus tout surpris*

surpris de voir qu'il étoit impossible de les trouver dans les mathématiques, & qu'il falloit retourner à métaphysique. Nempe veræ motus leges supponunt in corpore vim aliquam, quæ ex ipsa materiæ, vtpote passivæ, consideratione non resultat, quæ nec in extensione, nec in impenetrabilitate materiæ fundatur, & cuius originem in conceptibus corporum geometricis, in trina dimensione, situ, structura &c. nequicquam detegas. Verba sunt non mea, sed dilucid. §. 169.

§. 35.

Prima nunc quæstione disceptatur, num *Quænam in theol. adhibere liceat?* utriusque an alterutrius, an neutrius generis veritates philosophicas in theologia applicare liceat? Respondemus cum theologis, quorum in hac doctrina eruditio comprobata est: nunquam (64) è theologia aut posse aut debere necessarias rationis veritates arceri. In promptu est argumentum. Quæ nec DEVS mutare potest, ea ipse rata habet, imo habere, nisi semet abnegauerit, debet. Atqui veritates necessarias mutabiles non esse docuimus: non est ergo hæsitandum, circa id, quod consequitur. Ipse DEI spiritus ad principium contradictionis prouocat Rom. XI. 6. Adprobato igitur fundamento, quicquid eidem iure superstruitur, adprobasse censendus est. Hinc sua mathesi in theologia constans, & perpetua existimatio. Multiplicatus enim v. g. duodenarius numerus 144. in scripturis æque conflare dicitur ac alibi in arithmetica. vid. Apoc. VII. 4 - 8. Præcipuum logices, idque imum, fundamentum hac continetur regula: (65) Quodsi A. respondeat B. & C. respondeat eidem B. consequitur necessario, vt etiam A. respondeat C. atqui ea nititur Seruator, contra Iudæos disputans Io. VIII. 47. Insensatus sit
gna-

gnauiter, quisquis de innumeris similibus ceteris idem non sentiat.

(64) Theologi v. g. Musæus in tr. de vsu principiorum rationis, distinguunt inter principia formalia & materialia. Illa in sacris admittenda esse rectissime contendunt. Hæc autem nulla alia lege adsciscenda docent, quam vbi eorum neecessitas explorata est.

(65) Vid. discursus Leibnitii theod. præmissi. §. 22.

§. 36.

Faciles in eo omnes forsan experiar. Interim de iisdem necessariis veritatibus porro disquiritur: num eis contraria reuelatio docere queat? num ad fidem reuelationi tribuendam simus obstricti, si manifestissimis his doctrinis palam aduersetur? Neutiquam sane! id enim interest maxime inter genuinam spuriamque reuelationem, quod altera absurdorum alienorumque a ratione dogmatum coargui possit: altera non item. Quod ni concesseris: paululum admodum ipsa Muhamedanorum fides a christianorum disciplina differet, aut prorsus nihil. (66) Contra de veritatibus, quæ mutationi obnoxia, (67) seu, vt accuratius loquar, contingentibus, longe aliter statuendum. Etiam si enim sæpe & ad illas confirmatio DEI pertineat in scripturæ tabulis; sic enim stellarum motus, DEI ipsius calculo, adprobatus est, Ies. 40. tamen DEO nihil obstitit, quo minus legem isthanc, a suo pendentem arbitrio, suspenderet, & siue solem (68) siue terram iuberet quiescere.

(66) Vid. eund. citato tract. §. 29. *Hic est, inquit, scopus eorum, qui veritatem christiana religionis publice propugnarunt. v. g. Aug. Steuchi, Mornæi, Grotii. Oportet enim melioribus nostra sacra characteribus distingui, quam Turcarum ethnicorumque; aliter Zoroaster*

*Num fides
his princi-
piis con-
traria
queat esse?*

*Num con-
tingenti-
bus ad-
uersa
queat esse?*

ter quispiam, aut Brama &c. tantundem fidei mereret, ac Moses, vel Seruator mundi.

(67) Loquimur de veritatibus rerum existentium finitarum. Essentiam enim si spectes, veritas omnis necessaria est.

(68) Fateor enim lubens, me lecto Zimmermanni tract. de scriptura Copernizante inductum fuisse, vt terram moueri crederem. In qua sententia confirmatus fui, postquam matheseos quodam gustu imbuebar.

§. 37.

Conueniunt heic plerique in veritate generali; at in adplicatione eiusdem ad singulares casus, dici vix potest, quantum aperiat^{ur} sententiæ biuium. *Ostenditur difficultas.* Sunt enim, qui veritatum necessariarum foro adscribunt doctrinas, quas alii (69) contingentium classi adiudicandas putant & vicissim. Tum difficultas haud exigua oritur, quo pacto alteræ ab alteris distinguendæ sint. Si fieri potest, vt corpus immensa & extraordinaria DEI potentia omnibus locis sistatur præsens; non recedendum est a littera verborumque stricto significato, queis sacrum epulum Matth. XXVI. I. Cor. X. & XI. describitur. Sin autem per naturam id fieri nequit, si contradictionem (70) id inuoluit, corpus existere multis aut omnibus præsens locis: a littera recedendum, quicquid ea pressius accepta aut intellecta videatur innuere. Sed quis hic litem decidet? accuratius philosophiæ studium, quod vulgo spernitur, (71) quo solo argumento, si ab aliis omnibus discederemus, eius in theologia necessitas comprobatur. Atqui infra distinctius, vti spero, exploratum dabimus, corporis præsentiam pluribus omnibusue locis, *αὐσελιον* non esse.

(69) Idem obseruauit Leibnitiuſ in diſcurſu theod. præmiſſ. §. 20. 21.

(70) Huc pertinet diſputatio cancell. Tub. D. Pfaffii: *Num contradictoria proprie loquendo poſſint credi?* qua traduntur egregia. Nec non D. Dan. Maichelii examen diſſertationis Turretinianaë, de argumento fere eodem.

(71) Vid. iudicium theol. facultat. Halenſis de philoſophiæ ſtudio, præmiſſum *der beſcheidenen Entdeckung der ſchädlichen Wolfianischen Philoſophie.*

§. 38.

Quo reſpectu
ad principi-
pia ratio-
nis adhi-
beantur?

Peruenio interim ad aliam quæſtionem, qua, quo reſpectu veritates philoſophicæ in theologia adhibeantur? examinatum eſt. Num adplicentur, qua indifferentes, an qua natura notæ, an qua per ſpiritus auctoritatem ex obliquo comprobata? Primum Muſæus (72) & Pfaffius, prof. olim Tub. Poſtremum Klemmius, eiſdem acad. doctor, tuetur. (73) Adoptamus hanc ſententiam neglecta priori. Non difficile enim eſt, ſolutis huius ſententiæ ratiociniis meliora ſubſtituere. *Doctores*, inquiunt, *in theologia per omnes atates rationis axiomatibus recte uſi ſunt: ergo etiamnum ea adhibere eo conſilio licebit.* Sed ſciendum eſt, adhibitas a doctoribus rationis doctrinas, non quia a ratione proficiſcuntur, ſed quoniam adcurato examine inſtituto comprobataſ eaſdem in ſcriptura animaduertentur. Vrgent: *Nil derogatur concluſioni theologicæ, etiamſi in maiori propoſitione ſyllogiſmi rationis axioma uniuerſale adhibeatur: namque canon eiſmodi indifferens determinatur per minorem propoſ. theologicam.* Reſpondeo: plurimum omnino concluſioni theologicæ detractum iri, ſi ab enun-
ciatione

ciatione philosophica penderet; ratio enim, quare prædicatum conclusionis subiecto adaptatur, a maiore prop. petitur: cum in minore duntaxat indicetur, contineri subiectum conclusionis subiecto maioris. Pergunt: *nulla omnino rationis axiomata in argumentis sacris adplicantur, nisi quorum oppositum contradictionem inuoluit: certissima igitur conclusionis veritas, stat velut Marpesia cautes.* R. Certa tum quidem conclusio est, at auctoritate DEI non nixa, id est, haudquaquam theologica. Ratio enim conclusionis maiore continetur, illiusque conditio respondet naturæ huius. Cetera ratiocinia Musæi non allegabo, ex his responsionibus iudicanda.

(72) Vid. Musæus de usu principiorum rationis p. 453.

(73) Pfaffius in supplem. Thummii p. 585. ait: *in illo trito syllogismo: Gignens & genitus realiter differunt: atqui Pater & Filius in diuin. differunt, ut gignens & genitus. E. realiter,* maiorem non esse philosophicam, sed indifferentem. Me iudice vero theologica est, auctoritate DEI ex obliquo comprobata. Non potest enim reuelationis auctoritas non habere rata philosophiæ necessaria axiomata.

§. 39.

Præsidium causæ nostræ, quod videlicet *Argumenta axiomata rationis, ut auctoritate DEI adprobata nostra*, in argumentis sacris adplicari possint, ex eo quæritur: Maioris vniuersali natura nititur conclusio: minor duntaxat monet, subiectum conclusionis comprehendere subiecto maioris. Iam aut maior propositio conclusionem probat, tanquam per naturam nota, aut tanquam ratiocinata auctoritate DEI. Sin illud adfirmaueris: fundamentum fidei, quæ conclusioni tribuitur, naturale erit.

erit. Sin hoc concesseris: in castra transiisti nostra, quod non sine grati significatione animi agnoscimus. Plura non addo, possunt de ceteris ipsi scriptores, quos allegabam, vocari in consilium.

§. 40.

Defundamento certitudinis inter rationem & reuelationem.

Incido nunc iusto ordine in grauioris multo contentionis mentionem. *Quodnam reuelationis sit fundamentum?* Lockius certitudinem rationis (74) reuelationi anteponit. Poiret rationis certitudinem plane ad res diuinas explorandas haud quidquam facere docet. (75) Protestantes ceteri plerique media incedunt via, nec firmitatem rationis fidei anteponentes, nec vero etiam affirmantes, quod ratio prorsus nihil ad sacra inuestiganda faciat. (76) Vanum est Lockii ratiocinium. (Mittam in compendium prolixius dicta a viro celeberrimo) *Cognitio, qua reuelationem genuinam esse, exploratum habetur, aut oritur a ratione, aut ab alia eademque noua reuelatione. Sin hoc eueniat: dabitur progressus in infinitum, redeunte identidem de noua isthac reuelatione argumento eodem. Sin primum placuerit: reuelationis firmitas in rationem resoluitur.* Quod auctor docet. *Re. miscentur separanda.* Differt a fundamento auctoritatis diuinæ, ex reuelatione elucentis, agnitio eius, qua ratio percellitur. Agnitio, quod hæc auctoritas diuina sit, rationis est; fundamentum autem auctoritatis, ob quod agnoscitur, pertinet ad reuelationem. Velim simile, si placet, audias. (77) Fac senatorum collegium, præside extincto priore, nouo animari,

animari, iussu principis, antistite. Quis neget, huius esse, ostentare senatorum collegio pro facienda fide litteras, quas vocant, *credentiales*? sed num senatores gloriari propterea possunt, antistitis auctoritatem sub ipsorum iudicio niti? Minime vero! atqui eadem sacrarum litterarum conditio est. Præsident illæ rationi, qua superiores multo existunt. Vice *credentialium* litterarum characteribus certis opus est, quibus ratio mota agnoscere sublimiorem illam auctoritatem possit. Quis autem inde iudicet, auctoritatem reuelationis niti ratione? quis metuat propterea processum per infinita? quis denique Lockii argutiis commoueatur?

(74) Vid. Poiret tract. *Ratio & fides collata*, cui integer Lockii discursus præmissus est. Verba auctoris hæc sunt: *Quoniam multo magis certum est, rectam rationem esse infallibilem, quam particularem eius usum circa reuelationem, quem diuina fides præsupponit, esse rectum; aperte sequitur, certitudinem reuelationis præstare certitudini, qua diuina gaudet fides.* Aut pronuntiandum est, ipsorum cœlitum de gloria æterna certitudinem eorum ratione niti adhuc firmiore, quod absurdum; aut fatendum, conuictionem de rebus sacris in hac vita ortam, quod testimonio Spiritus fulcitur, primitiarum nomine insignito Rom. VIII. absque rationis adminiculo persistere.

(75) Respondet ad ratiocinium Lockii Poiret cit. tract. p. 173. h. m. *Rectam supponere rationem in homine penitus corrupto, æque sibi constat ac morbidus sanus, recta obliquitas, lignum ferreum. Hoc ergo ens rationis secundum auctorem iam superat, diuinam fidem & veram falsamque discernet reuelationem? Tam egregium auctor posuit theosophiæ fundamentum: cheu! in qua incidimus tempora! Hicce dum vitat vitia, in contraria currit. Negat rationis certitudinem prorsus. Refutatus est a lægero in iudicio Poireti de Lockii sententiâ.*

D

(76) Inter

(76) Inter innumeros vid. Buddeus in theol. dogmat. p. 202. §. 33. not. * *Id vero dum negamus, non omnem prorsus rationis usum negamus aut reiicimus, ut ex hactenus dictis patet; quod & copiosius B. Io. Museus noster ostendit de usu princip. rationis &c.* Campegius Vitringa in dissertatione de philosophia Græcorum, vitio affectuum corrupta L. III. C. 12. p. 633. seqq. de usu rationis sequentia disserit, in compendium mittenda: *Paulus pronuntiat, gentibus euangelii doctrinam stultitiam fuisse, I. Cor. I. 23. iam alterutrum statuendum est: vel quod euangelium repugnet sanæ rationi, h. e. rectis & genuinis rationis principiis, vel quod philosophorum perceptiones de doctrina religionis secundum sanam rationem formatæ non fuerint. Prius dici nequit. Est enim Φανερωσις τῆς ἀληθείας Rom. I. Ergo posterius affirmandum.* Vid. Hermannii Witsii dissertat. de usu & abusu rationis, quæ est 17. in P. II. miscellaneorum eius sacrorum. Augustinus, *absit*, inquit, epist. ad Consentium, quæ est 222. *ut hoc in nobis DEVS oderit, in quo reliquis animantibus excellentiores nos creauit.* Addantur Huetii quæstion. Alnet. de concordia rationis & fidei L. I. Cap. 4. & 5.

(77) Simile apud Leibnitium occurrit in disc. theod. præmissi. §. 29.

§. 41.

Primo enim diuina sacrarum litterarum (78) auctoritas characteribus quibusdam, totidem velut radiis, animos hominum ferit, percellitque, ut recte aduertentes non possint non *Δειον* ἴε agnoscere. Post, fracta h. m. tanquam glacie, percellitque tot veritatis criteriis Spiritus S. prensat, mouet ad assentiendum vehementi nisu, obsignat. Quo facto reuelationis certitudo, non amplius a ratione, quin neque a prima eius agnitione pendet, sed ab operatione spiritus, mentes in veritate confirmantis I. Io. V. 6. Simile quid legitur Io. IV. 42. Nuntiauerat Samaritana vxor ciuibus suis,

præsto

*Confir-
mantur
dicta.*

præsto esse, qui Messiae virtutibus characteribusque ornatus videatur *ψ. 29.* Aduolant tum incolæ, fit ad Christum hominum confluxus, cerunt portenta, audiunt doctrinam commoti vehementer, exsequente munus per verbum Spiritu S. tum ingenue profitentur: *Non tam posthac nuntio tuo ducti, quam ipso usu confirmati fidem hisce tribuimus.* Liceat cum vxore rationem rectam contendere, officio fungentem suo, characteresque reuelationis obseruantem, agnoscentem. Quodsi ea tum inducantur mortales, vt ad Christum veniant, id est, locum reuelationi vltiorem cedant, superueniet Spiritus operatio obfignaturi, quæ illuminata ratio incoata reliquit.

(78) Cedro dignum Hunnii tractatum *de maiestate sacrae scripturae*, non possum, quin hic laudem.

§. 42.

At alia sedet Poireto mens: rectam ipse rationem negare videtur, (79) nihilque prorsus ab ea vtilitatis in theologiam redundare contendit. Id vero supra confutatum est, vt plura dicere nil amplius attineat. Interim non diffiteor, aut minus consentanea Poiretum docere, aut Lockium passim male intellectum, perperam refutasse. Ita enim ille: (80) *At rationem solam, si reuelatio facta non fuisset, has veritates euangelicas reperturam fuisse, id quidem probandum superest, &c.* Valde dubito, an ea vnquam fuerit Lockii sententia: de fundamento certitudinis disputat ille, *num in ratione querendum?* haud vero affirmat, rationem veritates euangelicas inuenire potuisse. Sed transeant isthæc, cum Lockii causam non per-

Poireti
mens.

orandam suscipiamus, interno quippe spiritus sensu edocti, quid inter animi firmitatem a ratione, & a DEO profectam interfit? (81)

(79) L. c. p. 173.

(80) Vid. citat. tractat. p. 174. §. 432.

(81) Dubium non contemnendum doctrinæ de testimonio Spiritus S. obuertit Limborch. theolog. christian. L. I. C. 4. §. 17. *Nos agnoscimus, inquit, Spiritus S. gratiam argumentis, quibus script. S. diuinitas probatur, coniungi, ut eorum vis roboretur &c. Non tamen credimus testimonium Spiritus S. ut internum testimonium, peculiare ac distinctum ab argumentis externis, ac vi sua peculiari agens, necessarium esse, ut homo infidelis de scriptura diuinitate conuincatur. Quia Spiritus confirmans non datur, nisi iam credentibus Io. VII. 38. c. XIV. 17. &c. (2) Esse talem Spiritum nemo scire potest, nisi ex scriptura, & Spiritus suggestio etiam ad scripturam tanquam lydium lapidem exploranda est - - quin sic committitur circulus. Si enim quærantur, unde cognoscant, scripturam esse diuinam: respondent ex testimonio Spiritus. Si urgentur, unde sciant, testimonium illud esse Spiritus, reuerunt ex scriptura. Posset hæc argumentandi ratio compensari simili ratiocinio, quod sine dubio, vel ipsis aduersariis fatentibus, fraude caret, si quærat: unde veritas cuiusdam vaticinii dignoscenda? recte respondemus: Ex euentu. Sin vrgeas, unde sciam, hanc veram esse vaticinii impletionem? te non inuito, dicere licet, ex consideratione vaticinii. Sed profundius rimabimur argumenti oppositi vim. Est Spiritus S. testimonium a verbo distinctum quidem, sed non diuisum aut separatum. Limborchius, qui opinionem de testimonio Spiritus S. peculiari vi agente, confutat, fanaticos ferit, non protestantes theologos. Secundo hic cit & fatiscit consequentia, non recte arguitur: *testimonium Spiritus sancti non indulgetur nisi iam credentibus: ergo superuacuum est.* Ipse enim Limborch fatetur ad argumenta scripturæ cognita, adprobata, accedere robur maius a DEI gratia profectum. Post miscentur separanda. *Alius est actus credendi directus, alius reflexus.* Conceditur Spiritus testimonium iis, qui fidem conceperunt actu directo, ut eandem*

eandem etiam perferant *actu reflexo*, non igitur est superuacuum. Quid vero de illo dilemmate habendum? *Cornu gerit illud - - cauto*. At salua res est. Seiunge, ubi volupe fuerit, circulum a regressu demonstratiuo. Ne verba tantum dare, & fumos vendere videar, ibo in rem præsentem. Methodus pontificiorum, *ab auctoritate pontificis scripturam, & vicissim ex scriptura illam probantium, circulus est vitiosus*. Nostra arguendi ratio regressus demonstratiuus. Regressus demonstratiuus ratiocinatur ab effectu ad causam, a causa ad effectum, pro conditione aduersariorum, alterum siue alteram concedentium. Vbi nexus causæ & effectus exulat: ibi hæc methodus degenerat in circulum vitiosum. En facti specimen!

Regressus demonstratiuus.

Circulus vitiosus.

| | | |
|--|---|--|
| <p><i>Causa</i> Spiritus in verbo operans.</p> | <p><i>Effectus</i> testimonium Spiritus.</p> | <p><i>Supposititia causa</i> Scripturæ auctoritas.</p> |
| <p><i>Effectus</i> testimonium de sacris licet h. l. descensus contra eum, qui de factorum veritate ambigit, causam vero, (operantem Spiritum) concedit, imo sentire potest, ubi moneatur.</p> | <p><i>Causa</i> Spiritus per verbum operans. licet h. l. adscensus contra eum, qui de Spiritus operatione dubitat, i. e. causam originem scripturæ cœlestem concedit, i. e. effectum.</p> | <p><i>Supposititiuus effectus</i>. pontificis auctoritas: neque enim illa stabilit hanc. Atqui adscensus postulant contra protestantes, qui principium inficiantur. Idemque descendunt apud suos, qui scripturam pontifici postponunt. Vitium igitur in methodo inest.</p> |

Sic oculis subiici potest vtriusque methodi discrimen. Obseruemus interim sequentia. Fieri aliquando solet, vt scrupulis de S. litterarum veritate vexetur tentatus, motus vero & instinctus DEI in animo sentiat, aut sentire, attentione adhibita, possit. Tum recte ad motus hosce prouocatur sine principii petitione. Contingere vero & solet, vt, qui de diuini verbi auctoritate certissimus est, de inhabitantis præsentia Spiritus anceps existat, tum illa peropportune potest ad probandam hanc allegari. Nunquam autem descensus adscensusue fieri debet, nisi contra eum, qui adscendendi aut descendendi initium comprobatur.

*Soluitur
obiectio.*

Cardo eorum, quæ hæcenus disputatis obverti possunt, in eo agitur: (82) *Licet, inquit, ratio se intra spheram continens &, quæ revelationis sunt, agnoscens, non pugnet contra fidei mysteria: tamen quando ea non se continet intra suam spheram, sed iudicium sibi sumit de illis, quæ sunt mera revelationis, ac pura fidei, ac de illis pronuntiare cupit, ex suis naturalibus principiis, non ex verbo prescripto; tunc ex accidenti fit, ut mysteria fidei sint contra rationem, videlicet temere & præpostere ea oppugnantes.* Forsan, qui hæc regerit, re penitus examinata, non dissentit a nobis. Idem enim ille, (83) *soluto aduersarii ratiocinio, quod lumen lumini non possit esse contrarium, unum venerantia auctorem ambo, declarat, verum id est de ratione in naturalibus & civilibus, adeoque illis, ad quæ humana ratio ex principiis naturalibus assurgere potest; item de ratione quatenus NB. per S. scripturam illuminata lucem & ductum verbi sequitur; sed de ratione, ex suis principiis novos fidei articulos excogitante, vel fidei articulos, in scriptura expositos, oppugnante, concedi non potest.* Ita noster est, quem ex aduerso militare putauimus. Si ratio noua credendi dogmata pro piaculis obtrudit; sin antiqua DEI auctoritate nixa oppugnat: reuera non est ratio, sed eius speciem duntaxat mentitur. Ratio enim est *veritatum nexus.* Cohærent omnes veritates, si non in finito, in immenso certe tamen DEI intellectu. Quicquid ergo veri-

veritatibus alteris, siue philosophicis, siue theologis, aduersatur, id cum eis haudquaquam connectitur, i. e. istud rationis nomine adpellari nequit, ex data definitione. Ceterum id in rem nostram est, quod eodem auctore, ratio tum demum per scripturam collustrata dicitur, ubi ductum fidei sequitur. Si quid enim iudico, id consentaneum nostris est doctrinis, queis *perspicientiam nexus veritatum reuelatarum vocitauimus rationem collustratam*. Profiteor etiam ingenuè, me abhorrere a Bellarmini methodo, qui iam dari perfectionis consilia ex ratione probat, (84) iam purgatorium, (85) iam transsubstantiationem, (86) iam satisfactiones humanas, (87) nec facere cum Gregorio di Valentia, qui rationis dictamen DEI cultum recte præscribere posse affirmat. (88)

(82) Vid. Gerh. confessio cathol. p. 283. cuius hæc sunt verba.

(83) Gerhard confess. cathol. l. c.

(84) Bellarmin. L. II. de monach. c. 12.

(85) Idem L. I. de purgatorio c. 11.

(86) Idem L. III. de eucharist. c. 22.

(87) Idem L. IV. de pœnit. c. 5.

(88) Gregorius di Valent. L. I. de miss. sacrif. c. 4.

Discursus præliminaris.

CAPVT III.

De angusta gratiæ & naturæ differentia.

§. 44.

FVimus hucusque in eo, vt non obstante grandi interuallo, quod a reuelatione rationem

*Introitus
ad doctrinam de
natura &
gratiæ.*

D 4

sub.

submouet, vsum huius exponeremus in illa: pertinebat isthæc disputatio ad vtriusque disciplinæ theoriam. Nunc de gratiæ & naturæ in animo motibus (si quidem motus dicendi sunt) sermo instituetur, quod ad pietatis praxin pertinet, adque eius studium, sapienter discernendum, peropportune facit. Doctrina est, si quæquam, multo præstantissima, in qua excolenda passim theologi versabantur. (89) Per naturam cum Buddeo (90) intelligimus *complexum omnium facultatum, propensionum &c. a natiuitate generatarum* (maturescenteque iudicio & ætate auctarum) *qua mentem, qua corpus, non exclusis causis, ex quibus istæ facultates, in quantum moralitatem recipiunt, oriuntur. Gratia vocatur, quidquid extraordinaria DEI operatione homini adiungitur, ad præstandum DEO gratum cultum, formandamque pietatem.* (91) Ceteras vocabuli, significationes consulto omitimus. Ex his definitionibus sponte intelligitur, inter vtriusque originis vires plurimum interesse. Cum vero *haud quiddam ab altero discrepet reapse, quod eidem ex parte omni simile sit, nullosque exhibeat characteres, quibus ab eo discerni possit:* (92) perspicuum est, ob summam rei grauitatem certa suppetere debere *κρίτηρα*, quibus alterarum virium operationes, distinguantur ab alteris. Hæc igitur inuestiganda sunt.

(89) Speneri tr. *de natura & gratia* idiom. germ. peruulgatus est, nec meo præconio eget. Adde, quæ Buddens de hoc argumento theolog. suæ morali inseruit. Cap. I. per totum, quæ Malebranchius in libello gallico de *natura & gratia* docuit. Hulfemanni tr. de auxiliis gratiæ

in omnium versatur manibus. Conferantur etiam Andreæ Riueti, theol. reform. nec non Didac. de Alvarez de auxiliis gratia commentationes.

(90) Vid. theol. moral. c. 1. p. 28.

(91) Buddeus theol. moral. p. 37. C. I. §. 39. tres significationes exhibet. *Primo denotare*, ait, *benignum fauorem ad salutem procurandam* Ephes. I. 7. *post, vocem eam sonare*, ait, *benevolentiam Numinis, merito Christi pro-uocatam*. Act. IV. 12. &c. *Tertio apud scriptores ecclesiasticos, ea operationem DEI gratiosam, in animo hominis innui*, obseruat.

(92) Dici vix potest, quam graue, quam fœcundum sit hoc axioma: namque sine eo sanctissima dogmata philosophiæ defendi nequeunt. Dabimus infra specimen. Verba Leibnitii hæc sunt. *Recueil des diverses pièces sur la philos. t. 1. p. 50. Les grandes principes de la raison suffisante & de l'identité des indiscernables changent l'état de la métaphysique, qui devient réelle & démonstrative par leur moyen: au lieu qu'autre fois elle ne consistoit presque qu'en termes vuides.*

§. 45.

In actione qualibet duo sunt animaduertenda, nec pauciora, animi scilicet destinatio, seu impulsus, quo ad agendum inducebatur, ipsumque externum opus, quod in sensus incurrit. Circa externum opus nulla est difficultas: quod enim manifeste vel bonum vel malum est, oculisque subiicitur, id nec fugit, nec decipit quemquam. Lege verba Pauli Gal. V. 19. Cum tamen contingat frequentissime, vt actio honesta turpis cuiusdam suspicionem temere moueat, & vicissim, vt actio turpis mentiatur speciem honestæ, teste Paulo I. Tim. V. 24. 25. Maxime spectandus est animi impulsus, seu ratio ea, qua mens inducta hoc illudue agendum suscepit. Neque enim corporis humani motus, quo opus

Quid obseruandum in qualibet actione.

externum continetur, vel vituperio vel laude perse dignus est; omnia ex animi metienda destinatione.

§. 46.

*Distinctio
diuini
cultus.*

Nunc inædificabimus præstructis. Disceptatur, quomodo christiani in DEVM cultus, a gratia nimirum profecti, operationes, distinguantur a conatibus naturæ? Huic vt satisfiat quæstioni, definiendus est cultus generatim. *Cultum DEI* vocamus *actionem quamlibet, ad quam suscipiendam perfectiones DEI impellunt.* (93) Consentanea est hæc definitio paulo ante dictis. Monui quippe, ex animi destinatione metienda esse cuncta. Atqui definitionis fecunditas est incredibilis; mox eius intelliges momentum. *Speciatim christianus DEI cultus istas complectitur actiones, ad quas edendas reuelationis vel auctoritas vel efficacia induxit.* Germana hæc est definitionis prioris filia. *Cultus DEI naturalis continetur actionibus, quæ ex consideratione DEI, per solam rationem cogniti, oriuntur.* Sororem hanc prioris agnoscas. Non omnes autem actiones hominis ad cultum DEI, siue christianum, siue naturalem, pertinere, manifestum est. Sunt igitur ordinis inferioris. Pietas enim sola honestati coronam imponit. An ergo plane honestatis sunt expertes? non sunt. Inest in eis quædam, at vero tenuis honestas, eademque gradibus distincta iterum suis. Aliæ autem actiones sunt ab omni honestate prorsus alienæ, nec eduntur nisi prauarum propensionum

num impulsu vehementi. Cognoscis igitur, naturæ operationes esse generis duplicis, vel pro subducto varie calculo, triplicis. Sunt actiones pietatis naturalis, eademque generis supremi: sunt actiones honestæ, quas non format pietas, eademque generis medii. Quales isthæ? continuo dicam. Sunt denique operationes, quæ a natura prodeunt, vndiquaque turpes, fœdæ, detestandæque, prauorum affectuum infelices partus.

(93) Definitio est Wolfii. *Die Handlungen, die wir in Ansehung Gottes vornehmen, werden Gottesdienst genant.* Moral. C. 6. §. 757. Distinguendum vero est inter cultum mediatum & immediatum. Cultus immediatus actiones parit, quas non edidissemus, si de DEO prorsus nihil habuissemus perspectum. v. g. templum frequentare, orare &c. Cultus mediatum actiones complectitur, ad quas tam DEI cognitio, quam præsentis vitæ necessitas impellit, ut: laborare, edere, bibere, namque & hæc in gloriam Dei suscipienda. Coloss. III. 17. vid. ill. Bilfing. dilucidat. §. 498.

§. 47.

Actiones sæpe frequentatæ procliuitatem agendi pariunt, vel & commonstrant. Quo maior est procliuitas, eo grauior est agendi impulsus. Maior autem fit, si pro contraria parte pauciores militent agendi rationes. Hinc oritur tranquillitas, victoria honestatis, vbi ad hanc promouendam, pronitas connitatur. Ex aduerso, si pro altera parte etiam impulsus in animo ebulliant, committitur pugna. Quo vehementiores illi sunt: eo discrimen est magis anceps, deliberatio difficilior. Illa autem vis, siue gratiæ,

*Pugna
cultus di-
uini, ho-
nestatis &
prauæ
propensio-
nis quid?*

tiæ, siue naturæ, imperium capessere dicitur Rom. VI. 12. 14. quæ victoriam sæpe reportando, sic faciendi pronitatem consecuta est. Vnica victoria alterius partis, impulsusque, debilitatem alterius non indicat, si de victoria dolor existat, maiorque conatus amissa compensandi. Sed nec gratiæ victoria vna alteraue, redeunte continuo grauiore affectuum impetu, imperium animi probat, pulsus duntaxat arguit Spiritus S. exteriores. (94) Sic, actiones ex animi impulsu æstimando, distinctius multo philosophari licet, vel & θεολογῆν, quam alias factitare solent.

(94) Non intelligo h. l. pulsus, quibus obluſtari homo non posset. Licet eam opinionem in ecclesiam inuexerit Augustinus primus. Haud vero vt Hottinger histor. de gratia & prædestinat. p. 28. t. I. Paulus. Memorabile est, quod Sarauius epistol. ad Salmas. p. 196. prodit: Iesuitas palam præ se ferre, quod Augustinus non sit regula fidei. Pater Adamus, teste eodem *in defensione Augustini* p. 24. haud obscure præ se tulisse dicitur, quod Gabriel a pons, e soc. Iesu sæpe optauerit, vt Augustinus de gratia nunquam scripsisset. Paulus Leonhardus *in respons. ad expostulationes contra scientiam mediam* p. 117. 118. queritur, quod Augustinus, stans in acie contra Manichæos, in errores Pelagii pronus fuerit; militans autem contra Pelagianos prope a Manichæis abfuerit. Sunt & inter protestantes plurimi, qui non inficiantur, iusto rigidiorum esse Augustini in hoc articulo sententiam. Ne dicam de commentario philosoph. P. III. p. 4. nec de bibliotheca vniuersali T. XIV. p. 287. Rogo tantum beneuolum lectorem, vt legat Dallæum de vsu patrum p. 153. vbi accusatur, quod more philosophorum academ. fluctuante plurimas res tractauerit.

§. 48.

Iam demum ipsum persequemur institutum. *De officiis*
 Actionum antiquo more tria constituo genera, ^{erga} *DEVM.*
vel DEVM enim spectant, vel alios quosuis, vel
femetipsum. Dispiciamus, quid in vnoquoque
 genere naturam agnoscat matrem? quid gratiam?
 Naturam tria complecti diximus, pietatem natu-
 ralem, honestatem, sceleratasque demum tur-
 pitudines. De his dicere nil attinet. Nec enim
 speciem honesti mentiuntur, eoque vltiori
negligens opus non est. De illis verba sumus fa-
 cturi. Capiamus initium ab officiis erga DEVM:
 cœtus sacros frequentare non inter postrema,
 erga DEVM officia, ponitur. Confluunt in loca
 DEO sacra, boni & mali omnes: quid igitur hic
 gratiæ? quid naturæ tribuendum?

§. 49.

Operationes naturæ per gradus numerabo, *Gradus*
 adscensu ab imo facto ad summum. Naturæ *officii de*
 vis est duplex. Vel deprauata ab affectibus di- *freq.*
 stortis; vel recta, quæ ad sanam pertinet ratio- *templ.*
 nem. De quibus paulo antedictum. In frequen-
 tando igitur templo, (*hoc enim officium primo*
examinandum sumimus,) naturæ deprauatæ
 opus est, sin homines sacris intersint publicis,
 incitati studio declinandi infamiam, ne profa-
 narum gentium numero habeantur. Simile
 quid de Mago Simone memoriæ prodidit Lucas
 Actor. VIII. 13. qui, cum tota Samaria ad Pe-
 trum conflueret, baptismi causa; ne solus desi-
 pere videretur, baptizandum se curauit publico
 in

Secundus
gradus.

in loco. At testimonium eius conceptum v. 23. Excusatio naturæ corruptæ gradus tum existit, quum (95) destinato consilio vacui, mera consuetudine ducti sacros intramus parietes. *Opus operatum* id vocant barbare, cuius turpitudine quidem elegantiore voce utique indigna est. Vid. Iesai. I. 12.

(95) Consuetudo vel est actionis tantum adiunctum, quo pacto eius pretium auget, non minuit. Habitum bene agendi, quis culpet? vel est causa impellens: tum actionem reddit detestandam. De hac consuetudine mihi nunc est sermo.

§. 50.

Tertius
gradus.

Vides, lector beneuole! me definitione cultus §. 46. tradita, omnia metiri, sed metiar etiam per sequentes paginas. (96) Peruenio nunc ad instinctus naturæ, recta ratione pollentis. Primo quidem, quotquot templa subeunt, ne turbas in societate excitent, ii rationi quidem consentaneæ, sed minus christiane agunt. En tertium naturæ, sed nunc non deprauatæ gradum! ratio rerum nexus expendit. Igitur quoniam hi tales suarum actionum consequentias vident, declinant; cum ratione id coniunctum est. Verum enimvero & athei prudentiores hac parte, id præstare possunt: non est ergo id gratiæ specimen. Turbas excitari neglectis sacris publicis vel exemplo Seruatoris cognoscitur Io. VII. 11. Cum hoc gradu quartus coniungi potest, superior is quidem, nec tamen naturam supergrediens. Complures ex honestioribus, bona indole & philosophica DEI cognitione imbuti

Quartus
gradus.

in

in celebritate sacrorum comparent, quia DEUM
id præcepisse sentiunt. Num id gratiæ non est?
perfecto ita videtur, sed videtur tantum. Sos-
pitatorem Matth. VII. 22. iudicasse accepimus,
quod multi olim illucescente extremo die, caussa-
turi sint; Domine! annon tuo nomine vaticinati
sumus, Diabolo pepulimus? &c. sed id ferent
resp. Non amo vos. In nomine vero Christi præ-
stare quiddam, phrasi scripturæ, sonat, auctori-
tate DEI munitum, seu fretum, id facere.

(96) Vid. ill. Bilfing. dilucid. §. 495. Ratio formalis di-
vini cultus consistit in edendis actionibus ex motivo perfe-
ctionum diuinarum. Verus cultus est, si vera sit perfe-
ctio: falsus, si falsa. Hinc multa dependent, quæ in iu-
dicandis actionibus religiosis utiliter queunt adtendi.
Hinc tota paganismi refutatio: hinc reuelationis diiudi-
canda criteria: hinc discrimen cultus naturalis & reue-
lati: hinc nota cultus hypocriti, in externis tantum po-
siti: hinc regula actionum seu ceremoniarum: hinc so-
lutio questionis: cur rudes saepe sincerius Deum colant
sciolis?

§. 51.

Si minutius omnia excutere vellem, plures
naturæ gradus indicarem; sed ab instituto id
alienum est. Expendamus vero, quid in eo officio a gratia oriatur? Quisquis loca DEO sacra
frequenter, Christi monito, per Paulum exposito,
obtemperaturus Hebr. X. is aliquo gratiæ, præ-
uenientis certe quidem, instinctu agit. Sospi-
tatoris enim notitia & admonitiones non nisi ex
reuelatione cooriuntur. Tenue istud est initium,
cui succedit impulsus præstantior. Mandatis
morem aliquando gerimus, quæ ipsa non ma-
gnopere amamus: est ea conditio gradus præce-
dentis;

Gradus
gratiæ

Secundus
gradus.

dentis; at ubi in rem ipsam, quæ præcepta est, amore ferimur, excellentior est impetus. Qui igitur ædes sacras intrat, quod salutare id esse perspectum habet, in gratia fecit profectus. Lege I. Thess. II. 13. Amplectimur eo casu verbum DEI, ideo quia diuinum, & a Christo coortum intelligimus. Maius huic gradui robur accedit, ubi consilio, incrementa pietatis capiendi, ad loca sancta procurrimus Iacob. I. 21. *Gradum hunc tertius coronat.* Cellos nobilissimosque istos animos iudico, qui in visitanda templa propendent, quod iam olim verbi diuini dulcedine gustata Hebr. VI. 5. sibi temperare non possunt, quin occasionem tam opportunam arripiant audidissime. Est isthæc gratia operans. Possemus similia de precibus, ceterisque omnibus erga DEVM officiis docere: sed hæc nobis sufficiant, infra futuris prolixioribus.

*Tertius
gradus.*

§. 52.

*De officiis
erga
alios.*

Quæ nunc de officiorum erga alios quosuis examine dicturi sumus; ita comparata sunt, ut & ampliorem & generalem ideam totius doctrinæ de natura & gratia animo offerre possint. Sequor ordinem priorem. Incoaturus a naturæ operationibus; desiturus in gradibus gratiæ, Natura, quod nunc aliquoties iudicavi, est vel corrupta, vel recta ratione pollens. Percurramus ordine singulas classes. Sunt primo, qui ab aliis offendendis abstinere, quod id suis commodis inservire intelligunt, priuata utilitate ducti. *Infimus hic honestatis gradus est, vix umbram virtutis.*

*Primus
gradus.*

virtutis spargens. Refero igitur eum ad naturam corruptam. Reprehendit id Christus Matth. V. 47. Si, inquit, beneficia in beneficos erga vosmet confertis, quid singulare queso, aut eximii prestatis? Paulo tolerabilior est gradus, qui nunc sequitur, alter. Videas nonnullos metu detrimenti pacem colentes, ne quid mali vicissim ex eorum violatione sibi immineat. Perexiguum id est, paulo tamen primo acceptabilius. Qui metu enim, aut male, aut non bene agit, excusatus peccat, quam qui quadam delinquit cupiditate inflammatus. Ergo & hic gradus, non obstante specie virtutis externa, corruptæ naturæ fructus est. Tyrii a suscipiendo contra Herodem bello abhorruerunt, eam maxime ob causam, quod ex eius terris alimenta subvecta sunt, Tyrum. Actor. XII. 20. Nondum desinit corrupta natura virtutum larvas induere. Est enim & tertius gradus aliquantum ab illis primis distinctus. Inuenire licet, qui, etiamsi crasso privatae utilitatis studio ducti, alios conciliare nolint, meliora quippe agitant: tamen illi non aguntur, nisi placendi studio, quod ad laudes inanes captandas comparatum est. Vulpeculas describit Paulus Ephes. VI. 6. characteremque earum in οφθαλμοδελεια quaerit. *En complaisance au tartuffe.* Naturæ abortum quis heic non agnoscat?

Secundus gradus.

Tertius gradus.

§. 53.

Sed nunc natura altius ascendit, rectam secta rationem. Non desunt, qui magistratuum reuerentia in officio continentur suo. Cum enim

Primus gradus nature rationalis.

E

ratio

ratio recta dicitur, summos imperantes honorandos, obsequio colendos: manifestum est, eos, qui hac mouentur cogitatione, boni quid præstare, sed a natura, qua ratione ornatur recta, profectum. *Ciuis est ea honestas. Dies ist die Vogteyheiligkeit.* Laudatur cum ratione consensus; culpatur defectus eiusdem incredibilis. Non enim propter vniuersi generis humani societatem, iras, bella, turbas euitat, sed propter specialem ciuitatis, in qua viuendum est, coniunctionem, ordinem, leges, decreta. Rationis natura ingeneratæ vis multo maiores facere profectus potest. Ecce huius rectitudinis gradum superiorem! societatis vniuersalis, quo totum genus humanum copulatur, curam gerere, eademque inflammatum haud agere quidquam, quod eam laceffere, violare, conturbare posset, rationis longius, quam vulgo fieri solet, prospicientis specimen est; *christianum tamen nondum est.* Differt hic impulsus ab intuitu priuatæ utilitatis. Hæc enim est rationis corruptæ, illa rationis rectæ: hæc vel in perditissimos latrones cadit, qui & ipsi socios defendunt, tuentur, colunt; illa non nisi viris honestis ratione præditis sana competit. *Habes hic iusti regulam, (97) lege sis Rom. XII. 18. hæc societati paucorum, illa vniuersorum hominum paci publicæ studet.*

(97) De regula iusti eleganter & perspicue, more suo, Thomasius in fundam. I. N. & gentium L. I. C. 6. §. 42. *Regula, inquit, iusti est: quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* §. 62. 63. eius cap. Corollaria inde practica deriuat: *non turbabis alios, nec impedies in usu iuris sui siue superiores, siue inferiores, siue pares: omnes enim sunt*

Secundus
gradus:
regula,
iusti.

sunt aequae homines. Non vulnerabis, non occides, non contumelia afficies, non nocebis mendacio, non furtum facies, non damnum dabis, non violabis fidem.

§. 54.

Turpitudinis odio mala vitare, conatus est excellens; virtutis amore declinare peccata, multo excellentior. Atque, & eo ratio, sibi relicta, sana tamen, contendit. Cum pacem colimus, ne quid res generis humani omnis publica detrimenti capiat, (namque, quod ego iuris in alios statuo, omnibus erga omnes competit) in eam ferimur pacem, ob indignitatem bellorum, quæ auersamur. Sed ubi amore vniuersalis inter homines coniunctionis, turbas declinamus, de nouo superiorem rationis conscendimus gradum. Proh DEVM immortalem! cui potest esse vita vitalis, (98) qui non in amici mutuabenevolentia conquiescat? Si dulce est, habere vel unum, qui cum omnia audeas sic loqui, ut tecum, dici vix potest, quantum suauitatis pareret immensæ multitudinis hominum omnium coniunctio. Amicitia enim, (quanto magis vniuersalis illa generis humani, si quidem ea existere per homines posset) res plurimas continet: quo te cunque verteris, præsto est, nullo loco excluditur: nunquam intempestiua, nunquam molesta est. Profecto non aqua, non igni, pluribus locis utimur, quam amicitia. Quæ cogitatio si animum percellat, uti non potest non percellere, viribus rationis prudenter utentem, sublimiore te loco constituit naturæ cognitio. Hæc est regula decori. (99) Lege Ps. CXXXIII. 1.

Tertius gradus: decori regula.

(98) Sunt verba Ciceronis in Lælio de amicitia. Cap. 6. §. 7. seqq. ed. Rotth.

(99) Decori regula, auctore eodem Thomasio, loc. cit. §. 41. est: *quod vis, ut alii tibi faciant, tu ipsis facies. Axiomata practica hæc eliciuntur. Remittes sponte de iure tuo, h. e. præstabis indigentibus, ad quæ iure cogi non poteris. Condonabis, si opus sit. Si liber es, præstabis officia humanitatis. Si seruus, plura laborabis, quam ad quæ iure obstrictus eris. Sin imperas, præmia dabis, pœnas, si fieri potest, remittes. §. 69. præstabis ea hilari, sincera, nec fucata fronte &c. Putas hæc adeo esse egregia, ut nonnisi a christianorum disciplina tradi queant; sed falleris: magna vis est rationis, si colatur, & longe tamen sublimior fidei & gratiæ.*

§. 55.

Nondum tamen sumus assecuti rationis fastigium: ergo & hæctenus a gratiæ initio absumus plurimum. O peruersos mortales! quorum paucissimi, decoctis rationis viribus, nec huc quidem penetrant, cum tamen naturali auxilio possint. Superest nimirum cacumen celsius. Possumus tantum proficere, ut studio non pacis externæ, eiusdemque vniuersalis, non amicitia communitatis omnium, sed internæ quoque tranquillitatis amore, mala vitantes, persequamur virtutem. Quis enim nescit, turpibus factis conscientia tranquillitatem, grauissimo detrimento, turbari? *Auri sacra fames quid non mortalia pectora cogit?* angit, mordet, cruciat, coquit? quos dolores sibi pariunt auari? I. Tim. VI. 10. atque ea pœna est vitiorum omnium iustissima. Fugit igitur hos motus sana ratio, ut animo quietem conciliet. Hæc est regula honesti, (100) prioribus omnibus præstantior.

(100) Regula honesti iuxta Thomasium cit. loc. §. 40. hæc est. *Quod vis, ut alii sibi faciant, fac tibi. Atqui indignaris, siue rides, siue doles, si alios videas affectibus abreptos, propensionum mancipia: ergo a similibus abstinere. Si delectaris gustu Et re venerea, maxime durabili iucunditate fruuntur temperantes; si gloria, maxima gloria est, vincere se ipsum, nobilissima vindicta inimicis benefacere. Fugies occasiones, quæ irritant cupiditates tuas; quæres, quæ eas supprimunt. Quod si nimis ad huc imbecillis sis, ut nec fugere possis fugienda, nec querere querenda, saltem non fugies occasiones cupiditatibus aduersas, quæ quotidie, te non querente, se tibi offerunt. Nec quæres occasiones cupiditates excitantes, quæ se non sponte offerunt. Succubuisti cupiditatibus; surges, ne perpetuo iaceas: vicisti, cogitabis, quod succumbere possis. Ira euitabis Et securitatem, Et desperationem Et c.*

§. 56.

Vti vero primos gradus superat: ita superatur & ipsa pietate. Quatuor hucusque numerati sunt adscensus rationis, naturali honestate conspicui omnes; at sine pietate: hæc ergo splendidissimam virtuti imponit tiaram. *Mouet enim cognitione DEI animum in obsequia creatoris, prioresque rationes omnes sublimiori cogitatione obsignat. Non assurrexerunt ad hunc gradum rationis Chineses. Viderunt aliquid, sed velut e longinquo. Hinc eorum apophtegma: nil facere sapientem, cuius nolit conscium cælum. Pacem publicam promouere vniuersorum, haud malum est: amicitia communi studere, bonum. Pacem internam curare, melius: verum enimvero, supremi Numinis reuerentia, priora isthæc præstare lubentem, multo est optimum. Consecutæ videntur hunc gradum obstetrices Ægyptiæ, quas timore DEI ab enecandis Ebræorum*

Quintus gradus: regula pii.

recens natis infantibus abstinuisse accepimus
Exod. I. 17. Gratia enim num instinctu pulsæ
fuerint, dubium manet.

§. 57.

Sextus
gradus
pedago-
gia.

Miraris forsan siue vim rationis, siue discursum meum, nec meliora christianos gratia adiutos præstare posse autumas; sed frustra! inanes hi essent cuncti rationis conatus, nisi sextus, isque supremus, gradus accederet. Cum tantam suis viribus præceptorum lucem consecuta est ratio; non potest non eis obtemperandi instinctus sequi, saltim apud eos, qui candore sunt conspicui. At quanta heic imbecillitas, quanta prauorum affectuum pugna, cupiditatum impurarum nifus, deprehenditur? Prostant quidem in animo incitamenta, virtutem hanc omnem, suis gradibus distinctam, colendi; interim maior longe affectuum, ex altera locatorum parte, vis, isthæc vel semper, vel sæpe superat, opprimit, conculcat. *Non exsequitur homo, quæ recta videt; rapitur autem ad ea perpetranda, quæ turpia, & ab his virtutis gradibus abhorrentia intelligit.* Rom. VII. 15. Hinc inquietudo: hinc morsus conscientia ob peccata, reclamante rationis instinctu, admissa. Nouit enim recta ratio DEum iustum, vt velit: potentem, vt queat plectere. Pietas id docet naturalis, quam ad gradum quintum paulo ante reuocauimus. Quid hic consilii? aut pœnarum diuinarum metu desperandum, postque mortem pereundum est, (immortalitatem enim animi ratio argumentis siue certis, siue

siue verosimilibus assequitur) siue aliunde quærenda medicina, quam cum philosophia non exhibeat, ad inuestigandam reuelationem commouetur homo. *Vsus hic adpellatur pedagogicus*, longeque præstantissimus est. (101) Arbitror vero, eum supremo loco constituendum esse. Quo enim curatius ceteros virtutis gradus percurrit, prælucente rationis lumine, studiosus honestatis, quoque plura philosophiæ, alia aliis sublimiora præcepta, imbibit: eo se infirmiolem cognoscit, ad ea sequenda, eoque maior est medicinæ quærendæ impulsus. Non igitur abnuo, posse & inferiore constitutum gradu, ad inquirenda auxilia (102) ferri, sed id debiliore fieri motu, contendo. Ratio est in promptu: notitiæ omnes præstant instinctum debilem, si tenues existant; vehementiorem, si sint ampliores. Idque verum est, quamuis ille instinctus non semper animaduertatur. (103) Atqui quotquot in supremos rationis gradus enituntur, inferioribus luminibus plura & clariora addiderunt: ergo & efficacior eorum est impulsus: ergo de sua imbecillitate grauius conuicti, multo auidius medicinam anhelant. Hic igitur philosophiæ termini constituti: heic velut Herculis columnæ occurrunt, queis *plus ultra* inscribi haudquaquam potest.

(101) Pædagogicum esse luminis naturalis usum, communis theologorum, & philosophorum vox est, quam Bælius passim in *Continuation des pensées diverses écrites à un docteur de Sorbonne à l'occasion de la comete qui parut 1689.* gentium notitias, ad verum DEVM quærendum, prorsus nihil fecisse contendat. vid. T. I. p. 104. §. 24. seqq. edit. Amstelodam.

(102) Auxilia dico, ita tamen, vt a Pelagii errore abfim. Neque enim natura cum gratia concurrat, fin ipsam emendationem a Spiritu perficiendam spectaueris. Est hæc vox *auxilii* scholasticorum, qui auxilia gratiæ crepabant. Vid. quæ obseruauit Hulfemann de auxiliis gratiæ C. 2. §. 13. p. 28. Quantum ad rem ipsam, de inferiore nimirum rationis gradu, Buddeus theol. mor. p. 34. C. I. §. 27. monuit, *posse ex quolibet statu naturali in in d. te transitum fieri ad statum gratiæ*. Concedo id, sed cum indicata in textu cautione.

(103) Falsam esse Cartesii sententiam, quod nihil in animo fiat, cuius non simus conscii, inde cognoscitur, quia nobis nihil æque necessarium, ac vulgatum illud: *Nosce te ipsum*. Has notiones, quas non animaduertimus, *obscuras* vocat Leibnitius. legatur die vertheidigte Harmonia præstabilita sub nota (2) p. 83.

§. 58.

*Primus
gradus
gratiæ
præuen.*

Vbi deficit ratio, ibi incipit gratia. Vltimus igitur rationis, idemque supremus gradus proxime attingit gratiæ infimum, toto licet genere ab illo distinctum. Exorto verbi diuini præconio lux noua oritur. Offerit se tum animo Sospiratoris idea, supplicio quidem affecti, sed a Deo patre in cellissimum diuinæ maiestatis thronum collocati. Concipit igitur animus mentum. Sin iudicis vniuersalis, cuius Seruator personam gestat, cogitatio accesserit, augentur motus animi. Vid. actor. II. 37. Primo enim ad Iudæos N. T. sacro sermone habito, corda auditorum ideo perculsa sunt, quod maiestatis Christi fuit facta mentio v. 36. Idem contigit actor. X. 42. postquam viuorum mortuorumque arbitrum Petrus adpellauerat Iesum. Nimirum hæc est legis, euangelii de Christo luce collustratæ, operatio: lex præcipit, vrget, minatur.

natur. (104) Euangelium vero Christum præsto esse docet. Vtrumque in hoc motu coniunctum est. Cum quidquid reuelatio doceat, gratiæ significatio & argumentum sit: non ineptum erit, hunc impulsum *gratiam* vocare, *sed præuenientem*, quæ, licet effectu per malitiam priuari possit, ineuitabilis tamen existit. Quantacunque enim persequenda improbitate proteruia utaris: nunquam Christi iudicis, huius ubi sacris initiatus es, cogitatio prorsus ex animo eiici potest, redeuntibus subinde conscientiæ & metus stimulis. Pertinet vero isthæc consideratio ad officium Christi regium.

(104) De differentia legis & euang. prodiit dissertat. inaug. præ. D. Hagmaiero Tub.

§. 59.

Habenti dabitur. Matth. XIII. 12. Qui locum huic impulsui præbet, eius animum subibit Christi non solum tremenda maiestas, paulo ante indicata, sed & benignitas incomparabilis. Non est rex modo, sed & propheta præstantissimus, qui manca rationis dogmata supplet, animi medicinam promittit, docet, cuius ex ore mella fluunt, cælo delata, Esai. LV. 10. II. Deut. XXXII. 2. cuius lingua doctrinas explanat, auro gemmisque cariores Ps. XIX. quique præterea affectum erga nos spirat dulcissimum. Maiestas fulgore suo oculos perstringit, metumque parit. Benignitas vero allicit, conciliat. Superat ergo hic gradus illum primum. Qui hoc instinctu ducitur, spiritum persentiscere occipit spontaneum. Vel ipsos lapides excavat mollis

*Secundus
gradus
gratiæ
præuen.*

guttatum defluxus : quis quæso huic tantæ benignitati semet præberet impenetrabilem ? Efferratos cetera milites, ad vincendum prophetam hunc emissos, audita eius doctrina, ita commotos fuisse, vt manus non iniecerint, lectissimus Christi discipulus testatur Ioannes, euang. c. VII. 46. Prope abest a *regeneratione*, quam vocant, quisquis ita affectus animo esse solet.

§. 60.

*Tertius
gradus
gratiæ
perrum-
pentis.*

Religionis nostræ auctorem veneramur sacerdotem supremum, imo vero, & vnicum. 1. Tim. II. 2. Quam ardua vero isthæc doctrina est ! Ebræor. V. 10. 11. Innumeris DEVM homines peccatis offendunt. Vel ipsa ratio id nouit, & si sana est, deplorat : id argumentum erat, quod supra dictum, quærendi medicinam. Sed nunc inter iram DEI excandescentem, hominesque rebelles arbitrum se sistit Seruator, quod sacerdotis munus est. Hebr. V. 1. Cumque placari ira DEI sine sanguine nequeat Hebr. IX. acerbissimam mortem vltro subit. Aut nihil prorsus rerum omnium intelligimus, aut hoc nouum, idque inauditum, amoris documentum est. Præstans est prophetæ beneficium, qui errantes docet, instruit ; præstantius sacerdotis, sanguinem proprium fundentis pro eluendo alieno peccato. Excellens est prophetæ munus, qui reddit sapientes : excellentius sacerdotis, qui præstat DEO gratos, quos perosos fecerat summa improbitas. *Vincit igitur hic tertius gradus secundum.* Hæc est doctrina libertatis, immunitatis-

ratisque ab ira DEI, eiusdemque consequentibus Io. VIII. 36. Quicumque hanc peruidet omnem Iac. I. 25. quotquot hoc impulsu aguntur, ut diuini sanguinis cogitatio penitus sit animo infixata, ut mortis tam sanctæ memoria nunquam non redeat, percellat, vrgeat, ad vitam tanto beneficio dignam, ut amor oriatur in Seruatorem incredibilis, bona, famam, vitam, & omnia pro illo honorando profundere paratus: illi profecto regenerationis initium sunt affecti, fidemque viam illam, & efficacem suo conceperunt animo. *Quid enim queso fides est, quam conatus animi, tranquillitatem & felicitatem omnem in sanguine Christi ponentis, eiusdemque representatione ad omnem actionem connitentis, quæ DEO, quæ Seruatori probatur? hunc instinctum rectissime gratiam vocaueris internam. Quæ enim hætenus comes erat animi, nunc occipit esse incola.* Id enim in animo esse dicitur, quod vim eius agendi dirigit, non vna alteraue vice, quæ gratiæ præuenientis conditio est, sed quoties agendi occasio offertur. Sic enim est gratia alteris, & contrariis quidem affectuum prauorum agendi incitamentis fortior, non vna vice, sed sæpius: imperat ergo, eoque inhabitat. (105)

Quid sit fides? quomodo oriatur?

(105) Dominatur itaque gratia, cuius impulsus fortiores sunt naturæ adfectibus, quoties auctoramentum peccandi existit. Non dominatur vero, eoque externa est, si eius instinctus debiliior fuerit, quam ut impetum naturæ effrenis possit cohibere. Hinc licet regenerationis punctum velut saliens discernere: ex gradu debilitatis & fortitudinis metimur renatæ indolis initium, incrementum, decrementum.

§. 61.

*Quartus
gradus
gratiæ,
nunc ope-
rantis,
internæ.*

Tertio igitur gradu victrix existit gratia perrumpit obstacula, aditum parat, animum intrat. Tres hi gradus ad secundum locum de redemptione pertinent, cum contra rationis rectæ conatus, ex primo symboli apostolici, de creatione agentis, articulo, coorientur. Incrementa vero gratiæ internæ, de qua nunc dicendum, ad tertium symboli illius locum referuntur. Hinc *quartum gradum* perlustrare licet. Sunt, qui suos adfectus temperant, pravis propensionibus obstant, mores ad Christi voluntatem formant, malorum patientes, modestos, temperantes se præbent, nullam aliam ob causam, quam ut gratam, pro sublato peccatorum reatu, & condonata pœna, mentem significant. Æquum quippe iudicant, ut, qui sanguine Christi rubentes, pretiosissimo liquore velut madent, sibi caueant a peccatorum inquinamentis. Quo enim plus peccatorum condonatum est; eo maior amoris in Christum impulsus oritur Luc. VII. 47. Vitæ ista conditio novus homo adpellatur, ad imaginem DEI, & Christi effectus. *Habes igitur gradum quartum, qui in operante primus est.*

§. 62.

*Quintus
gradus.*

Succedit nunc alius paulo sublimior. Nam licet peccatorum condonatio pietatis summum incitamentum existat; tamen, cum Spiritus S. monita contemnere, in maius discrimen adducat, quam excutere grati animi erga sanguinem Servatoris vincula: (patet enim heic ius postlimi-
nii

i semper ; (106) illinc, vbi Spiritus *παιδεία* viotur proterue, irreparabilis detrimenti periculum imminet. vid. Matth. XII. 31. 32.) manifeste intelligitur, grauiorem priore impulsum tumere christianos, quum pietati viribus cunctis tandem ideo iudicant, ne mœstitia afficiant Spiritum, quo sunt velut obsignati Ephes. IV. 30. Nec in eo adquiescit diuina benignitas. Præstantus est, ferri ad aliquem conciliandum, amore quietatis, quam metu, ne offendatur, ductum. Qui ergo Seruatori per vitam omnem se probat, non ideo maxime, ne offendat Spiritum sanctum ; sed quod par esse existimat, vt sparsa eius per animum cœlestia semina vberes ferant fructus : is gradum probitatis conscendit, quo celsior, in hoc quidem genere, haudquaquam datur. Urget id apostolus Gal. V. 25. vbi *vitam*, inquit, *ex Spiritu trahentes dignas etiam isthac vita virtutes exerceamus*. Scilicet non tam metum quendam, licet rationalem, licet christianum ille respicit, quam ipsam rei dignitatem, quæ poscit, vt vita quædam, vitalibus quoque functionibus conspicua sit.

(106) Donatistarum enim sententia dudum explosa, licet non videantur reditum ad gratiam Christi, post peccata, sed ad ecclesiæ societatem denegasse.

§. 63.

Hæc sunt, quæ de gratiæ, naturæque gradibus dicere constitui. Superest officium erga se ipsum, in cuius radice perlustranda nunc licet esse præterioribus. Temperantiam in eo genere præcipuam virtutem iudico. Quænam sit eius causa naturalis?

Quid gratia & natura in officiis erga se ipsum?

naturalis? quæ cœlestis & diuina? iam exponendum. Cum natura & corrupta sit, & recta ratione tamen exornata, exordiendum est a fonte illo. Spuria est temperantia, quæ a nonnullis tantum illecebris sibi cauet, ceteras deperit. Qui enim religionis causa certos cibos non capiunt, aliis tamen deliciaribus, aut saltem æque delictis pasti, specimen virtutis mentiuntur: num tu eos temperantes esse credis? neque enim impulsu voluptatis vitandæ id agunt, cum meliora gustent, sed in speciem tantum, ne videantur parum religiosi I. Tim. IV. 3. Est hic gradus infimus, quem pone sequitur alter. Quum superstitione acti, ut DEVM placarent, ethnici stolidissimi ieiunia indicebant, cetera homines amore vacui, iracundi, auari, pacis violatores, fures & latrones. Exemplum lege Esai. LVIII. 5. 7.

Secundus
gradus.

§. 64.

Primus
gradus
rationis.

Corrupto affectui naturæ tales indulgent, plurimum diuersi ab iis, qui in colenda temperantia rationem sequuntur sanam. *Recta ratio perspicit nexus veritatum.* Qui continens est, ut peruersos intemperantiæ fructus, malorumque inde orientium firmata declinet; is primum calcavit in hoc genere gradum: cuius auctor & suasor est maxima ratione & sapientia præditus Salomo Prou. XXIII. 20. Contra maiore laude digni sunt, qui intemperantis vitæ vsum propterea detestantur, quia socialitati promouendæ facit impares. Quis ebriosum v. g. sobriumque muneris sui partes ex æquo recte obire adfirmet? quis neget illum saepe in grauissimis esse negotiis quam ineptissimum?

Secundus
gradus.

§. 65.

§. 65.

Quod si doctrinam antecedentem & hic ad- Primus
gradus
gratia.
dicare vellem, plures designare possem gradus.
sed paucis, quid gratiæ sit specimen, indicabi-
mus. Qui sobrietati studet, eo potissimum im-
pulsu motus, ut precum studio vacare commo-
dius liceat, ad Seruatorem fundendarum, item-
que ne imparatus a iudice Christo, die extrema,
occupetur; gratiæ is stimulos sentit, quos iniicit
Christus monens: *Hütet euch, daß eure Herzen
nicht beschweret werden mit Fressen und Saufen,
und komme dieser Tag schnell über euch &c.*
Hæc enim doctrina de iudicio totius orbis vlti-
mo reuelata a gratia oritur, ut, quotquot inde
pendent, virtutum stimuli, gratiæ eidem adscribi
debeant. Omnium præclarissime, (nam plura non Secundus
gradus.
addam,) faciunt ii, qui, cum se templa Spiritus S.
inviolabilia esse cognoscunt, nolunt committere,
ut cœleste animi sui domicilium intemperantiæ
monstris aperiat, profanetur, sanctissimumque
& adorandum eiiciatur Numen. Gratiæ hic in-
stinctus, priori illo longe celsior, Paulo cordi fuit,
quem ingenerare suorum auditorum animis con-
atus est. Extat rei testimonium I. Cor. VI. 18. 19.
Prior gratiæ instinctus ex conatu detrimenta æter-
na vitandi oritur; hic autem ex amore nascitur
in Spiritum S. Semper vero præstantius est,
volere virtutem amore honestatis, quam malo-
rum metu.

§. 66.

Possem hic subsistere, nisi vnicum adhuc de- Novi offi-
ciorum
fontes.
siderium exponi par esset. Fuerunt iuris naturæ
docto-

doctores, fama & eruditione conspicui, qui totam illam disciplinam ex socialitatis regula mensi sunt. Recte illi quidem, si iuris naturæ ambitu, ethicam & theologiam naturalem excludunt, quarum illa de officiis erga seipsum; hæc autem de officiis erga DEVM præcipit. Utinam vero extitissent quoque, qui theologiam moralem docuissent, & exornassent methodo eadem! Possunt enim *ex socialitate christiana*, noua pro virtute argumenta depromi, eoque noua impulsuum gratiæ semina spargi. Quo namque lumen viuacius est; eo maiorem exercet vim. Præstat autem diuinæ cognitionis lux fulgidior, si nouæ in ea pie viuendi rationes distinguuntur. Ardua est ea via, quam non ingredior: dicam tamen, quæ eius species mihi e longinquo velut offeratur?

§. 67.

*Quomodo
a superioribus
referantur?*

Gratiæ motus, quos hæctenus indicaui, eiusmodi sunt, vt si vel vnicus in orbe christianus existeret, locum haberent omnes: atque, qui nunc sequuntur¹, non essent perculsuri animum, nisi reuelatum esset, Christi populum peculiari societate, eademque sanctissima copulari: speciem corporis humani referre, cuius membra articulo- rum apto nexu, concinnaque proportione ita contemplata, vt omnes omnium motus referantur ad communem finem Ephes. IV. 15. 16. Gal. III. 28. Exsurgit hic ordo admirandus, quem si ratio, quæ perspicientia nexus est veritatum, cognoscit, diuina luce collustrata iterum iterumque dici potest. Auget id gratiam
DEI,

DEI: quia noui ex christianorum socialitate pietatis accendendæ igniculi emicant.

§. 68.

Et principio quidem officiorum erga alios quosuis hi sancti fomites illinc petuntur, quos strictim nunc recensebo. Cœlestis illa christianorum coniunctio rite considerata obstat, quo minus, securo agendi more, occasionem cuiquam præbeas, temet imitandi. Id *σκανδαλιζειν* vocat scriptura: commendaturque illud consilium I. Cor. VIII. 9. Carnibus vesci licuisset, si extra sacram communitatem Corinthii fuissent constituti, in ea autem versantibus denegatum est, contrectare vllas. Fluit ex eodem fonte præstantioris officii necessitas. Mala aliis non inferre, quocunque modo, laudabile est; laudabilius autem, in malorum aliis illatorum calamitate, tristitia affici communiter. *Vbi dolore unum membrum affligitur, affliguntur omnia* I. Cor. XII. En fecundam societatis christianæ cogitationem! Posunt de aliorum aduersa fortuna dolore percelli, qui de eorum bonis nulla commouentur læticia: exsurgit igitur tertium, idque secundo præstantius officium, *gratias agere DEO pro aliorum christianorum donis. Vnum corporis humani membrum ubi gloria ornatum fuerit, ornantur omnia.* I. Cor. XII. 26. Videre licet promptos ad lætitiæ de rebus aliorum secundis societatem, tardiusculos autem eosdem ad promouendas aliorum opportunitates: ergo hoc iterum officio altius prouehimur, si adiuuerimus religionis socios, elemosyna, præclaro exemplo, doctrina.

Recensentur quidam.

Alter gradus.

Tertius gradus.

Quartus.

*In officio
erga se-
metipsum
primus
gradus.*

Succincto vtor discursu, pro ratione instituti. Firmatur etiam socialitatis christianæ assidua cogitatione gratia DEI in excitandis officiis erga semet ipsum. Enormia peccata cane peius, & angue vitare iubet, præclara isthæc socialitas. Paulus monet abhorrendum ab Esaui conscelerati exemplo, nullam aliam ob causam, quam quia non seruili cœtui, ad montem Sinaiticum perterrefacto, sed potius cœlestibus beatorum choris adscripti simus. O suauem! O dulcissimam cum cœli incolis coniunctionem! quis eorum consortia suorum criminum portentis contaminaret: Elicit vero eiusdem dulcissimæ memoria ciuitatis, amorem *decori christiani*. Hæc doctrina, quod sciam, penitus hucusque neglecta est. (107)

Secundus.

Est autem decorum christianum actionum pro indifferentibus habitatum genus, ad quas suscipiendas impellit ecclesia, præsertim in templis, vel & alibi mos & institutum. Quocirca intuitu christianæ socialitatis ecclesiæ decorum imitamur I. Cor. XIV. v. ult. publicos diuini cultus ritus & ceremonias obseruantes. (108)

Tertius.

Quid de *prudencia iustorum* dicam, quæ vel ex sola christianæ socialitatis cogitatione, & gratia, quæ inde pendet, formatur? *Omnia Paulolicita erant, nec tamen cuncta expediebant*, prudentia iuris abdicationem tantisper suadente. Nunquid ea locum haberet, si ex orbe tolleres sanctorum coniunctionem? Minime vero! (109) Est igitur arduæ indaginis doctrina. Coniuncti & cum angelis societate sumus, monente Paulo Ephes. I. 10.

atqui

atque decori studium prudentiamque postulat veritas ista ; aliter enim Paulus mulieris capitis tegumentum gestare non iussisset : angelos enim coram in cœtu sacro esse cognouit I. Cor. XI. Aliter Bileami pseudoprophetæ stoliditas tam grauis non fuisset , nisi angelus vna fuisset stultitiæ testis. (110) Inculta est , vt dixi , hæc de socialitate christianorum doctrina , quam aliis exornandam relinquo.

(107) Distinguitur hoc decorum a philosophico , de quo plura Thomafius in cautelis iurisprud. p. 385. seqq. quod ita describit : *Das decorum ist eine aus der Gefälligkeit entstandene Nachahmung derer Menschen von unserem Stande , die für die vornehmste und vortrefflichste gehalten werden , in dem Thun und Lassen , das denen allgemeinen Regeln der Ehrbarkeit , der Wohlanständigkeit , und der Gerechtigkeit nicht zuwider.* Plures distinctiones vid. ibidem. obserua tamen , hoc decorum esse politicum , eoque ab altero decoro philosophico , quod iuris naturæ est , de quo supra §. 54. discernendum. Breuius ita meo more inflecti definitio potest. Decorum est actionum indifferentium genus , cuius præbet motium , aliorum nostri ordinis , quos præcipuos putant , imitanda consuetudo. Corollaria definitionis vid. apud Thomafium cit. loc.

(108) Certe quidem fanatici publicas sacrarum solennitates fastidiendo parum decore faciunt , philosophis antiquis æquandi , qui nullam decori rationem habuerunt.

(109) Prudentiam hic stricto sensu intelligo , prout se ad alios extendit.

(110) Vid. in hanc rem II. Petr. III. 16.

§. 70.

Iudicet nunc lector beneuolus , num sterilis sit actionum , ex mouentibus argumentis , consideratio ? Certe , quidquid hæctenus de naturæ gratiæue interuallo disputauimus , definitionibus suffultum

84 *Cap. I. De usu philos. in doctrina de DEO,*
fultum est, quas illa idea pariebat. Alii secundum
obiecta actiones distribuere solent: num æque fe-
lici successu, videant ipsi. *Quicquid ego de præ-*
senti negotio differui, eo consilio differui, ut phi-
losophiæ, secundum recentiorum accessiones, in
theologia demonstraretur utilitas. Nunc con-
uertimur ad ipsam tractationem.

Finis discursus præliminaris.

CAPVT I.

DE

VSV PHILOSOPHIÆ IN DO- CTRINA DE DEO, SECUNDVM ACCESSIONES RECENTIORVM.

SECTIO I.

§. 71.

*Diuisio
tractatio-
nis in hoc
capite.*

Dabimus in quinque sectiones distributa,
quæcunque pro usu philosophiæ secun-
dum accessiones recentiorum, in do-
ctrina de DEO, strictim persequi decreuimus.
(III) *Prima* sectio expendit ambas, quæ re-
cens formatæ sunt, DEI definitiones. *Alter*a,
quid in existentia diuinæ argumento profici
possit, explanatur est. *Tertia*, quo fructu DEI
unitas probata sit, & ab ordinaria philosophan-
di methodo, & a recentiori, iusto examine
comparabit. *Quarta* iniiciet mentionem, quid
in doctrina de DEO infinito a nuperis præsti-
tum sit? *Quinta* denique notionis, quam de
san-

sanctitate DEI hodie formarunt, ostendet fecunditatem.

(111) Indicasse fontes vsuum sufficiat: corollariorum riuos aliis deducendos relinquimus.

§. 72.

Institutum igitur, vt duo agamus, per sectiones singulas deposcit. Primo vt abusu exprobratorum suspicionem amoliamur, post vt ex aduerso genuinum philosophiæ commonstremus vsu. Circa primum satis, vt opinor, perorata lis est. Quos enim viri docti abusus reprehenderunt hinc inde; ex recentiorum scriptis reuera exesse, tot apologiæ comprobant. (112) Nihil enim fere est publice desideratum, cui non satisfactum sit, & si maior animorum vtrunque certantium tranquillitas exstitisset, nullus dubito, futurum fuisse, vt horum dogmatum innocentia protinus agnita, fratres & religionis socii in mutuos amplexus ruisent. Sed humanum est contingere, quod contigit, vel mortalitati potius præsentis consentaneum, per omnia retro ecclesiæ secula, in agitatis contro-
*Diuisio
noua
instituti.*

(112) Recensionem plerorumque scriptorum eristicorum, quæ in vtramque partem agitata sunt, passim, vbi occasio fuerit, suscipiemus. Hic not. quod contra alteram DEI definitionem monuerint viri summi, Langius & Buddeus, maxima ex parte ab ill. Bilfingero dilucid. §. 423. discussa esse. adde die Anmerkungen über Herrn Budd. Bedenken: 2) nöthige Zugab. 3) klaren Beveeis euoluenda suo loco.

Dubia
circa de-
finitionem
primam.

Ne tamen id falso pronuntiasse videamur, quoniam de altera DEI definitione statuendum est, neruose contrahemus, quæ circa eam vltro citroque reciprocata sunt. Definitio DEI a Marpurgensi philosopho concinnata (113) hæc erat: *DEVS est substantia, qua vniuersa possibilis vnicò actu distincte, aut, si maior, adæquate representat.* Quid verba sibi velint, ex logica viri nominati iudicandum. Summus Ienenfis academix theologus (114) obuertit: *calculus ubi huic adiiciatur definitioni, secuturum, ut gradu duntaxat representandi supremum illud Numen a rebus conditis differat; quem adCUSATUS alter certiozem reddit,* (115) *secum Leibnitio monadibus, quæ vocant, vim percipiendi non tribuisse, quod verissimum est.* Vid. metaph. §. 598. Nec his diutius immorabimur. Sed quid de anima habendum? Num forsan ab ea gradu tantum DEVS differt, si pro substantia, mundos vniuersos repræsentante, habeatur? Neutiquam profecto! Inculcauit enim definitionis auctor, (116) *alteram representationem infinitam esse, alteram finitam: quis graduum duntaxat interualla, inter res ita comparatas, agnoscat? Spiritus finitus cogitat: (117) DEVS cogitat; nec tamen propterea gradu differt vterque: sed nec Cartesium huius erroris quisquam coarguit, quamuis ille spiritus naturam in cogitando posuerit.*

(113) In ratione prælect. Wolfianarum. Sect. II. C. III. §. 53. 54. p. 159. 160.

(114) In consilio, quod de philos. Wolf. datum est. §. 5.

(115) In annotat. ad consilium istud p. 40.

(116) Ibid.

(116) Ibid. cit. loc.

(117) Hanc fuisse Cartesii sententiam peruulgatum est.

§. 74.

Omittit celeberrimus Ienensis doctor respon- Vlterior
dubiorum
recensus.
sionem aduersarii sui, de discrimine inter repræ-
sentationem finitam infinitamque, eo scripto, quo
consilium suum primo defendit, (118) aliaque
examinanda obiicit: *substantiam*, inquit, sic Deum
vocari, ab eo, qui metaph. §. 114. *substantiam
omnium mutationum originem esse doceat*; DEum
vero mutationibus haud obnoxium, quis ignorat?
occurrit accusationi isthuic in additamento ad an-
notationes professor Marpurgens. (119) *Locutum
se in metaphys. de substantiis finitis, non de infi-
nita, quam variationibus cunctis superiorem esse,
exploratissimis ratiociniis demonstrarit.* Ea re-
sponse haud contentus famigeratissimus Ie-
nensis polyhistor, in nouo eodemque, vt vocat,
(120) *modesto argumento*, quo consilium suum
stare inconcussum contendit, suam reprehensio-
nem firmat: *non tradidisse aduersarium substan-
tiæ generalem definitionem: cum igitur DEVM
vocitarit eo nomine, aut male hanc DEO adpel-
lationem assignari, aut eum mutationibus affici.*
At responderi potest, neutrum imminere pericu-
lum. Quid obstat enim, quo minus substantiæ
vox, licet ante de creatis rebus enuntiata, eoque
non exposita generatim, alio sensu ad Numen si-
gnificandum transferatur? *talia sunt predicata,
qualia permittuntur esse a subiectis.*

(118) Vid. *Die bescheidene Antwort auf die Anmerkun-
gen Herrn Wolfens, &c.* p. 36. seqq.

(119) In der nöthigen Zugab zu den Anmerkungen. p. 102. seqq.

(120) Bescheidener Beweis, daß das Buddcische Bedenken noch fest stehe. p. 5. 8. seqq.

§. 75.

*Alia
sterum
dubia.*

Altera definitionis reprehensio grauior fuit: non complecti eam ceteras DEI virtutes: nec enim sola mundorum omnium representatione diuinum illud essentiae pelagus absolui: (121) non sufficere, quod in commentatione luculenta caussetur aduersarius, definitionem rerum discrimen exhibere; sed necessarium esse, ut res definitione collustranda, quoad fieri possit, omnium characterum indicio describatur. Quo cognito indignabatur aduersarius Marpurgenfis, & istas definiendi methodos improbat. (122) Displicuit etiam, sibi met affingi, perinde ac sic statueret, saluis definitionum legibus, ex parte (einiger massen) rerum discrimen posse exhiberi. Non diffiteor, me heic facere cum iis, qui demonstrationem (123) condituri definitiones tradunt, nonnisi vnum, sed primum, eundemque fundamentalem, rei characterem complexas. Nolo definitionibus intrudere rerum criteria quæuis, ne catalogi potius, quam definitionis faciem id, quod formamus, referat.

(121) Vid. Das Bedenken Herrn Buddei §. 5.

(122) Vid. Die Anmerkungen Herrn Wolfens dazu, p. 42. not. (n)

(123) Non improbo facultatis cuiusd. theolog. in academia antiqua inctum monitum, quo præcipuas rerum definitarum condiciones descriptioni inferendas putant: id enim fit in gratiam tironum. Nos autem loquimur de methodo demonstratiua, quæ vñ sunt recentiores nonnulli.

Lis hæc logica erat, quæ & in vltimis scri-
ptorum eristicorum paginis vltcrius haudqua-
quam agitata fuit. Illud autem dubium maximi
momenti foret, si, quod vult laudatissimus poly-
nistor, (124) definitio præsens aquam frigidam
illis suffunderet, qui *diuinam providentiam oppu-
nant*. Sensit rei momentum accusatus, quocirca
ac quidem responsione vsus est: (125) *se vel
maxime Epicurei definitionem adoptarent; nun-
quam tamen futurum esse, ut eius ope sententia
sua portentum colore quodam tingere, vel & sta-
bilire possent*. Instabat sequenti scripto definitio-
nis censor eruditissimus: *præclare facturum fuisse
duersarium, si ex definitione providam DEI cir-
ca res quaslibet curam, legitimo nexu elicuisset; et
difficile id omnino fore, nulla alia, nisi specu-
andi in DEO, per definitionem, facultate indi-
cata: providentiam DEI voluntate benigna con-
ineri; nunquam vero tutum esse ratiocinium hoc:
representat DEVS mundos omnes: ergo presentem
curat, fouet, sustentat. (126) Cui vero defini-
tionis auctor respondit: (127) *argumenti firmi-
tatem iam reapse in metaph. stabilitam, etiamsi
semo tam ineptus sit, quin videat, precipitem fore
consequentiam, nisi alia accedant, hanc: DEUS re-
presentat omnes mundos uno actu: ergo curam ge-
nit huius mundi. plura quippe eo requiri; nec in
mathematica licere tironibus tam esse precipiti-
us: ex definitione trianguli omnium consensu
robari, quod tres anguli simul sumti duobus re-
tis sint æquales; neque tamen consultum aut arti-**

*Nova
denuo
dubia.*

90 *Cap. I. De usu philos. in doctrina de DEO,*
consentaneum, concludere hoc modo: triangulus
tribus lateribus est conspicuum: ergo tres anguli
simul sumti sunt aequales duobus rectis &c. Se
 ne sic quidem satisfactum videbatur theologo Ie
 nensi doctissimo, qui tertio scripto (128) sequen
 tia monuit: *difficiliter persuasum iri atheo, quo*
representandi (cogitandi, intelligendi) vis cui
voluntate coniuncta sit: nisi definitionem dogmat
dubio. metaph. §. 878. &c. Quamvis & huic ter
 tio scripto aliud aduersarius opposuerit: cognou
 tamen, eum hæc omisisse aliis grauioribus respon
 sione discussis. Nos autem, mox de usu huius de
 finitionis, verba facturi, saluo prudentiorum cal
 culo, in id sumus incubituri, vt commonstremus
 cum repræsentatione voluntatem esse coniunctam
 Quod erudito doctori forsan si non probabitur
 certe tamen haud improbabitur.

(124) Vid. *Das Bedenken Herrn Buddei über die Wolfiansche Philos. §. 5.*

(125) Vid. *Die Anmerkungen Herrn Wolfens. p. 43. not. (1)*

(126) Vid. *Bescheidene Antwort auf Herrn Wolfens Anmerkung. p. 39. 40.*

(127) Vid. *Nöthige Zugaben. p. 108.*

(128) Vid. *Bescheidenen Beweis, daß Herrn Buddei Bedenken noch fest stehe.*

§. 77.

*Conti-
nuantur
dubia.*

Vrgebat & alia hanc definitionem dubitatio
 Secundo enim scripto desideratus est ordo. *Inde-
pendentiam DEI* (sic enim vocatur) *prius animi*
per definitionem ingerendam, quam representa-
tionem mundorum omnium. (129) Non defuit
 sibi & in hoc negotio aduersarius, hac vsus re-
 sponse: (130) *Independentiam posse quidem*
pra-

premitti, id quod ipse quidem in metaphys. §. 938. comparat. cum §. 1083. factitanerit: interim necessarium non esse, ut ex sola independentia probetur perfectissima representandi vis, cum nec Cartesiani independentiam DEI primam virtutem locauerint, in sua de rebus diuinis methodo. Improbatur autem & hæc ratio celeberr. Ienensium doctori. Quocirca tertio scripto eristico ita differit: (131) *independentiam esse rationem (der Grund) perfectissimæ representationis: hinc ab illa initium ratiocinandi capiendum. Nec huic eluendæ culpæ, quod alius in metaphysica ordo cooptatus sit, inservire.* Silentio hoc prætermisit in dem klaren Beweis philosophus Marpurgensis. Interim non difficile est, huic mederi morbo. Suorum ratiociniorum catenæ aliam inseruit definitionem definitionis auctoris præsentis: *DEVM esse substantiam a mundo distinctam, quæ rationem huius in se contineat: quæ verba, nisi me fallunt cuncta, ab illa, quam desiderant, independentia, prorsus non abludunt.* Præterea, velim haud grauate aduertant doctissimi definitionis censores: fundamentum demonstrationis suppeditare hanc definitionem, at in suo genere. Si quæstio formetur summam, quid sit id, quod vocamus DEVM? non male ad *independentiam* recurrimus, qua docemur generatim, esse DEVM talem, qui ex se habeat omnia. At vbi speciatim sciscitamus, quid igitur habeat? iudico fundamenti loco substernendam esse definitionem, de qua disceptatur: ea enim condocemur, quid supremum Numen possideat. Inprimis, sapientiam, scientiam,

92 Cap. I. De usu philos. in doctrina de DEO,
scientiam, & quæ inde intelliguntur, bonitatem
sanctitatem, aliaque generis eiusdem. (132)

(129) Vid. *Befcheidene Antwort auf die Wolfische Anmerkungen.* p. 38.

(130) Vid. *Nöthige Zugab Herrn Wolfens zu denselben.* p. 107.

(131) Vid. *Befcheidenen Beweis, daß das Bedenken noch fest stehe.* p. 65.

(132) Coniunxisse videtur vtramque notionem Buddeu theol. dogmat. p. 278. vbi DEVM caractere spiritu independentis ornat. Namque spiritus idea representationem, seu vim intelligendi, animo offert. Vid. ill Bilf. diluc. §. 423.

§. 78.

*Dubia
circa alteram
definitionem.*

Hæc disceptata fuerunt de Numinis definitione, quam dixi, in partem vtramque. Sequitur nunc, vt de altera dispiciamus breuiter: neque enim eam tot impugnatam telis cognouimus ac priorem. Dixi vero eam his propemodum verbis comprehendi. *DEVS est substantia in se continens rationem vniuersi.* Perreuerendus Hal. doctor Langius improbat definitionem discursu sequenti, cuius verba paulo prolixiora dabo: (133) *DEVS, inquit, dicitur substantia, in qua continetur ratio existentia vniuersi. Sed non valet definitio. Nam sic etiam anima hominis in hoc systemate describi potest; cum rationem existentia sua habere in aliquo, in hoc systemate nec sit nec esse possit, esse ab aliquo productum, & quidem per creationem ex nihilo; sed tantum versari in eiusmodi relatione ad aliquid, vt posito illo ponatur & ipsum. Vnde si hic inquiras in illam existentia rationem, quam mundus in DEO habere dicitur, aliam non deprehendis quam hanc, quod*
DEVM

DEus sit substantia, mundi representatiua, & quod hinc posita diuina mundi representatione, ponatur ipse mundus. Aliud enim est ratio existentia, quod aliquid existat; aliud causa existentia, scilicet effectrix, unde existat. Atque ita haec definitio recidit in priorem. Et eo etiam minus valere potest, quod quemadmodum in hoc systemate animae tribuitur natura vniuersi representatiua, etsi vniuersum ne quidem adesset, uti vult idealismus, sic etiam dici possit ac debeat, DEVM habere essentiam vniuersi representatiuam, seu specularem, etsi huius diuini speculi obiectum, seu mundus, ne quidem existeret.

(133) Legi haec verba possunt in noua anatome, seu idea analytica systematis metaphysici Wolf. p. 73.

§. 79.

Sunt viri huius optimi, aduersus examinatam definitionem dubia, dudum, alio quodam scriptore (134) stringente calamus, sublata. (135) Antea vero, quam alienas responsiones illegem, mentem declaro meam. Non cadit, meam enui sententia, definitio DEI, quod sit substantia, in qua contineatur vniuersi ratio, in animam hominis, quoniam ratio, non NB. cur mundus existat, sed cur hoc nec alio modo representetur? in anima contineri solet. Atqui philosophus DEVM non vocauit substantiam, in qua comprehendatur ratio representationis vniuersi, sed, in qua quaeri debeat, ratio existentiae eiusdem. Non video igitur, qui posthac obiurgari possit ea definitio? Adde si placet, quod, si quis DEVM, vniuersi causam, definire institueret, a nemine

Responsio:

nemine vnquam reprehenderetur; est enim e-
notio Spiritus S. in sacro codice loquentis, act.
XVII. 24. Iam vero definitionis auctor, causam
iure adpellat rem eam, *quæ in se alterius ratio-
nem complectitur.* (136) Ergo hæc ad summum
DEVM adplicando, palpabilem isthanc senten-
tiam præstitit, quod mundi causam neminem
veneretur nisi DEVM. Quæ cum ita habeant:
fateor, me cum viri summi verbis sequentibus,
facere non posse: *Vt, inquit, in hoc systemate ani-
mæ vis representandi tribuitur, etiamsi mundus
non existeret: sic DEVS etiam habere potest es-
sentiam vniuersi representatiuam, licet mundus
non existat.* Absente enim vniuerso corporeo,
anima id repræsentare, per hypothesein fieri ne-
sciam, docendi duntaxat cassua (137) tantisper
fingitur; reuera id contingere, nemini horum phi-
losophiæ asseclarum in mentem venit vnquam.

(134) M. Iō. Gottfred. Walthero *in den eleatischen Grä-
bern edit. prim.* p. 48. §. 46.

(135) Refutatus enim hic est ab ill. Bilfingero, dilucid.
§. 440. quem non nominauit.

(136) Metaph. §. 29. vbi distinguitur ratio a causa, tan-
quam *principium, ut quo, a principio, ut quod.* Intri-
catissima hæctenus fuit doctrina de causis, tum propter
distinctionum multitudinem, tum ob auctorum in diui-
dendo varietatem, tum denique, ob fœcundarum defi-
nitionum, ex quibus, de causis dicenda, sua sponte po-
tuissent fluere, inopiam. Perplacuit igitur auctoris de-
finitio, ut primum a me adspēta, examinataque fuit.
Videbar enim mihi ex ea elicere posse, quæ Musæus, in
cap. de causis, aliique paulo confusius & prolixius do-
cebant. Nihil derogo viris laudatissimis: potest enim
& Nanus gigantis humero insistens, longius prospicien-
do baiulum superare ipsum. Certe, ni veteres molem
scientiarum, licet hinc inde indigestam, nobis reliquis-
sent;

sent; potuissent recentiores, deficiente materia, vires experiri nuilas. Saluis igitur patrum laudibus, dicam, quomodo lux affundi possit doctrinæ de causis, adhibita fœcundarum definitionum, licet paucarum, perspicuitate. Breuibus defungar negotio. Præstructa generali, Marpurgenfis philosophi, definitione, quod *caussa sit id, quo alterius ratio contineatur*, iui per singulas caussarum species, & haud sterilem inueni doctrinæ adplicationem. Si *ratio, cur quid existat, in actione alterius querenda, hoc adpellatur caussa efficiens*. Vid. Thümmig. ontol. p. 63. Sed reliquas definitiones prætermiserunt recentiores, nunc supplendas. Si *ratio actionis ex cognitione adpetituque agentis oriatur: habes caussam impulsuam, eandemque internam*. Sin autem *huius adpetitus ratio, obiecto quodam comprehendatur, extra agentem sito; vocatur illud caussa impulsua externa*. Sic reliqua caussarum genera persequi licebit. Nam quoties porro, *ratio, cur quid existat, aut non in actione, aut non in intentione agentis ponitur, appellamus id agens, caussam per accidens*. Quandoque autem *ratio, cur quid hoc, aut illo modo existat, contineatur necessariis characteribus, (determinationes alii vocant) qui in re qualibet primo concipiuntur; in caussam formalem incidimus*. Contra *id, quod characteribus istis afficitur, caussa materialis adpellari solet*, quo pluribus paucioribusue determinationibus indiget; donec effectus prodeat, eo *materia isthæc propior, aut remotior* vocatur. Sic frumentum panis materia remota est, propterea quod plurium generum determinationes (vicissitudines) frumento subeundæ sunt, donec existat panis. Denique, si *ratio, cur efficiens agat, in bonitate rei cuiusdam versetur; finalem caussam agnoscas, necesse est*. Sed non scribo metaphysicam: filum duntaxat Ariadnæum ostendo, cuius ductu, auctorum tricis, queis hanc doctrinam inuoluerunt, memet exsolui. Igitur ad rem! si DEVS substantia vocatur, quæ contineat in se rationem, cur existat vniuersum: profecto id de nullo caussarum genere intelligi potest, quam quidem de efficiente, id quod methodus, ex mundi adpectu DEVM inuestigandi, commonstrat. Sin instituat examina, numquid mundus ab alio oriatur, nec ne? Quæso an id agitur, vt inuestigetur adpetitus, cuius nisu creandi actio susce-

pta,

pta, id est, causa impulsiva? ut inquiratur, quinam characteres primum sint in mundo concipiendi? id est quæ sit causa formalis? ut excutiat, cuius præstantia causa extiterit mundus? id est, quæ causa sit eius finalis? haudquaquam eo consilium spectat; quin potius satisfactum est quæstioni tum, quum dixeris, *in actionem* supremi cuiusdam entis rationem, quare existat mundus, positam; atqui ea est creatio DEI, quæ auctoris mundi existimationem titulumque, verissime dictum, eidem conciliat. Ut omittam hac vice, definitionis inuentorem, disertis verbis innuere, metaph. §. 951. quod ratio mundi existentis de efficiendi euentu intelligenda sit. *Ist der Grund, inquit, in Gott zu finden, warum diese Welt vor andern ihre Wirklichkeit erreicht, ist auch eine Welt vollkommener als die andere; so kan dieser Grund in nichts anderem bestehen, als daß die grössere Vollkommenheit Gott bewogen hat, die eine vor der andern hervor zu bringen.* Vid. etiam Riebouij *fernere Erläuterung* p. 427.

(137) Respondet ipse philosoph. Marpurg. ad hoc ratiocinium, in annot. ad metaph. p. 444. edit. prim. §. 286. *Wenn die Seele, inquit, alles ausser sich sehen würde, obgleich keine Welt vorhanden wär: würde doch deswegen den Idealisten nicht eingeräumt, daß die Welt nicht wirklich vorhanden seye, &c.*

§. 80.

*De usu
definitionum.*

Omissis reliquis, quæ ab aduersa parte, definitionibus hisce duabus, fuerunt opposita; pleaque enim ad viuum vsque, ut ita loquar, resecta sunt: (138) conuertimur ad indicandum usum, quo definitiones ambæ, sanctioribus doctrinis, cum successu adhiberi possunt. Insuper nimirum vtraque confirmandis DEI reliquis virtutibus (adtributis) nec ipsa etiam voluntate de qua tanto dubitabant opere aduersarii, exclusa. Ibimus in rem præsentem, specimine crassa licet Minerua concepto; neque enim hic

ex instituto accuratius exponendis suppetit tempus. Posse ex definitione, qua non comprehenditur, nisi intellectus mentio, voluntatis argumentum desumi negabant doctissimi Halenses & Lenenses theologi. (139) Videamus, numquid factu sit id impossibile?

(138) Magister quispiam Wirtembergae *Io. Fr. Müller* integrum librum confutandis reu. Langii contra Wolfium scriptis impendit, vindicauitque eodem instituto definitiones praesentes, in quo, sicut pleraque verissime dicuntur, sic pauca absque affectuum æstu. liber inscribitur: *Sicheres Mittel &c.*

(139) *Befiehe die bescheidene Antwort auf Hn. Christ. Wolfens Anmerkungen zum Buddeischen Bedenken p. 39. Es soll ihm (Hrn. Wolfen) wohl schwer werden, eine demonstration zu machen, daß eine Göttliche Vorsehung sey, wenn man sich von Gott keinen andern Concept machet, als daßer speculire, und sich alle Welten auf einmal vorstelle.* Sed vid. ill. Bilfinger. dilucid. §. 424.

§. 81.

Obseruarunt definitionis promachi generatim, (140) cum omnia in DEO sint *tauto* & dem, communi theologorum & philosophorum sententia, omnia DEI attributa posse ex omnibus intelligi; idque est multo verissimum. *ostenditur connectio intellectus diuini cum voluntate.* *Bin v. g. DEO distinctissimam possibilitatem omnium representationem, id est, immensam, nullo gradu limitatam adsignes: perfectionem statuis numeris absolutam omnibus, nullis cognoscendi cancellis, nullis finibus circumscriptam. Iam rogo te, dummodo principium sufficientis rationis uniuersale concesseris, quæ ratio sit, cur hæc summa perfectio existat, numquid ab alio uerit orta, an vero in se contineat existendi*

G

ratio-

rationem? Profecto non dixeris, stabilitam isthanc perfectionem ab alio. Quodsi enim ex alio fuisset nata: infinitum ab infinito penderet; quod est absurdum. Igitur infinita isthæc cognoscendi vis rationem existendi habet in semet ipsa. Iam temet obtestor, annon theologi & philosophi omnes ex notione rei, quatenus existendi rationem in semet ipsa habet, omnes DEI virtutes deriuent? si immensa illa scientia non est ab alio; quis ei limites posuit, ut in hoc tantum genere (cognoscendi) sit perfectissima, nec etiam in alio foro? (in voluntate, in operatione) an ratio adest, quæso, cur in vno longe consummatissima sit, nec vero in altero? profecto non adest. Ergo, ne quid sine ratione existat, fatendum est illis omnibus, quotquot hanc immensam cognoscendi vim concedunt, esse eam cum voluntate, cum operatione &c. coniunctam. Quicquid hic regefferis, id omne pugnabit etiam contra theologos philosophosque, qui ex idea independentiæ qualibet DEI virtutes commonstrant. Nunc quoniam vis ea cognoscendi non existere potest nisi *a se*: in simili casu, similis est pronuntianda sententia. Sic ego, quæ ill. Bilfingerus, (141) ceterique omnes sine argumento pronuntiarunt, ratiocinio, ni fallor, irrefragabili firmandum suscepi. Desinant ergo tandem tot suspicionibus onerare præsentem definitionem.

(140) Verba ill. Bilfingeri hæc sunt dilucid. §. 425. *Si recte rem reputes; certum est, ex omnibus Dei attributis deduci cetera omnia posse; hoc, oportet, fateantur illi omnes*

omnes, qui in DEO fatentur omnia esse identificata, hoc est, omnes theologi & philosophi. argumentum positionis nusquam adhibuit.

(141) Ill. Bilfingerus c. l.

§. 82.

Cum hæc adeo in promptu sint posita, ut disputatione propemodum egere non videantur: *Ostenditur cardo* cardo controuersiae omnis non in eo iam amplius vertitur, an ex infinita vi cognitionis voluntas probari queat? sed ex quam Dei virtute *quæstionis.* facilius, commodius & planius ceteræ omnes intelligantur? id est, quænam in supremo Numine, ceteris exponendis substernendæ? Si in genere respondendum fuerit, dico primam DEI notionem esse hanc, *ut non exstiterit per alium quemvis.* Tum enim demonstratur, ornatum esse DEVM virtute omni. Cum autem speciatim quæsiueris, quibus igitur virtutibus resplendentem DEVM cernere liceat? respondeo, primam ceterarum velut matricem esse incredibilem isthanc cognoscendi vim. Ne dicas voluntatem sic silentio prætermitti: iubeo enim te in memoriam redire eorum, quæ paulo ante docuimus. tamen cetera negligam, quæ dici possunt: illa via definitionem erroris labe exsoluam. Exrobratum est, *stante ea non esse nos de prouidentia certos, non de creatione, inanem DEI speculationem solatio vacuum esse &c.* (142) dicam igitur, quomodo suos calculos recentiores subducant, quidue innuant potissimum? idue faciam eo ordine & modo, qui & nouus uideri possit, & ab aliis huius philosophiæ ex-
G 2 perti-

pertibus, intelligi; non immemor tamen cautionis, quam hic adhibendam rentur, ne scilicet quisquam credat, *quod ex hac sola definitione, non adhibitis aliis veritatibus, virtutes DEI reliquæ, non exclusis operationibus, possint demonstrari* (143)

(142) *Besiehe Herrn Langens bescheidene Entdeckung von der Wolfschen Philosoph. p. 253. §. 7. seqq.*

(143) *Est monitum ill. Bilfingeri dilucid. §. 424. hæ notiones, gubernationis & creationis, resoluuntur in notionem entis intelligentis, atque adeo ab illa pendent, sed non sola aut immediate.*

§. 83.

*Definitio-
num ne-
xus cum
DEI at-
tributis &
operatio-
nibus spe-
cialis.*

Exordiamur filum ratiocinii, brevissime tamen, nec ad instar demonstrationis, sed crassiuscule pertexendum. Quicquid est necessarium, id rationem sui habet in se ipso, metaph. W. §. 675. atqui nullus mundi status habet rationem sui in se ipso: ergo nullus est necessarius. Secundæ propositionis veritas ipso usu comprobatur. Quodcunque momentum concipias, habet rationem in alio antecedaneo: si non haberet, existeret casu. *Casus enim est existentia sine ratione*: Omnes status mundi simul considerati, sunt mundus ipse; atqui eorum nullus est necessarius: ergo nec mundus. Si neges concludendi vim: dicendum est, posse ex partibus, quæ non sunt necessariæ, componi totum necessarium; sed id contingere nullo pacto potest. Ergo nec illud. Fingam tamen tantisper id fieri, ut ex statibus mundi, quorum nullus necessarius est, coeat mundus necessarius: tum ratiocinationis necessitatis in partium collectione posita foret quoniam

quoniam partes per se mutabiles, hoc tantum, nec alio confluxu possent coalescere: fieretque id propterea, quod quædam partes, necessariæ manentes, obstarent, quo minus alia oriretur compositio, licet aliæ variabiles essent. Sed id a vero alienissimum est. Quamcunque mundi vel partem, vel statum cogites, semper variabilem inuenies. Sin igitur omnes sunt mutabiles; omnes sunt contingentes: cumque omnium complexus mundum exhibeat; mundus ipse est contingens. (144)

(144) Confer. quæ prolixius, & alia methodo in sententiam hanc philosophatur ill. Bilſing. de orig. mali. §. 369.

§. 84.

His, rudi penicillo delineatis, cognoscitur, mundum esse contingentem, ac sui quidem, quod ipsa præſens notio indicat, rationem habere in alio. Metaph. W. §. 575. Nunc quæritur, quis ille sit? Aut & ipse ab alio nascitur, aut existit per, & propter se. Illud sin affirmaueris: eadem quæstio recurrit, & sine fine quidem: neque enim respondendo quidquam profeceris. *Eadem te quæstio præcurrit.* Agnoscendus igitur est talis mundi auctor, qui per & propter se existat, idemque a mundo diuersus, cuius omnes partes alias ab aliis oriri, paulo ante docendo euicimus. Habes igitur definitionem DEI recentiorem. *Deus est substantia a mundo distincta, quæ rationem huius in se continet.* Aut hæc ex adſpectu mundi veritas colligitur, aut nulla.

*Continuatio
seriei
illius.*

Conti-
nuatio.

Quæ, cum ita sint, ratiocinando ultra pro-
uehemur. Si mundus est a DEO: aut sui ra-
tionem habet in eius existentia, aut in quadam
illius actione. Caue primum dicas. Quicquid
enim a se est, illud intelligitur necessarium: &
quicquid ab existentia necessarii pendet, eodem
censu habetur: ergo in contingenti Numinis
actione ratio mundi quærenda. Mundum pro-
bauit contingentem, eoque & alios possibles
præter hunc. Actio, qua ex plurium numero
possibilium, alterum antepositur alteri, electio
vocatur. Cumque ab actione, ad potentiam
agendi, consequentia valeat: perspicuum est,
mundi auctorem eligendi facultate præditum esse.
Eam voluntatis nomine insigniri multo est tritis-
simum. Habet igitur mundi artifex voluntatem.
Aut hanc cœcam dixeris, aut cum cognitione
coniunctam: improbatum iri istud nullus dubi-
to. Est igitur amplectendum posterius, *volunta-
tem DEI cum cognoscendi vi copulatam esse.*
Vult igitur DEVS, & cognoscit hunc mundum.
Sine ratione eum velle haudquaquam dixeris.
Igitur ratio est petenda ex cognitione mundorum
omnium, inter se collatorum, vt quisnam alteri
præferendus sit, potuerit decerni. Omnium vero
possibilium cognitio argumento est scientiæ im-
mensæ: cadit igitur in DEVM distinctissima
mundorum omnium repræsentatio, id est
omniscientia, quia rationem mundi in se con-
tinet.

§. 86.

At enim, sic prius voluntas in DEO demon- *Occurri-*
tur dubio.
stranda erat, quam quidem vis cognoscendi. Sed
salua res est. Annon rationem voluntatis peti-
mus ex intellectu? nihil enim quisquam vult,
nisi cognitum prius. Est igitur in methodo
analytica, quæ argumentandi initium ab experi-
entia sumit, vt hucusque factitauimus, incipi-
endo ab obuiis sensui in mundo mutationibus,
est, inquam, voluntatis cognitio prior, quo-
niam a *principiatis* pergimus ad *principia*: at vbi
methodum syntheticam secuti descendimus a
principiis (definitionibus) ad *principiata*; intel-
lectus ideam priorem esse, luce meridiana clarius
est. Quis enim nescit, definitiones & proposi-
tiones (identicas sic enim vocant) principiorum
loco haberi?

§. 87.

Series igitur demonstrationis exurgit a de-
finitione intellectus, quippe qui rationes volun-
tatis in se complectitur. Quis igitur dicat, eum
ab hac ita separari, vt non adscribatur DEO nisi
speculandi facultas? quis iure hanc methodum
obiurgauerit? Minuant igitur censores laudatis-
simi, quod in hanc definitionem conceperunt,
odium; intelligantque, quam illa rebus expli-
candis præsentibus adcommodata sit. Etiam si
enim probandæ DEI existentix non inseruiat,
quod nec necessum est: facit tamen ad demon-
strandas ordine affectiones DEI omnes, in con-
siliu auxiliumque vocatis, cum quibus con-
nectenda

Nouum
argumen-
tum, quod
Dei intel-
lectus vo-
luntatem
indicit.

104 *Cap. I. De usu philos. in doctrina de DEO,*
 necesse est, ceteris veritatibus. *Vbi sunt motiua adpetendi, eademque cognita: ibi, quum grauiora argumenta non obstiterint, non potest non sequi adpetitus: esse vero in immensa, quam indicat definitio, cognoscendi vi, motiua adpetendi omnia, queis grauiora obsistere non possunt, quia omnia sunt, paulo ante iuimus demonstratum, §. 35. Non est igitur, cur quisquam dubitet, cum ea semper voluntatem coniunctam esse, nec non ex ea posse comprobari. (145)*

(145) Habes hic argumentum verborum, quibus ill. Bil-ling. vtitur dilucid. §. 424. *Vim infinitam intelligendi posse consistere in ente voluntate destituto, ego non admitto: superfedebat enim probando.*

§. 88.

An ex definitione prouidentia DEI probetur?

Ita voluntatem, quod quæstionis caput erat, ex definitione vtraque probauimus. Sed quid de prouida DEI circa vniuersum cura, habendum? forsan ex definitionibus saltim hæc evincere nequit? absit longissime! primo quidem *creatio*, quid aliud est, quam *actio DEI, qua ratio coninetur existentis vniuersi?* atqui diuina actione rationem vniuersi comprehensam §.85. ostendi: ergo & creationem diuinam eodem demonstravi negotio. Si DEVS res creat: conseruat quoque. (146) *quid ita?* inquis. Ratio est in promptu. Vbi primum res ex nihilo emicuit, rationem existentiaæ accepit ab alio. Sic enim modo obtinui arguendo. Numquid vero, secundo creationis, tertio, quarto &c. momento incipit esse a se? num, quoniam rationem existendi, prima vice, ab alio sortita est, secunda, tertia

tertia &c. non amplius ab alio habet? quis hoc dicat? desineret enim res esse quod est, dependens; quod absurdum. Ergo per omnia durandi momenta, tam ab actione alius pendet, quam in primo. Cumque ab actione alterius existentiam accepisse creationem significet; non solum res conseruatur, sed continuata etiam creatione subinde denuo efficitur. Quæ ipsissima theologorum omnium, ecclesiæ protestantis, nec non philosophorum sententia est. Quid de concursu, quem vocant, loquar, quo DEVS rerum creatarum actiones nutu potentissimo velut animat? est in rebus creatis agendi vis; est & virium illarum ad certa, quæ obuersantur, directio. Vires *positivas* vocamus; directionem, qua hac tendunt nec illac, limites vocare sueuerunt. *Actio enim rerum creatarum terminatur ex obiecto.* Qui immensa operandi vi pollet T. O. M. DEVS, eius actio omnibus efficiendis, (147) idque vno nutu, idonea est. Directio est virium lines; præstat enim, vt huc extendantur, nec aliorsum, vt hac nec ultra. Nunc quæritur, an vis illa agendi *ab alio sit?* est utique. idem ille, qui te existentem exhibuit, præstitit quoque operantem, id est, ille concurrat ad conseruandam tuam agendi vim. Directionem non addit, nisi primo momento, eamque in bonum spectare iubet. In secundo momento, vim conseruat; directio autem pendet ex statu priore, & sic porro; nisi forte necessarium fuerit, quod fit in regno gratiæ, vt noua operatione dirigenda vis sit ad virtutem christianam. Est ergo DEI

106 *Cap. I. De usu philos. in doctrina de DEO,*
ad actiones concursus, si rationem quidem con-
tinet, quare vniuersum existat. (148) *En fecu-*
ditatem definiticnis controuersa!

(146) Quantum religionis momentum in prouidentia-
tum sit, Bayle declarat dictionaire edit. Basil. p. 180
quod mirum videri potest.

(147) Potentia DEI ad omnia diffunditur, neque ad ce-
ta dirigitur, ceteris exclusis. Directio igitur non e-
actio, sed actionis limes, quia a DEO exulat. Confera
ill. Billing. de harmon. præstab. §. 55.

(148) Absum a Durandi sententia, qui DEVM creat.
nonnisi facultatem concessisse docet, neque putat con-
currere ad actiones in indiuiduo. Primo enim multum
interest inter agendi vim, & potentiam; post obseruan-
dum, DEVM actionibus quoque in indiuiduo non dees-
se. Licet enim non concurrat ad actionis directionem
id est, limitem: confert tamen operationem suam a-
vim, quæ aliquid in rerum natura ponit, non, uti limes
negat. Atqui in qualibet actione singulari vis exeritur
ergo & ad quamlibet singularem DEVS accedit, vni su-
stentando.

§. 89.

Quod de vna definitione ostendi, ostendam
quoque de altera. Nec illa sterilis est. *DEVS*
adpellatur substantia, distinctissime pernoscens
possibilia quæuis. Atqui §. 85. probaui, eundem
illum, qui vniuersi rationem in se contineat, pol-
lere etiam vi intelligendi immensa: (ad omne
possibile cognoscendum) ergo, qui omnes mun-
dos distinctissime repræsentat, est auctor mundi.
(rationem huius complectitur) qui auctor mun-
di; is creator. qui creator: is conseruat exsi-
stentiam rerum. qui conseruat existentiam rerum,
actiones quoque earum sustentat. *Hæc omnia*
paulo ante connexa esse ostendi. Cur igitur nega-
remus,

*Num ex
altera
etiam de-
finitione
probetur
prouiden-
tia.*

emus, posse ex vi repræsentandi mundos omnes, ceteras DEI virtutes intelligi? At enim non elici eas ex sola definitione, nec absque alterius veritatis subsidio, non sum argumentatus: *Deus omnes mundos distinctissime repræsentat: ergo stator potens, voluntate præditus, rerum conditarum arbiter, virium agendi diribitor est*: Sic ita sane! non ita arguebam, sed nec volebam, nec (149) debebam id facere: nulla ergo inde culpa mihi imputari potest. (150)

(149) Monitum consulto secutus ill. Bilfingeri dilucid. §. 424. suadentis, ne ex repræsentatione mundorum omnium sola aut immediate DEI regimen inferatur.

(150) Ex idea substantiæ, quæ rationem mundi contineat, probavi DEI creationem, conseruationem, concursum, §. 88. Cum igitur idem Deus repræsentet omnes mundos, §. 87. interuentu illius definitionis possunt ex hac erui, quæcunque aduersarii negabant.

§. 20.

Puto ita satisfactum esse desideriiis eruditissimorum dissentientium, qui, cum nemo ex recentioris philosophiæ patronis, ob instituti rationem (151) doceret, quomodo ex definitionibus indicatæ veritates consequerentur, eo tandem leuenerunt, vt crederent, id fieri prorsus non posse. Atqui fieri id potuit; aliter a me factum non esset, imo vero id factum etiam tum est, in fundamenta rei hinc inde iacta, in ill. Bilfingeri aliorumque scriptis, spectes. At non debuerunt enim enuntiare *hac methodo, his additamentis*, quoniam alio consilio, alia occasione scribebant: sunt ob eam causam excusandi, laudandi. Credo etiam, me vano promissorum adparatu lectorem non

*Epilogus
sect. I.*

non elufisse. Pollicebar doctrinam nexus, quo principæ DEI virtutes operationesque cum definitionibus reprehensis coniungerentur, stetero promissis, omnia, sed breuiter ex definitionum harum fontibus hauriens, quæ alii hauriri posse negabant. Si errare me dicas: necessitas tibi imposita est ostendendi, me in illo nexu explicando sophismatibus, vel falsis doctrinis usum, id est, me *in forma vel materia* ratiociniorum admisisse errorem. An id fieri possit, dubito. Stat igitur firmataque sententia, velut Marpesia cautes, definitionum, quas frequentissime dixi, *usum in theologia esse longe maximum*: id autem scribendi consilium respondere, manifestum est.

(151) Wolfius in der Zugab zu den Anmerkungen, i loquitur: *Daß man vermeynt, ich hätte, um Hrn. Bursdens Beschuldigung zu heben, von der deutlichen Vorstellung aller Welten auf einmal, die theologiam naturalem (adtributa, Vorsehung vnd Schöpfung) deduciren solle: so darf man nur lesen, was ich in der Erinnerung wegen der Einwürfe §. 10. geschrieben, daß dergleichen Leute die das Lehrgeld mit Schimpfworten abtragen wollen nicht werth sind, daß man sie ununterrichtet &c.* Nec Riebou. nec ill. Bilfinger. ex instituto voluntatis, operationis &c. nexum cum definitionibus ostenderunt, contenti dubiorum solutione, & generali rerum indicio. Vid. Riebou. in der ferneren Erläuterung p. 222. seqq.

SECTIO II. CAPITIS I. DE EXSISTENTIA DEI.

§. 91.

Transitus. **E**Xsequuti sumus institutum de iis, quæ pertinent ad sectionem primam; promoti ad secundam gradu, dispiciemus, quid in probando
DE.

DEI existentia philosophi, maxime recentiores, præstitierint? Primo quidem tantum abfuit, ut proximam in hoc negotio operam hos nauasse nonnulli existimarent, ut potius ab ipsius atheismi abe non exsoluendos contenderent. Exprobratorum igitur atheismi criminum prius faciemus mentionem, quam ad ostendendam recentiorum doctrinæ progrediamur utilitatem. Cogamus in ærctum, quæ viri præstantissimi vltro citroque agitarunt. Displicet excellentissimo Ienensi theologo, quod solidissima, quæ vocat, pro existentia DEI argumenta damnauerit aduersarius. (152) Cui philosophus occurrit, hiatu laborare concludendi nexum, nec rationi consentaneum, ut, qui vnum argumentum ceteris anteponit, atheismo latam recludat portam. (153) Addit, se ceteris missis, non plane contentis, propterea in vnum duntaxat ratiocinium propendere, quod istud extra telorum ab atheis vibratorum iactum esse sibi videatur; quin monet, se in commentatione luculenta §. 34. p. 5. seqq. docuisse, quomodo & cetera argumenta, si mens non leua sit, ad ingentem demonstrandi vim reuocari queant: iniquam igitur atheismi exprobrati criminatio-nem esse. Cum eodem loco summus Ienensium theologus vrgeret, etiamsi aduersarius quendam ratiociniis pro existentia DEI usum in monito ad comment. §. 2. non deneget; tamen id magni faciendum non esse, quoniam vel probandi robore, quod aduersarius in argumentis desideret, polleat, vel eodem careat: sin hoc, frustra fuisse argu-mentis illis tot opposita dubia; sin illud adfirma-uerit,

Dubia
contra
argumen-
tum de
contin-
gentia.

Responsio. *mentem philosophus, habere ista argumenta usum in suo genere, ad probanda DEI attributa: in existentia DEI commonstranda parere duntaxa certitudinem (sic enim vocauit) moralem.*

(152) *Besiehe das Bedenken des Herrn Buddei über die Wolfianische Philosophie §. 1.*

(153) *Besiehe die Anmerkungen Herrn Wolfens p. 12 - 18.*

§. 92.

*Iterata
dubia.*

Non deerat sibi, secundo, quo consilium tuebatur, scripto celebris theologus, qui iterata vice hæc regessit. *Falso causari (154) aduersarium tot in argumentis pro existentia DEI ceteris difficultates: nam etiamsi ratiocinia quævis, ab ordine, & structura uniuersi desumpta niti rerum ordinatarum contingentia soleant; tamen inde disputationem, contra atheum susceptam, non fore iusto prolixiorum; cum & in aduersarii de contingentia argumento non minus probandum sit, quod res contingentes sint, quam in ratiociniis, ab ordine & structura mundi depromtis, quæ utique rerum contingentia superstruantur: subiicit vir longe doctissimus, quoties de mundi ordine a probaturis DEI existentiam instituat sermo, intelligi ordinem physicum, qui, cum contingens & exquisitissima sapientia stabilitus sit, auctorem omnino arguat, firmumque præstet ratiocinium: Vbi ordo, ibi ordinans. Non igitur ratiocinium niti præmissa falsa, quod aduersarius caussetur, in rat. prælect. p. 155. §. 42. Subiunxit dein vir summus quædam de discrimine inter demonstrationem mathematicam &*

philo-

philosophicam, quam aduersarius confuderit, quæ
gomet non intellecta recensere nolo.

(154) Vid. Buddei *bescheidene Antwort auf Wolfens Anmerkungen* p. 11 -- 15.

§. 93.

Quæ fuerit ad hæc Marpurgensis philosophi *Responsio.*
uplicata responsio, iamiam videbimus: *mirari*
, cur difficultates, præter necessitatem, argu-
entis opposita fuisse dicantur, cum easdem diffi-
cultates & ipse Ienensis theologus alio libro ratio-
niis pro existentia DEI obuerterit, atque e. g.
tro fuerit professus philos. theoret. P. VI. c. 3.
4. p. 359. quod in disputationibus contra atheos
gumento ex notitia insita deprompto non sit
endum: concedi, quod ceterorum ratiocinio-
m vis in contingentia ponatur, eo ipso autem
n dissimulari, recte a se factum, qui argumen-
ceteris missis huic uni insliterit; imo, si fa-
nte theologo, cetera argumenta non probent,
si adhibito contingentia documento; cur vete-
is, quos defendat, ea methodo non sint usi? quem
im unquam in ratiociniis a finibus, ordine,
uctura uniuersi deriuatis ad contingentiam
ouocasse? nec ipsum theologum in philos. theo-
t. part. 6. c. 3. §. 9. p. 361. 362. quam nunc
ceatur, contingentiam suis argumentis præ-
uxisse; imo nec in thesibus quidem atheismi,
si ex instituto atheos impugnauerit. Cum igitur
contingentia hætenus non distincte cogitatum
: laudes, non vituperia, sibimet deberi, quod
gumenta emendauerit. Hucusque generatim
iomatis loco, dubio omni maioris, fuisse ad-
optatum

optatum illud: ubi ordo, ibi ordinans; a se autem, quod ex mathematicis instantia dari possit cautionem adhibitam, ostensumque fuisse, ubi a minore propositionem descenderis: atqui in mundo presenti est ordo: confugiendum ad contingentie argumentum, in quod tandem vi omnis probandi erumpat. addit, quod gravissimum mihi visum fuit, theologum Ienensem quidem argumentis, ab ordine & structura uniuersi petitis, medicinam adhibiturum, se mouente, fuisse, praestructa, illis fulciendis contingentia ordinis in uniuerso; at non docere hoc modo suis doctrinis consentanea, quippe qui philosoph. instrument. P. IV. C. 3. §. 9. p. 283. natura ordinem necessarium pronuntiauerit, afirmando, quod, quicquid naturae ordine fiat, necessario fiat &c. &c. (155)

(155) Legi haec omnia possunt in der nöthigen Zugab zu den Anmerkungen über Hrn. Buddei Bedenken p. 74. sequentibusque.

§. 94.

Lis continuata ex parte una.

Nondum hoc loco contentio ista substitit ulterius, tertio scripto eristico, dubia sua urgente theologo Ienensi. (156) Vti in aduersarij ratiocinio, propositio minor, quod scilicet mundus contingens sit, veniat probanda: sic in argumento, ab ordine rerum petito, a minore propositione, ordinis obuii contingentiam commorstrandam: quo pacto non destituantur usu ratiocinia, ab aduersario improbata. Repetit deinde vir summus, quæ de ordinè scripto dixerat secundo: nimirum eos, qui argumento, ab ordinè uniuersi

uniuersi desumpto, utantur, non intelligere nisi ordinem rerum naturalium, ex hoc, utpote contingenti, legitimam necesse esse ad presentiam auctoris consequentiam. Tertia tandem vice calanum strinxit philosophus Marpurg. longeque alia disputandi methodo usus, aliam controuersiae faciem formauit. Nimirum theologi Ienenis accusatione, quam in consilio suscepit, repetita, rationes viri præstantis subiecit, quibus ista uiteretur, eo consilio, ut rationum infirmitatem, uorumque dogmatum palpandam præberet ueritatem. Subiunxit etiam subinde quæstiones, ad quas ex instituto uoluit, ut sibi respondeatur.

(156) Vid. den bescheidenen Erweis, daß das Buddeische Bedenken noch fest stehe. p. 35. 36.

§. 95.

Quærit enim, cum insolens argumentorum pro existentia DEI contemptor adpellatus fuerit: Ex altera
 (157) an isthac criminatio: exinde possit probari, quod ex uniuersi ordine noluerit ducere argumentum, donec prius contingentia ordinis demonstrata sit? (158) an ex eo firmari queat, quod noluerit ex finibus rerum ad existentiam DEI arguere, ne committatur petitio principii, allegando fines pro ratione, quibus conclusio supponitur? (159) Annon ex ratione prælect. §. 36. p. 153. pateat, consilium philosophi fuisse, non destruere ratiocinia, sed inuicta robore firmare, et ex omnibus eligere argumentum efficacissimum, ad firmandam uictoria certioris contra atheos ueritatem? cur igitur contemptor uocetur? cur tot cri-

minationibus exponatur? Fateor, hæc talia mouisse. Theologi Ienenses Halensesque suspicione atheismi onerabant philosophum Marpurgensem, allegata ratione, quia missis omnibus argumentis, in uno, (de contingentia) colloce fiduciam. Cum ad certamen de neglectis a philosopho argumentis peruentum: facti sunt ipsi contingentiam ceteris argumentis prastruendam perperam tamen egisse philosophum, qui cetera repudiavit, quæ quippe, adhibita in subsidiũ contingentia, non, ut aduersarius opinetur, sine omni destituta usu. Quamuis igitur cogitauerim, lecta theologorum exprobratione, verum esse, quod de usu ceterorum argumentorum hoc sensu dicant, deferendam contra philosophi rationem palmam: nam cetera probare propter hoc non vicissim; propter quod unumquodque talis sit, illud esse magis tale: tamen, cum in lucem emisso tertio philosophi scripto, curatius animum aduerterem, non id agi, an utcumque ex philosophi præceptis, ceteris argumentis quibuspiam usus adiudicari queat; sed an is, qui annotauit, vim probandi omnem, in ratiociniis de contingentia erumpere, atheismi propter earum causam reus sit, dignusque, qui exilio plectatur; obstupui, nec potui, quin innocentiam agnoscerem longe maximam.

(157) Vid. Klarer Beweis, daß Herr Buddeus die ihm gemachte Einwürfe einräumen müsse &c. p. 54. 55. seq. Sub initium consilii §. 1. heisst es: *Wolf verwerfe die argumenta insolenter Weis.*

(158) Vid. tract. idem cit. loc.

(159) Rogo submisso eruditos, ut animum adplicent

annon in hoc arguendi genere circulus insit vitiosus? *Vbi sunt rerum fines, ibi est, qui propter fines agit, efficit. Atqui rerum in vniuerso omnium sunt fines: ergo est, qui agit propter eos, efficitque. Finis est id, cuius gratia intelligens agit. Hæc est genuina finis definitio. Substituamus iam in locum definiti definitionem ipsam, minori propositioni inferendam; argumentum eiusmodi emerget, cuius minor manifestissime principium petit: Vbi sunt rerum fines; ibi est, qui propter fines agit, efficit: atqui rerum in vniuerso omnium sunt certi respectus, quorum gratia intelligens agit: (ecce finis definit.) ergo est, qui agit propter eos respectus, efficitque. Quis non agnoscat formæ vitium? Minor enim propositio complectitur definitionem finis, qua surrogata, in lucem prodiit fallacia. Ergo non potest ad vsus rerum prouocari, nisi prius, Deum esse, probatum iueris. An recte colligo? quia sunt rerum fines: ergo existit rerum auctor. perinde ac si dixerim: quia propter res vniuersi efficiens caussa agit: ergo est caussa efficiens. Num antecedens atheus concesserit?*

§. 96.

Non dissimulo, aliud etiam argumenti, de contingentia, patrono dubium, præter ea, quæ paulo ante dixi, obuersum esse, quod maxime hanc attinet caussam. (160) Frustra nimirum, licebant, in argumento de contingentia victoriam quari ab eo, qui nexum vniuersi euentibus tribuat stoico fato non absimilem, quippe (161) ipsas caussas liberas mechanismo subiiciat, quod ex metaphysicæ §. 767. intelligatur; quamuis enim philosophus in commentat. & monito ad commentat. (162) discrimen constituere voluerit inter necessitatem absolutam, & hypotheticam, quarum hanc, non illam, euentibus semet adscripsisse dicat: tamen & hypothetica, quam vocant, necessitate in naturæ cursu concessa, fatum stabiliri, libertati inimicum: non suffecturam re-

*Alia
dubia.*

sponsoriam, qua forte aduersarius ad contingentiam ortus mundi non posse cognosci, nisi ex rerum operationibus; ubi vero operationes mundi ad instar motuum horologii, serie haudquaquam turbata, eueniant, nunquam nos in notitiam peruenturos, cœperintne operationes contingent ratione, nec ne? Admissa ea opinione, atheum reclamaturum: Si DEUS esset, non condidisset mundum liberis hominibus vacuum: Imo, quod DEO necessitatem imponat condendi optimum illum parum abesse, quin DEO libertatem ab iudicet. Coniungenda cum his reliqua, quæ aduersario suspicionem creent, qui v. g. moral. §. 368. p. 321. scribat: non esse ferendum, v. ecclesie doctores, viros iudicii gloria florentes in suspicionem atheismi adducant &c.

(160) Besiehe die bescheidene Antwort Herrn Buddei auf die Anmerkung Herrn Wolfens p. 19.

(161) Besiehe wiederum eben dieselbe. p. 27.

(162) Vid. eundem tract. p. 28. Dedi operam sollicitè vt prolixiorum discursuum in compendium mitterem, non omisso vilo ratiocinii robore.

§. 97.

Responsio. Sed quid ad hæc Marpurgensis philosophus Parata erat responsio: nec argumenti antecedens nec eius consequentiam legitimam pronuntiabat (163) Non illud: nunquam enim se euentuum mundi necessarios docuisse, quin potius probassent semet contrarium metaph. §. 577. Simile at horologio petitum (164) non indicare doctrinam necessitatis; horologii enim structuram contingentem esse, etiamsi motus continuum sequentes ordinem, non amplius iidem futuri essent, si qua
per

per externam manum in iis mutarentur : mensuram, v. g. licet resectis angulis, desinat esse quadrata, rotundamque figuram induat, non tamen propterea necessariam fieri ; ita explicandum metaphysices §. 565. qui aduersarios male habeat : quam illam, aut qualem consequentiam esse : sunt mundi euentus singuli per antecedentes determinati, id est, certi facti : ergo non existit mundus ratione contingentis : dat instantiam ab horologio. Conqueritur porro, falso semet accusari, quod causas liberas mechanismo subiiciat, & si vel maxime subiiecisset, eum errorem non obstiturum fuisse contingentiam mundi : non posse enim ex libertate hominis nec DEI existentiam nec contingentiam rerum probari. Addit vir acutus, se in annotat. ad metaph. §. 205. contingentiam vniuersi distinctius probasse, quam ante se quemquam : dicit porro electionem mundi optimi cum libertate consistere, nec DEum ad id faciendum cogi, sed sua ipsius sapientia suadente in optimum ferri : (quod & a sapientissimis fieri solet hominibus, vt non ineptiant, haud furentur &c. licet ommissio necessaria non sit) in probanda DEI existentia maxime spectandum esse, an mundus in se potuerit esse alius atque alius, non opus esse, vt inuestigetur, necessarione a DEO creari debuerit nec ne ? posse morali necessitate artificem opus in se contingens struere. Denique fatetur noster, se nunquam patrocinatedum atheismo : licet enim inanes, quibus viri praestantes affliguntur, atheismi suspiciones improbet ; tamen se senten-

tiam isthanc corroborasse cit. loc. qua athei in re publica non ferendi dicantur.

(163) *Besiehe Herrn Wolfens Zugab. zu den Anmerkungen p. 84.*

(164) *Besiehe eben dieselbe. p. 86.*

§. 98.

*Continuatio
dubiorum.*

Crederes hic futurum fuisse, ut lites sedarentur; sed ultra sunt prouectæ. Tertio scripto eristico theologus Ienensis aduersarium ita excepit, ut negaret distinctionem, inter necessitatem hypotheticam absolutamque, liberando auctori sufficere: secundum eius enim doctrinas nexum euentuum actionibus creaturarum fatum imponere: instantiam ab horologio petitam, qua a catenatis & h. m. necessariis euentibus contingentia ortus non excludi probetur, præuisam & occupatam fuisse, *in der bescheidenen Antwort p. 28. 29*

(165) Nihil autem eandem facere ad rhombum cognosci ex motibus horologii necessariis ortum contingentem, eoque artificem; quia ipsa operis natura motus necessarios postulauerit; at aliam esse mundi rationem: cum nemo facile necessitatem euentuum eius probare possit, semper fore ut atheus ogganniat: minus consentaneum DEI si quis esset, bonitati futurum, qui mundum creasset liberis hominibus vacuum, cum tamen nulla ad id necessitas adegerit.

(165) *Vid. hæc in dem bescheidenen Beweis, daß das Buddesche Bedenken noch fest stehe. p. 40. seqq.*

§. 99.

*Continuata
responsio.*

Cum ad hæc diluenda animum adplicaret, auctor recentioris metaph. quærebat ex theologo:

(166)

(166) cur non probet, quod hypothetica necessitas rebus imponat fatum, ex sua sententia? cur criminetur, libertatem hominis fato subiici? ostensum a se contrarium: necessitatem absolutam contingentia addi posse, falso sibi met affingi, nec eo pertinere simile de horologio: mundi optimi delictu, si vel maxime necessarius esset, uti non sit, necessitatem absolutam tamen non introduci &c. Pace virorum tantorum dixerim, quæ mihi sententia sedeat. Existimo, dn. Buddei verba §. 98. citata, ab aduersario non eo sensu accepta esse, ac debebant. Mirabatur theologus præstantissimus, (167) quod philosophus Marpurg. affirmet, posse cum necessitate contingentiam mundi, & existentiam Numinis conciliari: displiceat simile ab horologio petitum, ut §. anteced. ostendi. Puto locutum esse celeberrimum polyhistorum de necessitate hypothetica naturæ. Est, ni fallor, hæc eius mens: simile aduersarii non esse ad litem præsentem adcommodatam: posse in horologii motu necessitatem regnare hypotheticam: eaque non obstante artificem cognosci, quia motus illius necessarii libertatem respiciant; at ex mundi necessitate, licet hypothetica, difficulter atheum de conditore persuaderi, qui subinde sit regesturus: in mundo libertas, si Deus foret, locum habere posset, horologio non potuit libertatis donum addi. His lectis, existimauit philosophus, sibi sententiam, de absoluta mundi necessitate affingi, eamque hic impugnari. Minime vero! aliena igitur videntur, quæ respondere instituit. Interim facilis est ad verba theologi Ienensis re-

sponsio alia : naturæ euentuum catenæ non inferuntur homines liberi : possunt ea non obstante agere hoc, & agere illud : hodiernæ tempestatis amœnæ causas perpetua retro serie vsque ad creationem licet extensas, mihi nonnisi occasionem excurrendi in campos præbere noui : non obstante enim sudo isthoc cœlo, potui excurre, & non excurrere, facere hoc aut illud. Quamquam id certum sit, naturæ nexus plurimos adpetitui nostro præuiso adtemperatos esse. Ruit igitur sua sponte atheorum ineptum dubium, a viro adlatum præstantissimo.

(166) *Besiehe den klaren Beweis &c.* p. 70.

(167) *Besiehe den bescheidenen Beweis Herrn Buddei* p. 40. sub init. conferri possunt, qui plura alia in hoc argumento dubia expediuerunt. Riehou. *in der ferneren Erläuterung* cap. 5. p. 230. ill. Bilfinger diluc. §. 385. Müller *in dem sichern Mittel* &c. p. 75. Item anonymi *kurze Beantwortung der strittigen Fragen aus der Wolfianischen Philosoph. nach dem Sinn der theol. protestant. in der Schutzschrift wider Idirpium* p. 54. Commentatio anonym. p. 76. de DEO, anima & mundo. Ipsi^{us} Wolphi annot. ad consilium Halens. theolog. facultatis p. 3. seqq. Commentat. luculent. p. 3. seqq. monit. ad commentat. p. 7. seqq.

§. 100.

His ita enarratis, penes lectorem, non penes me, iudicium est, num iure an iniuria atheismi nota recentioris philosophiæ patrono iniusta sit? Id ego noui, non hodie demum, ita agi cœptum. (168) Cum de expugnando atheismi detestando crimine complures & olim & nunc fuerint solliciti: (169) interest examinare, quid hodieque a viris præcellentibus eximii sit præstitum? Non dubito

*De usu
philosophiæ
recentioris
in probanda
existentia
DEI.*

dubito mea facere verba Crenii: (170) pauca, inquietis, nec satis elaborata, protestantium contra gentiles, atheos, deistas, iudeos, semi-Iudeos exstant scripta, non quod summi nostri viri rem non intelligant, aut tergiversentur, aut diffidant, aut difficultatem metuant; sed quod iustum tempus his rebus impendere nequeant. Facio, inquam, mea hæc verba, non ex omni ratione; sed ex parte. Non laboramus, opinor, calium librorum, in omni hoc genere, sed in quodam, penuria. Si conuertamus in eos mentis aciem, qui aduersus atheos felici decertarunt pugna, subiicientur oculis complures viri doctissimi. Nos, quid ex Leibnitii aliorumque inuentis, hac doctrinæ parte sperari possit? paucis leclarabimus.

(168) Nota sunt Alberti Christ. *Rothonii atheistica Thomasiæna*, e scriptis Thomasiænis illustrata quidem, sed & confirmata, proposita mense Februario 1698. Pertinet hic, quod ipse Thomasius conqueritur in fundament. J. N. & G. ed. quart. p. 24. se propter sententiam de consilio naturæ, non lege, per apertam calumniam violatum esse, in collegiis privatis eorum, qui loqui ament: daß Himmel und Höll daran hange, wenn man nemlich die præcepta naturæ nur für Consilia halt. Scripsit Hubert de Versé l'Impie convaincu, in quo Cartesium accusauit, quod naturam constituat Deum. Io. Regius emisit Cartesium Spinosissimi architectum, cui licet Andala Cartesium Spinozismi euersorem, opposuerit, confutatus tamen est per responsionem apologeticam. Vid. *neue Zeitungen von gelehrten Sachen* 1720. pag. 18. Quæso, quis hodie tot virorum eximiorum accusationibus mouetur?

(169) Historiam atheismi breuiter delineatam dedit Ientkin. Thomasius 1713. Præcipue nostris temporibus contra atheos egit Iacquelot, in *dissert. de existentia Dei*, ubi veritas hæc demonstratur per vniuersalem historiam de prima mundi antiquitate, per refutationem systematis

Epicuri, Spinozæ &c. Hagæ Comit. 1697. Vid. acta eruditior. german. part. 27. p. 193. Addatur Io. Ray, existentia & sapientia Dei manifestata in operibus creation. ex Anglica lingua in Gallicam translata. Ultraiecti 1714. Conferat. Monsieur Ferdinand de la connoissance de Dieu. Item Fenelon demonstration de l'existence de Dieu, tirée de la connoissance de la nature, & proportionnée à la foible intelligence de plus simples. Prodiit liber auctior 1719. subiunctæ sunt reflexiones patris Tournemini, Iudicium de libro extat in den neuen Zeitungen von gelehrten Sachen. ad ann. 1720. Sed quid opus est hisce recensibus? vniuersam atheismi litterar. hist. tradidit Io. Alb. Fabricius in delectu argumentorum, & syllabo scriptorum, qui veritatem religionis christiana aduersus atheos &c. lucubrationibus suis adseruerunt. Hamburg. 1725. De Tolando, Collino consule Buddei rhes. de atheism. §. 27. p. 194. innumera cetera non addam.

(170) Verba sunt Th. Crenii in præfatione, Christoph. Heluici elenchis Iudaicis præmissa, Lugd. Bat. p. 4.

§. 101.

*Vsus
triplex.*

Tribus, meo iudicio, momentis emendatior est Leibnitii aliorumque de DEO philosophandi methodus, quam eorum, qui ordinaria via incedunt: primo namque explicatiores de contingentia argumento notiones præbuerunt; post principii, quo omnium rerum existentium ratio sufficiens exigitur, fecunditatem immensam (171) detegentes, quantum istud adiumenti in probanda DEI existentia adferat, primi monuerunt. (172) Denique Cartesii argumentum, de quo supplendo complures spem abiecerant omnem, fulciri posse, vbi calculos recte subduxerimus, publice significabant.

(171) Confer recueil de diuerses pièces par Leibniz, Clark &c. T. I. p. 147. ep. V. §. 126. J'ose dire, que sans ce grand principe on ne sauroit venir à la preuve de l'existence

stence de Dieu, ni rendre raison de plusieurs autres verités importantes.

(172) Cartesii sentent. lege meditat. III. princip. p. 18. ubi ita differit : *Cetera omnia, ex quibus rerum corporum idea constantur, nempe extensio, figura, situs, motus &c. in me quidem, cum nihil aliud sim, quam res cogitans, formaliter non continentur; sed quia tantum sunt modi substantiæ, ego autem substantia, videntur in me contineri posse eminenter: Sola restat idea Dei, qui est immensus, independens, summe intelligens, quæ omnia talia sunt, ut, quo diligentius adtendo, tanto minus a me solo profecta esse videantur. Nam quamvis idea substantiæ in me esset, quia sum substantia, non tamen esset idea substantiæ infinite, cum sim finitus, nisi ab aliqua substantia, quæ reuera esset infinita, procederet. Anselmus eodem modo pro Dei existentia arguisse perhibetur: hinc Leibnitius in eo supplenda notavit recueil T. II. p. 153. Je ne meprise point l'argument inventé, par Anselme, qui prouve que l'Être parfait doit exister; quoique je trouve qu'il manque quelque chose à cet argument, par ce qu'il suppose que l'Être parfait est possible. Car si ce seul point se démontre encore, la démonstration toute entière sera entièrement achevée.*

§. 102.

Initium igitur dicendi faciemus de præstantia ratiocinii, quod attingit mundi contingentiam. Fatentur ipsi aduersarii, esse istud bonum.

(173) Non dissimulant, *plura alia ratiocinia hoc niti nervo.* (174) Haudquaquam abnuunt, licet novum esse negent, non fuisse adeo distinctè antehac evolutum.

(175) Igitur aliquam certe huius philosophiæ in theologia opportunitatem agnoscere, ipsa nos æquitas iubet. At enim *cum nexu, quem recentiores in cursu nature fatalem fingunt, consistere gravis hæc veritas nequit. Quæso, num rerum nexus plus innuit, (176) quam, nihil quidquam DEum sine ratione fecisse.*

An

De præstantia argumenti a contingentia desumpti.

An ratio sufficiens fatum obtrudit? an qui mandato v. g. paret, rationem obtemperandi non habet? aut si habet & sequitur, numquid necessario sequitur? Non, opinor, eo deueneris! Potest igitur sæpe habere locum nexus: si potest sæpe, salua libertate, cur non semper? quod inimicum est libertati fatum, semper est. Ne dicas, *plura animum consilia adpetitusque subire, quorum nos ipsi causam aduertamus nullam.* Si grauate non ferres: iuberem te reuocare ad mentem tritum istud: *Nosce te ipsum.* Sæpe destinationum, actionumque nostrarum rationes ignoramus, quoniam inuita naturæ lege consuetudinem inconsulto agendi contraximus, quia nihil tale sentientes, vel commoditas tacita, vel philautia, vel aliud quid generis eiusdem, inducit, quod adeo irrepit occulte, vt nihil adesse iurato præstares. Nexum ergo a ratione sufficienti ortum, cur, amabo, temere rideres?

(173) Vid. Buddei ifagoge histor. theol. p. 1382. *ad argumentum Wolfi quod adinet, quodue a contingentia huius uniuersi desumptum est, uti nouum non est, ita minime contemnendum.*

(174) Vid. Herrn Buddei bescheidene Antwort auf Herrn Wolfens Anmerkungen p. 12. *Ob nun gleich wahr, daß alle Argumenten, die man sonst von der structur des Weltgebäuds, von den Absichten der natürlichen Dinge &c. sich auf die contingenz gründen &c.*

(175) Vid. Bescheidenen Beweis, daß das Buddeische Bedenken noch fest stehe, p. 35. 36. *Obgleich Herr Wolf sagt, daß die, so diese Argumenta vorgebracht, auf die contingenz nicht gesehen; so thut es doch, wenn es wahr ist, zur Sache nichts &c. Si vel maxime verum sit, auctor inquit: non audet igitur probare, quod ante Leibnitium & Wolfium contingentia notio a ceteris argu-*

menti

mentis separata, maiorque demonstrationis vis fuerit indita &c.

(176) Besiehe Herrn Wolfens Anmerkungen über die metaph. edit. prim. p. 254. §. 176. Ich sage die Dinge in der Welt seyen mit einander verknüpft, wenn eines in sich eine raison hält, warum das andere neben ihm gleich ist, oder auf es folget. - - Der ganze Verstand von der Verknüpfung der Dinge ist demnach dieser, daß alles in der Welt, von GOTT, mit raison geordnet. Scio, quæ te sub pectore cura coquat. Si, inquis, præsens, quo afficior, adpetitus, a ratione oritur: oriatur & ipsa ratio ab alia, hæc iterum a tertia, & id quidem sine fine: quantum hoc est necessitatis iugum. At nosti, quod vel vno catenæ articulo in partes rupto, ipsa carceris funesti, libertatisque inimici, vincula discissa sint: atqui in infinita rationum serie plura non vinciunt, non cogunt, non stringunt libertatem. Catena igitur præsto est, sed cuius articulus extimus, proxime nos spectans, ultro fuit prensatus. Quid hoc necessitatis est? Pluuiosa tempestas, quæ temet ab itinere destinato reuocat, annon habet causam, in alio naturæ euentu, hic in tertio, sicque in irrfinitum, id est, ad creationem vsque. Verum enimvero turbidum istud cælum an libertatem excurrendi ademit? an mancipium præstitit fati? Absit longissime! Tumet ipse captasti tuo arbitrio extremum catenæ articulum, tute a turbido cælo, non coactus, sed fastidio captus, distulisti iter. I nunc, & mitius posthac de his doctrinis iudica.

§. 103.

Cum nexus rerum fatalis nullus argumento *Comparatur cum aliis.*
 le contingentia obstet: nihil prorsus obstat: quod enim optimum cetera esse concedebant, d in recentiorum systemate, nonnisi per fatum, quod abesse suspicabantur, arietari credebant. sed nimius ego forsan in laude versor vnus argumenti: non est minoris forte pretii, ad supremum Numen arguendum, illud: *vbi est ordo, bi ordinans: atqui in mundo conspicitur admirabilis:*

*bilis : existit ergo, qui eundem stabilivit. Fal-
 leris! quid ita, inquis, fallar? Loquor de ordine
 naturali : (177) atqui hæc concludendi ratio
 aut nulla est, aut mei argumenti filia est. Or-
 dinem allegas, eundemque naturalem. Sed
 qualem istum? num independentem, panthei-
 stico sensu Spinozæ acceptum, qui naturalem
 præsto esse ordinem, vltro annuebat? atqui is
 DEVM non arguit, latam recludens atheismo
 portam. An dependentem intelligis ordinem?
 Caue, si eo consilium spectet tuum, ne circuli
 in ratiocinando vitiosum tibi exprobet iure
 acutus aduersarius. Dependentem enim, id
 est, ab alio factum supponis, cum ab alio or-
 tum probare demum deberes. *Conclusio ingre-
 ditur medium terminum.* Liceat enim ad bar-
 baros istos ratiocinandi, nec euitabiles tamen
 tyrannos prouocare! Elige, si placet, vtrum lu-
 bet, vt de argumenti tui robore possit decerni.
Imo vero contingentem, inquis, volo ordinem;
 (178) *eundemque talem esse posthæc probo, non
 est tunc argumentum infirmius ac tuum, quod ex
 sola petitur contingentia.* Habeo egomet quod
 volo; non poteris firmitatem addere tuo ratio-
 cinio, nisi sequereris meum: quicquid tuum ro-
 boris habet, a meo habet: cur per anfractus
 euntes, recta via ad contingentia: asylum non
 contendimus? cur eos pro atheis habemus, qui
 nos ambages vitare iubent? cur mutuo ac-
 ceptum argumenti nostri robur, auctori grata
 mente non ferimus acceptum? *At noui hoc ipso
 philosophia recentior nihil dicit; cur superbit pri-
 sci**

scis alienisque plumis? (179) cur cetera postponit? Postponit nonnisi ea, quæ sine suis non consistunt. An isthoc crimen est? Dic vero, si placet, quis ex veteribus vnquam aduerterit, vim omnem ceterorum in contingentia coire? quis neruum hac ratione contrahendo, ictus atheorum declinare docuerit? Dic, si placet, quoniam iudicii, & lectionis plurimæ gloria, te pollere perspectum habeo.

(177) Verba sunt excellentissimi dn. Buddei in der bescheidenen Antwort p. 13. wenn man von der Ordnung der Welt redet, so verstehet man die physische Ordnung der natürlichen Dinge.

(178) Vid. Bescheidenen Erweis, daß das Bedenken noch fest stehe p. 36. Es ist eines so lang als breit, ob ich sage: Die Welt ist contingent, und schließ denn auf GOtt: oder ob ich sage, die structur der Welt ist was Zufälliges, und schließ wieder auf GOtt. Was soll man aber der structur gedenken, wenn alles bey derselben auf die contingentz ankommt?

(179) Ne quis vitio vertat, disputari contra argumentum pro DEI existentia: dicam, nos thesin ipsam religiosissimo cultu venerari: monebo, idem sæpe factum a viris longe doctissimis, quos nemo impietatis arguit. Citat nonnullos ill. Bilfinger. dilucid. §. 386. Plenius vero facta eorum, qui argumenta contra atheos examinarunt, Bælius enarrat in lexico historic. crit. edit. Basil. Adde, quæ leguntur dans l'histoire des ouvrages des Sçavans au Mois du May 1709. p. 199. seqq. dans les II. Journâl des Sçavans de l'année 1701.

§. 104.

Memini, me quondam in celebris viri scripto, theologiam naturalem complexo, legere, qui, cum ante recentiores, missis ceteris argumentis omnibus, solum contingentia argumentum vrserit, laudem distinctius traditi de

Occurritur dubio.

contingentia ratiocinii recentioribus præripuisse videtur. *Non inuideo* Age legamus verba: *Certum est*, inquit, *dari plures effectus natura sua contingentes, qui ita sint, ut ante non fuerint, & postea esse desinant, imo & pro tempore, quo existunt, potuissent non esse. Ex quibus ita argumentari licet: vel omnia, que sunt in rerum natura, habent iam dictam contingentiam, vel aliqua non habent, sed ex se necessaria sunt & ad esse determinata. Si hoc admittatur, habetur intentum, dari scilicet aliquod ab intrinseco existens, siue ens a se. Si primum dicatur: nullus contingens erit in rerum natura, imo nec esse poterit. (180) Plura sunt in hoc argumento egregia, laudeque dignissima: sed supplementa, quibus eget, non inueneris nisi apud recentiores. Si quedam necessaria sunt, non arguere, sine saltu, licet: *ergo habeo, quod volo*. Possent enim ea necessaria plura esse, eoque non significare vnum DEVM: posset quæri, an ab eo, quod necessarium est, cetera contingentia pendeant? Igitur id est supplendum; suppletur autem a recentioribus. (181)*

(180) Verba sunt I. W. Iæger. cancell. Tub. in theolog. natural. p. 15.

(181) Vid. quæ in anteced. differui §. 80. seqq. & ill. Bil-
sing. diluc. §. 387. plura etiam isthuc argumento addi
debent. *An id ens necessarium, a mundo distinctum sit
nec ne? An posita omnium rerum contingentia, ipsa earum
collectio necessaria non emergat? Pauca attingi in
anteced.*

§. 105.

Altera philosophiæ recentioris in probando DEO opportunitas, ad nouum principii de *Secundus philosophia recentioris* sufficiente ratione, & antehac non plene perspectum vsum pertinet: sine hac scala ad DEVM ascenderis nunquam. Substitue antiquum illud: *Nihil existit sine causa: atqui mundus &c.* E. maior propositio contrario poterit refelli exemplo. DEVS enim, quem quæris, annon sine causa existit? (182) monuerunt hoc iam alii. Addo hæc: *Forſan, inquis, poterit adhiberi limitatio: Nihil naturaliter existit sine causa; mundum vero naturaliter hoc existere modo quis ignorat?* E. atqui loco fundamenti ponis, quod erat superſtruendum. Nec enim cum Spinoza facis, qui quicquid naturale est, non ab alio ortum contendebat; ergo mundum naturaliter existentem pronuntiando *ab alio esse* ſupponis, quod erat prius probandum. Perinde ac ſi argueres: *Quicquid naturaliter (id est ab alio) existit, id habet cauſſam, id est, iſtud existit ab alio.* Quid est in circulum arguendo redire, ſi hoc non est? Forſan & nos iſthæc difficultas vrit? Minime! DEVS enim etiamſi cauſſam ſui non habeat, nec habere poſſit; rationem tamen exiſtendi habet in ſemetipſo: generalis ergo manet propositio: *nihil existit ſine ratione.* Si generalis eſt; demonſtrando quoque accommodata eſt. (183)

(182) Ill. Bilfinger dilucid. §. 391.

(183) Bona igitur arguendi ratio, ſed ſupplenda tamen eſt Frommanni in diſſert. de atheo ſtulto. p. 27. *Opus*

perfectissimum & infinita sapientia elaboratum, supponit causam perfectissimam &c. &c. Probaturus enim mundi auctorem, mundum ab alio coortum supponit.

§. 106.

Ostenditur, non posse probari Deum, sine uniuersalitate principii sufficientis rationis.

Sunt interim, qui sufficientis rationis principium per omnes existendi casus non diffundunt, laudabili metu, ne *quid hominis libertas detrimenti capiat.* (184) Sunt autem, qui non hoc metu quidem, *sed experientia ducti credunt, complures hominis liberos adpetitus absque ratione nasci.* Fingamus igitur tantisper, causarum liberarum actiones hinc arcendas. Quo pacto nunc probabitur existentia DEI? Rides quaestionem, meticulosamque in isthoc negotio sollicitudinem. Ego vero ridentes ridere nolo. Experiamur, prius, quam ridendi faciamus initium. Negas principii amplitudinem. Sed da nunc tantum imbecillitati meae, ut, qui, negato principii uniuersali ambitu, in DEI notitiam perueniri possit, haud grauate commonstres. Praeideo, quam sim reportaturus responsionem: *cogitare iubes, si cetera omnia omiserim, argumentum de contingentia mundi. Existit mundus, qui & aliter habere posset: ergo existit eius auctor.* Vellem hic intelligere nexum propositionis utriusque. An, quod contingens est, quod aliter habere potest, auctorem arguit sui? *Quidni, inquis, arguat? nihil enim, quod contingens est, existit sine ratione.* Atqui voluntatis liberae adpetitus contingentes esse me docuisti modo, nec tamen concessisti eorum rationem. O quam tibi sum ineptus disputator! *Confundere memet,*

ais, *causam cum ratione: addis, liberae voluntatis desideria causam habere animam, licet rationem habeant nullam, etiamsi anima ratione antecedente iis afficiatur.* Sed quæso te, quomodo potest causa existere sine causandi ratione? an quisquam, non dico, philosophorum, sed & mortalium vnquam causam effinxit sine ratione, vt minus latine vocant, causandi? Nunc ludere tibi videor vocabulorum significatu. Regeris, & *animam causandi ratione, dum adpetitus eliciat, praditam, præsto esse libertatem agendi, nec ultra requiri, vt singulis adpetitibus singularis respondeat dispositio animi.* (185) Sit ita sane! at gladium hoc modo excussisti pugnandi contra atheos. Quibus, quæso te, quomodo tandem obsistam? Mundum ex fortuito atomorum concursu coaluisse clamabunt, tuamque responsionem conuertent in fidei meæ perniciem. Iuua me quæso disputantem contra Epicureos, Opinor, te huic officio non defuturum. Videor mihi audire Epicuri de grege porcum grunnientem ita: *Non est adeo absurda de fortuito atomorum concursu opinio.* Cur non absurda foret? (186) Temere enim & casu, id est, sine ratione confluisse fingitur stupendæ pulchritudinis machina. Num, inquit Epicuri *assecla tanto id est absurdum opere? Annon varii absque ratione frequenter ab animo eliciuntur adpetitus? annon sæpe conspirant aptissimo ad voluptatem pulcram assequendam concursu? Num si quid hoc modo fieri sine ratione potest, altero modo non potest?* At ego dicam confundere pro-

teruum ἀντιλεγοντα causam cum ratione sufficienti, non deesse causam adpetitibus voluntatis, quanquam non omnes existant ratione; aliam vero esse conditionem confluxus atomorum, qui nec causa vlla, nec ratione contineatur. Videor autem mihi audire oggannientem porro: *nec suos atomorum concursus sine causa fieri: ut enim anima suarum dicatur actionum causa, absentis licet speciali ratione hanc, præ alia, actionem dirigente; sic atomos causas suorum motuum esse verissimas, licet ratio, cur hac declinent, nec illas, nulla prorsus inueniatur.* Iuva nunc, quæso, lector optime! me disputando hæsitantem. Dixisti dari posse causas efficientes, potentia præditas, generali & vaga; ita tamen, ut singulis effectibus, non semper singulæ & distinctæ quidem respondeant causæ scheses: constare id exemplo animi præditi libertate. Nunc idem Epicurus, isque atheus (187) opponit: *atomos esse causas, pariendo quippe motus, non desiderari in illis facultatem seu rationem causandi generalem, gravitatem scilicet, qua deorsum tendant natura: (188) ut autem speciali declinationis effectui, singularis ratio respondeat, opus non esse, cum idem in aliorum philosophia per vulgatum sit.* Quo nunc, obsecro, conatu veritatem tuebor? quomodo mundum sine architecto non extitisse docebo?

(184) Inter quos est Clark epist. V. ad Leibnit. Rec. T. I. p. 198. *Je remarquerai seulement que cette expression (de la raison suffisante) est équivoque & qu'on peut l'entendre, comme si elle ne renfermoit que la nécessité, ou comme si elle pouvoit aussi signifier une volonté &*

un choix. Il s'agit de sçavoir - - si, lorsque les raisons les plus fortes se trouvent d'un seul côté, les agens libres n'ont pas un principe d'action &c. ? Creditur Anglus, laude nostra maior, si fortiores agendi rationes pro vna parte pugnaverint, tolli facultatem eligendi alterum, id est, libertatem, in quo non est assecutus Leibnitii mentem.

(185) Oportet, ut in causis omnibus, cum liberis, tum necessariis, singulis effectibus singulæ in causa scheses & dispositiones respondeant, aut, quod perinde est, singulæ rationes hoc agendi nec aliud. Sin refrageris, Epicurus triumphat; nam causabitur: *atomus mea causa est motus; ratio causandi gravitas tendens deorsum.* Atqui non opus est, ut peculiari declinationis effectui, in atomo, peculiaris ratio respondeat; aliter enim & in anima libera, singulis adpetitibus certa & distincta dispositio occasionem præberet, quod libertatem animæ suffocaret: non est ergo absurdum, si dicam: dari causas, quæ diuersis effectibus producendis, indifferenti potentia præditæ, sufficiant. Quicquid Epicuro responderis, tibi responsum erit. Vid. Bayle in dictionnaire hist. critiq. edit. Basil. On se moqua d'Epicure lors qu'il inventa le mouvement de declinaison. Il le suposa gratuitement pour tacher de se tirer du labyrinthe de la fatale nécessité de toutes choses, & il ne pouvoit donner aucune raison de cette nouvelle partie, de son hypothese.

(186) Docet Lucretius L. II. v. 250. &c. Euseb. præpar. euang. L. VI. c. 7. *Epicurum sub prætextu libertatis tuendæ atomorum declinationem esse commentum.* Libertas igitur sine omni ratione agens, & declinatio atomi Epicuræ, differunt ut mater & filia germana. Addatur Cicero de fato p. m. 80. *Sed Epicurus declinatione atomi vitari fati necessitatem putat, itaque tertius quidam motus oritur extra pondus & plagam, quum declinat atomus interuallo minimo, quam declinationem sine causa fieri, si minus verbis, re tamen cogitur.* - - Hanc Epicurus rationem induxit ob eam rem, quod veritus est, ne, si semper atomus gravitate ferretur naturali ac necessaria, nihil liberum nobis esset, &c.

(187) Athei loco habendum Epicurum Augustinus docet de ciuitate DEI L. XVIII. cap. 41. *Miror, inquit, cur Anaxagoras reus factus sit, quia solem dixit lapidem ardentem, negans utique DEVM; cum in eadem ciuitate gloria floruerit Epicurus, vixeritque securus, non solum solem vel ullum siderum DEum esse non credens, sed nec Iouem nec ullum Deorum omnino habitare contendens, ad quem preces hominum supplicationesque perueniant.*

(188) Vid. Lucret. II. v. 217. Cicer. de fin. L. I. 6. *Distinguendus in atomis motus duplex, unus ipsiusmet grauitatis, quo atomus suo pte nutu fertur, alius ex ictu seu reflexione &c. verum, quia, si omnes atomi ad lineam, deorsumue ferrentur, fieret, ut nunquam altera alteram posset contingere; ea de causa necesse est declinare atomos paulum: ita enim fieri possunt complexiones, copulationes, adhesiones, &c. &c.*

§. 107.

*Vsus philosophiæ
in emendando
Cartesii
argumento.*

Cum igitur sine principio sufficientis rationis, DEI existentis veritas firmari nequeat, nec impediri, quo minus Epicurei per aciei latus irrumpant: grates illis deberi existimo, qui fecunditatem axiomatis primi detexerunt, ceterosque, ut huic superstruerent, fuerunt hortati. Esse autem recentioris philosophiæ hanc prærogatiuam, neminem fugit. Progrediamur igitur ad illud commodum, quod Cartesiani pro existentia Numinis, argumenti emendationem attingit. §. 101. sub nota, (172) istud exhibuimus. Ratiocinium istud a multis iure improbatum, (189) hoc potissimum neruo continetur. *Ideam entis infiniti nobis ingeneratam: finitos nos illam animo complexuros non fuisse, nisi reuera extra nos ens infinitum existeret, quod sui ideam nobis ingenerasset.* Obseruauit alicubi seculi nostri phœ-

nix (190) contra Hobbesium, qui veritates ideo arbitrarias putabat, quod ex definitionibus nominalibus penderent, *definitionem nominalem comparanda scientia non adcommodatam, nisi aliunde constiterit, rem esse possibilem; non enim quaslibet notiones inter se posse coniungi.* Eo videlicet spectat admonitio: cum Cartesius ab idea entis perfectissimi ad eius existentiam cum Anselmo fuerit argumentatus, *bonum fore argumentum, dummodo prius confirmata sit entis perfectissimi possibilis natura. Fieri enim quandoque, ut ideis, quæ possibile non sint, imponamus definitiones nominales, quam ob rem ne in similem hoc loco incidamus errorem, cauendum esse.*

(189) Improbatur Cartesii argumentum a compluribus. Walchius in lexico philosoph. sub tit. (Gott) p. 1339. ita de eo sentit: *Man siehet gar leicht, daß dieser Vernunftschluß weder in dem ersten noch dem andern Satz seine Richtigkeit hat.* ill. Bilfinger in dilucid. §. 381. aliquos nominat, qui in vtramque de eo partem disputarint. Pertinet huc imprimis Grapius in theol. recens controuers. T. I. c. 1. quæst. 3. p. 11. seqq. qui magnum scriptorum de hoc arg. numerum dedit.

(190) Leibnitium ita vocat I. C. Wolf. in Manichæism. ante Manich. p. 420. ita quippe sentit Leibnitius in actis erudit. Ann. 1684.

§. 108.

Operæ pretium igitur faciemus, si Cartesii pro DEI existentia argumentum emendaturi ostendamus, ideam entis perfectissimi fictitiam non esse, respondere potius ei possibilitatem, (sic loqui liceat) ex ipsa rei consideratione hauriendam. Nullus enim dubito, futurum, ut quod argumento deest, hac methodo suppleatur.

Cartesii argumentum quomodo emendari possit.

tur. Quicquid autem dicturi sumus, philosophiæ recentiori debebitur, non secundum meditationes singulas; neque enim ab aliis copiose obseruata nude repetimus: sed secundum potissima meditationum fundamenta.

§. 109.

*Præmit-
tenda
quædam.*

Præmonebo ante quædam, quam probauero, fieri posse, ut quiddam perfectissimum existat. Quæcunque res componi cum aliis non possunt, illæ per & propter suos limites vna consistere nequeunt. Cur v.g. tanta inter ignem & aquam obseruatur pugna? nullam sane aliam ob causam, quam quia velocitatis in motu gradus non vno modo temperatus est. Particularum ignis agitatio quam celerrima est; contra aquæ minutias tardiores prioribus istis obstantes videre licet. Comprobat id & ratio & experientia. Graduum igitur, id est, limitum in viribus discrimen luctam isthanc parit. Similis ratio est rerum aliarum. Cogitatio in rem extensam cadere nequit, quod omnis *extensio multitudinem rerum arguit, qua ut vnum menti obuersantur*: cogitatio autem ens vnum, idemque simplex requirit. (191) Vbi autem sunt multa; ibi res limitatæ occurrunt: plura enim infinita existere non posse, & per se patet, & infra ex instituto probabitur. Idem iudicium de ceteris ferendum. Pugna omnis ex rerum, quibus circumscribuntur, finibus nascitur. *Cur raro iudicii summi acumen cum amplissima lectione & insigni memoria coniunctum est?* Scilicet, maiore temporis spatio

spatio opus est, ut res ad stateram limati iudicii expendas, quam ut viuaci memoria præditus, ad instar alati Mercurii eas transuoles, more, quo polyhistores nonnulli solent. Quantum huic facultati accedit, alteri derogatur & vicissim. Vbi vero subtrahi quid, & addi potest; ibi habet locum limitatio: quod non limitatum est, ei haud quidquam accedit, vel decedit. Ipsa igitur animi vis nulli alteri contraria est, nisi quatenus ad res acriter tenendas (felici memoria) vel ante distinguendas (iudicio subactò) determinata, vel, quod tantumdem sonat, limitata est. Si vel vnum pugnae in vniuersa rerum, quaqua patent, natura, exemplum allegare poteris, caussa memet cecidisse vltro profitebor, victasque dabo manus, nisi illud ex rerum limitatione coortum fuerit.

(191) Cogitationis incapax extensum quodlibet esse Wolfus ostendit metaph. §. 739. seqq.

§. 110.

Præstructis his, nunc ratiocinia neccendi *Probatur*
 copia datur. Sit obseruatio fundamenti loco *DEI existi-*
 iacta: *quacunque rerum combinatio repugnat, ista* *stentia a*
ob limites rerum combinandarum repugnat. *priori.* Non
 dixi: vbi sint rerum limites, ibi & esse pugnam;
 sed vbi pugna locum habeat, nullam posse causam
 allegari, quam limitationes. Quicquid a
 solis rerum pendet limitationibus, id non est rebus
 ipsis tribuendum: atqui pugnam rerum ex eo
 fonte solo deriuare philosophos oportet: non
 est igitur, cur quisquam de postrema proposi-
 tione

tionem dubitet. *Gradus egomet voco virium limites.* Cumque propter limitationes res interdum pugnent: fieri etiam potest, ut ob gradus, quibus varie afficiuntur, pugnent. Liceat hic nominali definitione perfectum adpellare illud, quod aliquid in rerum natura ponit: imperfectum vero, quod rebus in natura positis derogat, quod eas certis cancellis coarctat, finibus claudit, limitat. Quoniam pugna, (*contrarietas*) (impossibilitas) non oritur a rebus ipsis, ut paulo ante monui: perspicuum est, perfectionem nullam (accipio vocem sensu, quem modo dixi) alteri obesse, eoque potius suavi concentu cum ea conspirare. Definitione igitur genetica, seu reali, perfectionem oriri cernimus, quoties *in varietate consensus quidam existit.* (192) Est igitur hæc definitio genuina, prono fluens ex paulo ante dictis alveo.

(192) Cur perfectio per consensum in varietate rectius explicetur, quam per eorum, quæ adesse debent, præsentiam, Wolf. docet, *in der Nachricht von seinem eigenen Schriften.* p. 227.

§. III.

Argumenti, quo existentia DEI a priori probetur, continuo. Perfectissimum, de quo quæritur, dicimus, quod omnes perfectiones complectitur simul, easdemque sine gradu, vel limitatione. Cum igitur quælibet perfectio, qua talis, alteri amice consentiat; & vero in ente perfectissimo gradus seu limitatio omnis exulare supponatur, ex qua sola (impossibilitas) pugna oritur: manifestum est, posse fieri sine rerum pugna, ut omnes perfectiones coeant in aliquo ente, & sine gradu

du quidem, id est, non repugnare ens perfectissimum. Quodsi autem non repugnat: possibile est, eoque etiam, quam de eo formamus, idea, non fictitia, non absurda. Si ens perfectissimum possibile est, necessarium est: inuoluit enim contrarium eius, id est, impossibile, contradictionem. Quicquid ergo ente perfectissimo comprehenditur, illud non potest non habere locum; *existentiam vocare lubet complementum possibilitatis*. Quis autem dubitet, illud perfectionis titulo ornandum? ponit enim aliquid in re, & cum possibili, quod complectitur, exacte conspirat. Ens perfectissimum igitur existentiam complectitur: aliter enim non foret perfectissimum, quod est contra hypothesein. Cumque omne, quicquid ente perfectissimo comprehenditur, non possit non habere locum: etiam existentia eius necessaria est. Atqui ens perfectissimum DEVM vocamus: *ergo DEVS necessario existit*: ergo ex idea entis perfectissimi, cum Cartesio existentiam eius, hac lege obseruata, arguere licet.

§. 112.

Multitudo arguit res limitatas. Perfectissimum ens non est limitatum; aliter enim vel non ornatum esset omnibus perfectionibus, vel iis præditum quidem foret, non tamen sine limitatione: quod est absurdum. Perfectissimum igitur ens non potest plura complecti distincta, sed oportet vnum esse, eoque simplex. Extensum omne complectitur quandam multitudinem: er-

Corollaria.

go nec extensum esse potest, id, de quo loquimur, ens consummatissimum. Idem, quod sæpe dixi, ens perfectissimum ubique est, quod est nimirum tale, quo præstantius cogitari nihil possit: nollem ergo cum quibusdam (193) DEVM extensum vocare.

(193) Quod fecit Pordæsch. metaph. diu. L. I. C. 12. §. 348. seqq. ex eo scilicet, *quod vocitetur lux*. Sed nostrum non est, infirma eius argumenta confutare.

§. 113.

Aliud corollarium.

Ex discursu hactenus instituto cognoscitur, quid sentiendum sit, de viri cuiusdam docti sententia, qui methodum cognoscendi DEVM, qua separatis mente a rebus creatis imbecillitatibus, quidquid perfectionis residuæ est, DEO adscribitur, penitus improbavit, (194) caussatus, & incertam, & minus perspicuam esse eam methodum; sæpe perfectionis loco haberi, quod reuera infirmitatum classi sit adiudicandum - quo casu non sine periculo a rebus creatis, ad Numen argumentum duci possit. At præsto sunt characteres, quibus probe adhibitis in consilium, veram perfectionem ab imbecillitate nunquam non discernere licet. Si consentiant adtributa, de quibus quæritur, cum ceteris omnibus, modo quolibet, semper & ubique, in DEVM cadunt absque dubio: sin minus, ab eo sunt remouenda. Sic extensio, si quæ DEO assignaretur, non consentiret cum ceteris perfectionibus cunctis: qua enim v. g. præsentem urbem spectaret illa DEI expansio, nondum foret DEVS ipse immensus, omniscius &c. Simili modo si motus DEO tribueretur,

oueretur, vis illa mouendi non concineret cum ceteris DEI excellentiis; nam qui hinc inde mouetur, præsens vbique non est: maior est consensus, vbi cunctis præsto est, omnia vno velut obtutu complexus, quam vbi, succedente nisu, alio atque alio deferretur.

(194) Sententia est Thomasi in iurisprud. diu. L. I. C. 3. §. 54. Contrarium tamen sentit Ridigerus in institut. crud. p. 411. edit. tert. Confer ea, quæ paucis & tecto nomine in hanc auctoris sententiam dixit ill. Bilsinger. dilucid. §. 456.

§. 114.

Sub finem pauca moneo. Nullum argumentum a posteriori pro DEI existentia allegari potest, nisi quod *principio* sufficientis rationis sufful- Conclusio. tum sit. Prouoca, si placet, ad vniuersi ordinem, quæ est vis argumenti, quo ordinantem cognoscas? Nulla alia, quam hæc, quoniam alias *ordo existeret sine ratione*. Prouoca ad rerum fines: iudicium erit idem. allega, si lubet, conscientiam pœnæ, & præmii præconem: non valebit ratiocinium, si vel vnus casus, in tota rerum vniuersitate, sine ratione existere potest: vnde enim discas, quod hic ipse, de quo quæritur, non eiusdem sit conditionis? an ex ratione quadam? atqui probanda est hæc, & sine fine, vbi semel principii amplitudinem coarctare, vel in paucis casibus, institueris. Non igitur contemptu & odio digni sunt, qui fundamentum omnium pro DEI existentia facientium argumentorum distincte ostendentes, maiori cum plerophoria agere nos aduersus atheos docuerunt. (195)

(195) Ratio

(195) Ratio sufficiens dicitur id, ex quo intelligitur, eum aliquid sit, hoc potius, nec alio modo. Qui vel vnum casum existere concedunt, quem nec res creatz, nec DEVS ipse, cur contigerit potius, quam non contigerit, intelligant; stabiliunt aliquid, quod concipi nequit, ad imitationem senis illius in *avantures de faque Sadeur edit. Holland. 1692. p. 83* quem ita auctor loquentem de suis androgynis facit: *Ils se contentent d' adorer l'être incomprehensible sans en jamais parler. Ils s'imaginent, que c'est l'offenser par l'endroit le plus sensible, que de faire de ses divines perfections le sujet de leurs entretiens: de sorte qu'on peut dire, que leur grande religion est de ne point parler de la religion.* Eorum, qui hoc principium angustioribus terminis circumscribunt, ratio est similis. Grauiissima eorum intelligendi vis in eo versatur, vt plura intelligi (nec a DEO quidem, id est, ratione sufficienti nixa) negent.

SECTIO III. CAPITIS I.

DE

INFINITA DEI NATVRA.

§. 115.

*Accessus
ad mate-
riam.*

Immensum diuinitatis pelagus esse, nemo eorum dubitat, quibus esse solet sanum synciput. Quod sect. II. anteced. rudi Minerua delineauimus, facit omnino ad corroborandam hanc veritatem. Interim non est diffitendum, argumenta, quibus hucusque tam sublimis doctrina confirmata fuit, eiusmodi esse, vt indigeant supplemento, mea sententia, ex philosophia recentiori petendo. *Sine principio sufficientis rationis, DEVM infinitum esse, nunquam demonstraueris plene.* An ea vilis est philosophiæ recentioris oportunitas? Age, faciamus periculum.

§. 116.

§. 116.

Non obscuri nominis theologus pro infinita DEI natura ita ratiocinatur: Nos existimamus, inquit, infinitudinem dari in DEO. Prima probatio nobis desumitur ex ipso conceptu entis a se, quem diximus esse constitutum essentia diuina. Nam eo ipso, quo DEVS essentialiter a se ipso, non vero ab ullo aliquo principio extraneo siue causa efficiente, habet esse; hoc, inquam, ipso non potest non esse eius infinitum & illimitatum esse. Omnis enim limitatio & finitudo quoad esse, & sic quoad essentialem perfectionem a causa efficiente peruenire debet, utpote quae tribuit tale, vel tale esse cum tanta vel tanta perfectione. Nihil enim sibi tam inimicum est, ut certos sibi terminos & limites essentia ac perfectionis substantialis ponat. Ergo cum Deus a nullo habeat esse, etiam nullam potest habere causam suae limitationis ac finitudinis in essentia. Ergo est infinitus quoad essentiam. (196)

Argumentum pro infinito DEO.

(196) Argumentum est I. W. Iægeri in theolog. natural. p. 58. 59.

§. 117.

Est hoc ratiocinium eiusmodi, ut additamentis quibusdam indigeat. Nervus in eo ponitur: Quodcumque non habet auctorem, illud frustra fingitur. Atqui limites in DEO, si qui forent, auctorem non haberent: frustra igitur finguntur. Fulcro indiget propositio maior, obnoxia quippe contrariorum exemplorum exceptioni, qua universalitas nonnihil detrimenti capit.

Examinatur.

capit. Ipsa DEI natura auctorem non agnoscit nec tamen frustra fingitur. Sunt & sui rebus in æterna possibilitum regione manentibus, ne inde prodituris vnquam, certi limites: non possent enim existentia donari limitibus destituta nec tamen illi limites auctorem requirunt, ipsorum rerum natura, quæ finita est, eos poscente. Miraris forsan acuminis, seu nimix subtilitati excessum; sed malo memet præstare tutum a omnibus aduersariorum argutiis, quascunquæ præuidere licet, quam destinato consilio pia admittere fraudes. *Non est ingenui hominis nedum philosophi.*

§. 118.

Conti-
nuatur
examen.

Subit forte tuam mentem, *aliam esse conditionem DEI, aliam rerum ceterarum, siue possibilitum siue existentium: non posse non has limitibus esse circumscriptas, a DEO autem eos alienos esse necessario.* At ita supponis, quod erat in quæstione. Probaturus naturam DEI infinitam allegabas absentiam auctoris, qui limite contulisset: cum vrgerem, & alibi multa præsto esse, quorum non sit auctor, respondendū redis in orbem, *DEVM infinitum esse, tanquam probatum supponens.* Posset itaque huius doctrix hostis obuertere, *ex independentia non duci argumentum pro natura infinita; limite forsan æque necessarios esse, ac ipsam naturam sicut & ceterorum possibilitum ferme eadem si conditio.* Aliter igitur hoc ratiocinium emendandum videtur. (197)

(197) Quæ

(197) Quæ causa fuit, cur ethnici olim philosophi materiam, quam æternam & independentem dicebant, haudquaquam continuo omnibus perfectionibus vestitam, id est, infinitam concedebant. Non minus enim existentiam materię, quam perfectionum illius limites existimabant necessarios. *Non superuacuum igitur hoc est meum dubium, quod impellit, ut animum ad fundamenta ethnica religionis euertenda adplicemus.* Vid. Bayle continuat. des diverses pensées ecrites à un docteur &c. T. II. p. 527.

§. 119.

Examinanda tamen sunt reliqua in ratiocinio excellentissimi theologi. Pergit vir summus: *nihil sibi tam inimicum esse, ut certos sibi terminos, ac limites essentia, ac perfectionis constituat.* Robur argumenti in eo ponitur: *Quidquid inimicum animum prodit, id in optimum Deum non cadit: atqui limitum collatio, facta sibi ipsi, inimicum DEI erga se ipsum proderet animum.* E. minor valde dubia. Confert Deus limites rebus a se conditis, nec tamen id inimicitia testimonium est: non potest enim non conferre. Vnde probamus igitur, non esse similem rationem in DEO, non esse necessarios in eo limites? Si enim necessarii sunt, sibi inimicus non est, admittendo, quod declinari nequit. Intelligis igitur & hoc argumentum aliud quiddam supponere, quod hactenus distincte euolutum non fuit.

Aliud ratiocinium pro DEI natura infinita excutitur.

§. 120.

Alterum ratiocinium, quo infinitam DEI naturam tueri satagit, theol. celebris, ita habet. *DEVS est id, quo melius esse & cogitari non potest, ne ab ipso DEO quidem; atque quocumque*

Tertium examinatur.

ente finito potest quid cogitari melius. Ponamus ens perfectum ut octo, erit, aut certe quid cogitabitur eo melius, si sit aut cogitetur perfectum ut decem. Solo autem ente simpliciter & per essentiam infinito nihil melius esse aut cogitari potest: ergo DEVS est ens infinitum. (198) Argumentum hoc Cartesiano haud est absimile. Præstruit propositionem hanc: Quod si DEO melius nihil cogitari possit, aut si tanquam perfectissimus concipi queat: tum continuo quoque posse perfectissimum existere. Probandum vero est, quod ideæ entis perfectissimi respondeat extramentem *possibilitas*. Id ex nostris doctrinis demonstraui paulo ante, vsum ergo nostra dogmata firmandis ceterorum thesibus præstant non contemnendum.

(198) Theol. natur. p. 63.

§. 121.

Dixi in antecedenti §. 115. sine principio sufficientis rationis non posse DEI infinitam demonstrari naturam: ibo nunc in rem præsentem. Finge plura fieri sine ratione, quomodo occurreret illi, qui diuinas virtutes gradu affectas, imo ipsam naturam cancellis coarctatam contendit? Num prouocabis ad *independentiam*? quid? si limites ipsos etiam *independentes*, eoque necessarios dixerit? Num allegabis naturam DEI perfectissimam? atqui eam esse possibilem probasti nondum. Forsan accusabis fictionem aduersarii, qui limites admittat in DEO, idque sine ratione vlla? Ita vero in nostra transibis castra, auxilium principii, de quo disputatur, implorans. Fatere igitur,

Sine principio sufficientis rationis non potest infinitus Deus probari.

igitur, si placet, summam esse huius principii, a recentioribus distinctius euoluti, in theologia necessitatem.

§. 122.

Nos igitur infinitam Dei naturam probaturi hac via ingredimur. Aut limitum graduumque, quibus diuinæ virtutes circumscribi finguntur, ratio est, aut non est. Sin hoc adfirmaueris: philosophiæ omnis fundamentum labefactas. Sin illud placeat: quæro: aut ratio illorum limitum est in DEO, aut extra Deum. Non potest esse in DEO. Siue enim consideraueris naturam eius generatim, siue prout est *a se*: nulla pro limitibus occurrit ratio. Natura cuiuslibet rei generatim spectata ex æquo capax est his aut aliis limitibus gradibusque recipiendis, nullaque proin ratio peti potest inde, cur hos potius DEVS limites haberet nec alios. Sed similis ratio est naturæ DEI, quatenus est *a se*. Nunquid ex *independentia* ratio desumi potest, cur hos potius, quam alios admittat gradus diuinitatis oceanus? Minime vero. Ergo in DEO nulla est limitum ratio. Sed nec extra Deum vlla esse potest. *Dependens* vocamus, cuius ratio est in altero: atqui Deus est independens, tam quoad limites, si quos haberet, quam quoad cetera: ergo nulla limitum in Deo ratio peti potest a rebus externis. Quodsi gradus diuinarum virtutum penderent a rebus extra Deum collocatis, possent vtique variari: vnus enim gradus æque possibilis est ac alter: sic DEVS passionibus ab agente extraneo foret obnoxius, nec proin independens; quod est absurdum. Ergo

Roboratur
infinita
Dei
natura.

diuinæ excellentiæ omnium plane graduum sunt expertes, id est, infinitæ. Arbitror ita intelligi, quanta sit in hac doctrina principii sæpe memorati necessitas, quanta utilitas. (199)

(199) Confer, quæ in hanc rem discurret ill. Bilfinger. diluc. §. 408. & statue tecum, quantum inde sumserim mutuo, aut quantum lucis ibidem dictis affuderim, aut non affuderim?

§. 123.

Occurritur dubio.

Forſan eadem nos autumas difficultate premi, quam obuerti poſſe ordinariis argumentis diximus. *Nam ſi qui limites in DEO neceſſarios ſtatuant, eos negaturos, quod ulterioꝝ ratio requiratur: quicquid enim neceſſarium eſt, habere aſionem ſui, in ſemet ipſo. Addeſ, nos ipſos lixiſſe, limites rerum poſſibilium neceſſarios eſſe: non poſſe enim infinitas creari, nec tamen agnoſcere illoſ limites auctoꝝem.* Sed non eſt reſponſio difficilis. Qui limites in Deo neceſſarios docet: eum oportet monſtrare, quod, ſi virtuteſ diuinæ cancelliſ eſſent nulliſ circumſcriptæ, oriretur con- tradiçtio. Atqui nemo id oſtenderit: falſo igitur inculcatur limitum in DEO neceſſitate. (200) Deinde rerum, quæ nunquam ex poſſibilium regione prodibunt, ſunt neceſſarii limiteſ, iidemque cauſſam efficientem poſcenteſ nullam, ſed ratio- ne tamen certa nixi. Quæ enim ratio eſt, vt in exiſtentibuſ v. g. celeritateſ motorum corporum limitetur grauitate ita, vt quantum huic decedit, tantum accedat illiſ & viciffim: ea etiam ratio fuit in æterna poſſibilium regione, vt ſemper rerum, in ſyſtema redactarum, altera alteram limi- taret,

taret, repræsentante eam schesin diuino intellectu
 tum, cum nondum existerent. Habet igitur
 limitatio rerum dependentium, licet sit necessa-
 ria, rationem, a mutua dependentiæ in systema-
 tico nexu, coordinatione profectam. At alia ra-
 tio est entis, quod a nullo dependet, siue id vt
 possibile, siue vt existens perpendas; nihil est,
 quod limites requirat, necessitatemque ei im-
 ponat certorum perfectionis graduum. Non igi-
 tur limites in eo fingi debent. In eo igitur emen-
 datur ordinariæ philosophiæ ratiocinium. Nam
 hætenus ita sunt philosophati: *ubi nulla limi-
 tum in DEO caussa efficiens: ibi sunt nulli limi-
 tes: atqui.* E. Instantiæ obnoxia erat propositio
 maior, sed nostro more emendata nulli obnoxia
 est exemplo contrario. *Vbi nulla limitum ratio,
 ibi tales existere non fingendi sunt:* atqui in Deo.
 E. Nihil hic potest obuerti. Priori argumento
 occurrebatur, *nec DEI naturam causam agno-
 scere efficientem, nec auctorem habere rerum pos-
 sibilium nondumque existentium limites.* Nostro
 autem ratiocinio tale quid exprobrare non licet.
 Nec enim vel ipsa DEI *essentia* sine ratione exsi-
 stit, habet rationem in se ipsa, quoniam est *a se*;
 licet causam efficientem non habeat: nec etiam
 limites rerum, nondum existentia donatarum,
 absque ratione finguntur, cum eorum ratio ex
 dependentia fluat, qua fit, vt in systemate rerum
 plurium creandarum, creatarum, altera subin-
 de alteram limitet. Imo vero quidquid depen-
 dens est, limitatum creari debet, aliter ens in-
 dependens conderet, quod semet perfecte æquat,

150 *Sectio III. capituli I. De infinita Dei natura.*
eoque dependens non foret dependens: quod est
absurdum.

(200) Vid. Wolf. metaph. §. 79.

§. 124.

Epilogus.

Demonstrata h. m. DEI infinita natura intel-
ligitur, nihil non in DEO sine gradu esse: scien-
tiam, potentiam, præsentiam, (201) durandi
vim, & alia generis eiusdem. (e) Quicquid in
DEO est, infinitum est. Si vel vnica virtus li-
mitata foret: prior rediret quæstio, quæ ratio
sit, cur hæc potius, nec alia quælibet, hoc af-
ficiatur modo? Cumque nulla reddi possit:
perspicuum est, eam virtutem vel esse nullam,
eoque DEVM non esse perfectissimum, vel
nullo coarctari gradu. Quod erat proban-
dum.

(201) Quin & præsentia infinita sit, non est dubitan-
dum, quicquid calumnientur Socini discipuli. Ita
enim Beza epist. VI. T. III. operum p. 206. 207. *Axioma*
illud, inquit, Serueti de DEI reali vel essentiali in
omnibus rebus & locis præsentia, ita urget, ut ex eo
colligat non modo brutas pecudes, sed ipsa etiam corpora
inanimata anima quadam communi vel cælesti vegetari
&c. Eam hominum animos communi quadam ut
fouere, eoque recte illos vel DEOS vel Deificatos ad-
pellari. Proterua est hæc cauillatio, inferius forsan
tangenda. Vid. quæ Wittichius in consensu veritatis
p. 86. seqq. ed. 1682. aduersus Suaregium de spatiis
imaginariis, DEO repletis, scribentem disputat. Ad-
datur, quod in scripto: Janseniste convaincu de vaine
sophistique p. 164. de præsentia materia legitur. Con-
fer. Vasquez. T. III. dispp. disp. 110. quæst. 25. cap. 3.

SE.

SECTIO IV. CAPITIS I. QUOD DEVS SIT VNICVS.

§. 125.

*Accessus
ad sect.
IV.*

V*Nicum* *existere DEVM*, sapientiorum inter gentes constans sententia fuit. Peruiderunt enim multitudinem Deorum minime consentaneam esse rationi rectæ. (202) Duo tamen sunt obseruanda: aut in probanda ea veritate quosdam vacillasse, aut vnicum Deum talem intellexisse, qui a rerum creaturarum collectione vniuersa distinctus non fuerit. Quod ad postremum adinet: satis, opinor ostendimus, DEVM, quem oporteat colere, a mundo plurimum differre, cuius quippe rationem in se continet, quam vniuersum ipsum contingens complecti non potest. Sed de primo nunc dispiciendum erit, an *argumenta pro unico Deo adlata, eiusmodi sint, ut supplemento ex recentioribus haudquaquam indigeant?*

(202) Socratem capitis damnatum, quod negaret Atheniensium DEOS pro Diis habendos, neminem fugit. vid. Xenoph. apol. p. 703. Augustinus obseruat, *non esse gentes usque adeo ad falsos DEOS delapsas, ut opinionem amitterent vnius DEI veri.* Contra Faust. Manich. L. 20. cap. 19. Lactantius instit. diuin. L. I. C. 6. p. 41. seqq. illud Mercurii allegat: ο δὲ θεῶν εἷς, ο δὲ εἷς οἰομαίῃ & θεοδέεται, εἷς γὰρ οὐκ ἄνωγοῃ. Confer. quæ collegit Tobias Pfanner. in system. theol. gentilis purioris. c. 2. §. 9. p. 51. seqq.

§. 126.

*Argumenta
patrum
ecclesie
pro unica
DEI na-
tura.*

Vt huic instituto satisfaciamus: patrum ecclesie argumenta potissima allegabimus, quibus aduersus gentes, *unicum esse DEVM*, demon-

strare sunt aggressi. Quod est summum idemque perfectissimum, non potest esse nisi unum: nam is demum est perfectissimus, qui solus totum habet: atqui Deus. E. Domino omnium dominantium conuenit, ut sine socio imperet; alias nec ipse maiestas erit maxima, nec ipse solus dominabitur uniuersis, nec solus omnia gubernabit: atqui Deus rex regum. E. (203) Non possunt esse actu multa infinita: at DEVS sua natura est infinitus. E. si multi sunt Dii, circumscripti sint necesse est: ubi enim fuerit unus, alter esse non poterit, atque *ἑνός* *εἰναι* in Deum non cadit. E. Si plures sunt Dii, aliqua inter illos differentia sit oportet: si autem sit differentia ita, ut unus habeat, quod non habet alter, non poterunt esse perfectissimi. (204)

(203) Ignatius epist. IX. ad Antiochen. Clemens Alexandrin. orat. exhortat. ad gentes. Tertullianus contra Praxeam in apolog. lib. de idololatr. L. V. aduers. Marcion. Lactant. L. I. institut. cap. 3. Augustin. 1. de trinit. c. 4. Damascenus de orthodox. fid. L. I. c. 5. &c.

(204) Hoc argumento etiam recentiores vtuntur. Opatenski de offic. L. III. c. 1. p. 183. Roell. de relig. natur. §. 61. Heinsius theol. nat. c. 3.

§. 127.

Exami-
nantur.

Examinabimus iam hinc inde supplenda: ne quis autem id a me fieri miretur, non possum, quin moneam, iam olim a viris doctissimis obseruatum, unitatis (205) diuina ideam natura minus euidentem esse, quam existentie notionem; speramus igitur fore, ut examen argumentorum, pro hac veritate facientium, nobis vitio non vertatur. Primo arguunt ecclesie veteris sidera ab
idea

idea perfectissimi entis ad naturam eius unicam.
 Recte quidem, si modo prius ostenderint, quomodo eo ratiocinio & contra Manichæos uti liceat, qui alterum Deum suum, eundemque malum, *summum quidem dixerunt, non vero perfectissimum.* (206) Cum & ipsi patres, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum vnum videantur dixisse, (207) non unitate, ut philosophi (208) loquuntur, numerica, sed specifica solum; eoque tria perfectissima entia forsan statuerint: non potest hoc eorum ratiocinium quidquam habere roboris. Accedit tertio, quod nondum demonstrarint, fieri non posse, ut tria seu plura perfectissima existant, per omnia sibi mutuo equalia: nam & is perfectissimus est, non qui solus omnia habet, sed cui nihil perfectionis deest, non aduertendo, siue alii existant omnibus perfectionibus ornati, siue minus.

(205) Grotius de I. B. & pacis. c. 20. §. 47. affirmat, *minus evidentem esse unitatis diuinæ ideam, quam eius existentiam.* Reprehendit id quidem Osiander ad h. l. & Buddeus de pietate philos. §. 19. Sed ipse discursus præsens excusabit Grotium. vid. Cudworth. system. intellect. L. I. cap. 4.

(206) Iuxta Manichæos enim *confixerunt duo principia, postque conflictum mixtura remansit mali & boni.* Vid. Augustin. de hæresibus cap. XLVI. f. 115. in ed. Lambert. Danæi. vid. *de ineptiis Manichæorum, quibus lune phasés explicabant*: Basnag. histoire de la relig. des églises reformées T. I. p. 125. 126.

(207) Adparet ex veteribus, eos credidisse, quod tres sint naturæ diuinæ, *numero diuersæ, sed unius speciei.* Vid. Steph. Courcellæi quatern. dissert. 1. §. 74. & seqq. & vit. Eusebii ac Gregorii Nazianzeni. Accedit, quod vox *ομοσιος* ex Platonicorum usu significaret, *eiusdem speciei*, & synodus Chalcedonenſis in suo symbolo

statuerit : *Filium esse nobis ομοῦσιον καὶ ἀνθρώποτηλα
ut est ομοῦσιον Patri, καὶ θεοτήλα.* Vid. Cud
vvorth. in libro anglico inscripto : *the true system intel
lectual of the universe* Lib. 1. c. 4. p. 606. seqq. Addatu
Bælius in diction. hist. crit. edit. Basil. Vbi Iurizaud
in hanc sententiam allegat. Vid. Buddeus th. dogmat
p. 428.

(208) Ita enim Aristoteles metaph. L. IV. c. 6. λέγει
ἐν ὧν ἡ ἔσσις μίση, μίση δὲ ἡ συνεχία, ἡ εἶδες ἡ λοση
*dici unum, quorum essentia una est, una continuitate
aut specie, aut ratione.*

§. 128.

Continua-
tur exa-
men.

Alterum ratiocinium fulcro pariter indiget
Conuenit, inquiunt, *Domino dominantium, ut sin
socio imperet; alias nec ipsius maiestas nec erit ma
xima, nec ipse solus dominabitur.* Vellem ut at
hoc argumento morali abstinuissent veteres, si
non ob imbecillitatem argumenti, certe tamen ob
argutiarum, quibus ei occurrunt aduersarii, am-
bages, non tam leui negotio extricandas. Nec enim
diuinitatis personæ quælibet solæ imperant, exclu-
sis duabus ceteris, nec vero etiam pluribus in ari-
stocratia competens maiestas, tollit supremam
maiestatis dignitatem. Prolixum foret, regerere,
*a christianis tres duntaxat personas fide diuina cre-
di, non autem substantias; ibi igitur maiestatem
supremam manere, non vero hic, ubi per distinctas
substantias distribuatur:* eo enim effugio non
commouebitur aduersarius: nam ab absurditate
societatis in imperio diuino argumentum duce-
batur, ab eadem autem societate trium persona-
rum diuina maiestate æquali gaudentium, petitur
instantia. Ternio substantiarum est extra tertium
comparationis. (209)

(209) Accedit, quod Manichæi, & qui cum iis sentiebant, vnicuique principio bono & malo summam in suo genere potestatem tribuebant, alteri ad omnia bona, alteri ad mala quæuis inferenda, contra quos hoc argumento feliciter non pugnaueris: dicent enim *arbitrium mali indignum esse Deo bono, licet suprema maiestate omnia moderetur, quæ bona sint.* De Sclavis testatur Helmoldus chronic. Sclau. cap. 53. quod summum mali arbitrium DEO cuidam nomine ZEEVUBOCH tribuerint. Paria de Germanis quibusdam Vossius tradit de orig. idololatr. L. 1. cap. 8. p. 280. Atque hodiernum prouinciæ Fetu in Africa incolas persuasum sibi habere notum est, *esse aliquod Numen, cui omnia mala, aliud, cui bona accepta ferenda.* vid. Wilhelm. Müller *Beschreibung der Africanischen Landschaft Fetu* p. 43. 44. apud Pfanner. in system. theol. gentil. p. 258.

§. 129.

Tertium ratiocinium in eo ponitur, *non posse actu dari plura infinita.* Perbene id quidem affirmatur; sed quomodo id probabimus? *Infinite dicitur, quod omnes perfectiones complectitur.* qua quæso ratione euincemus, *non posse duo, aut plura complecti omnes perfectiones?* Quid, si iungat aduersarius, fieri id posse, quomodo tum erroris arguendus est? similis ratio ceterorum est argumentorum. Verosimilitudine eminent multo maxima, vt ad summum tamen demonstrationis cacumen euehantur, supplemento opus est. Dicunt, *si plures sint Dii, circumscriptos eos propterea esse, quoniam non esse possit vnus, ubi fuerit alter.* At quod perfectissimum est, alteri consentit: si duo sunt Dii, sunt profecto amicissimi, quia perfectissimi ambo, nullo liuore laborantes. Postremum denique argumentum viam ad supplementa monstrat, quæ nunc iam sumus exhi-

*Agitur
idem.*

exhibituri. Si plures sunt Dii, aliqua inter ipso differentia sit oportet. Si autem sit differentia ita ut unus habeat, quod non habeat alter, non poterunt esse perfectissimi. (210)

(210) Detestanda est polytheismi a gentibus introducti quæ *δύμων θεων* pro vno vero Deo coluerunt.

Quidquid humus, pelagus, cælum mirabile signant

Id dixere Deos, colles, freta, flumina, flammæ.

Varro trecentos commemorat Ioues. Vid. Augustinus

L. VI. & VII. de ciuitate Dei. Hesiodo *πρὸς μοιροίσι εἰσι θεῶν ἐπιχθονὶ πέλυβοιερῆν*.

§. 130.

Emen-
dantur
argumen-
ta.

Quodsi forte ogganniuerit proteruus *αὐτι-
λεῶν*, posse existere plures DEOS, eosdemque nulla prorsus perfectione differentes, eoque undique perfectissimos omnes, sed distinctos tamen numero: (211) peruulgatum enim est scholasticorum cohortem, & ea differre, quæ numero discrepant, docuisse: quid eo casu regerendum est? Noui esse absurdam fictionem, sed qua via ineptus error detegendus est? recurrendum, ni fallor, ad principium Leibnitii, quod ea sint unum idemque sub diuersis nominibus, quæ penitus non possint distingui. (212) Si finxeris DEOS duos perfectissime sibi mutuo æquales, nec minimo discrimine differentes: non duo, sed vnum Numen concipis, duobus titulis appellatum.

(211) Vid. Scheibler. L. I. cap. 7. p. 104.

(212) Primus enim, qui hoc principium distincte docuit, Leibnitius erat. Vid. recueil de diverses pieces par Mr. Newton, Leibniz. &c. T. I. p. 50. ces grands principes de la raison suffisante & de l'identité des indiscernables changent l'état de la métaphysique, qui vient réelle & démonstrative par leur moyen. Quanquam nonnulla obscure

scire cognouerint ipso antiquiores. v. g. Cicero acad. quæstion. L. II. ait : *dicis nihil esse idem, quod sit aliud. Stoicum est quidem, nec admodum credibile, nullum esse pilum omnibus rebus talem, qualis sit pilus alius, nullum granum &c.* Iac. Thomasius in logic. cap. 4. de indiuid. ita definit indiuiduum, vt ab hoc axioma non videatur longius abtuisse. *Indiuiduum est, inquit, quod constat ex proprietatibus, quarum collectio nunquam in alio aliquo eadem esse potest.* Ergo nullum indiuiduum alteri ex omni parte simile : ergo iuxta Leibnitium, eorum, quæ alteris prorsus similia sunt, non est distinctio, sed cum alteris vnitas. Qui igitur duo Deorum indiuidua fingit penitus æqualia, vnum cogitat DEVM sub diuerso nomine. Claubergius in metaphys. quæ operibus philosoph. omnibus inserta p. 306. h. m. philosophatur : *singularem cuiusque rei unitatem cognoscimus ex certis conditionibus, quæ omnes simul sumtæ in alia re eadem numero inueniri nequeunt* : his versibus comprehensæ :

*Forma, figura, locus, stirps, nomen, patria, tempus,
Propria, quæ septem continet omnis homo.*

Hoc axioma obseruato magnæ difficultates de spatio, tempore creati mundi, compositione continui, aliisque famosis labyrinthis exortæ soluuntur. Vid. ill. Bilting. dilucid. §. 411.

§. 131.

Hoc vno obseruato, cuncta argumenta in precedentibus allegata vim demonstrandi sortitur. Primo enim licebit cum patribus ecclesiæ citatis ab idea perfectissimi entis arguere ad naturam vnicam. Nam si duæ pluresue existerent naturæ perfectissimæ : inquirendum foret, in illæ quodam adtributo differrent, nec ne? si differunt, recte cum patribus colligis, habere vnum DEVM, quod alter non habeat : esse igitur eo deficiente minus perfectum : si non differunt, ex recentiori Leibnitii philosophia concludi potest, quod veteres non aduerterunt, non duos,

*Continuatur
emendatio.*

duos, sed vnum cogitari DEVM sub diuersis nominibus. *Quicquid enim ab altero plane non potest distingui, idem est cum eo, haudquaquam diuersum* (213)

(213) Hoc axioma in præfenti, eademque distincta, adplicatione priscis ignotum fuit. Quanquam Augustinus de ciuitate Dei L. IV. C. 11. Huetius demonstrat. euang. propos. 4. p. 122. Cudvorth. systemat. intellect. L. I. Cap. IV. Clericus bibliotheq. chois. T. III. art. 1. p. 75 Chauuinus de relig. nat. P. I. cap. 5. prolixè docuerunt vnitatem Dei gentibus non ignotam fuisse.

§. 132.

*Agitur
idem.*

Mittimus ratiocinium secundum, quo non indigemus, dicturi tantum de tertio, quod *plura infinita existere nequeant*. Nimirum fulcitur hæc ratio axioma nostro. Si possunt existere perfecte similia, eademque distincta numero: potest etiam fieri, ut duo sint infinita, quorum vtrumque omnibus perfectionibus ornatum est. At si perfecte similia, quæ discerni nullo pacto possunt, vnum idemque sunt, sub diuersis nominibus: perspicuum est, sub duobus infinitis, quorum vnumquodque alterum ex omni parte æquat cogitari non nisi vnicum DEVM, adeoque ludantur & decipi incautos. Non igitur locum inuenit, quod postremo argumento est obuersum dubium. *Posse nimirum æquales esse duos pluresue Deos, similesque per omnia, ut habeat quisque eorum, quod possidet alter, interim differre tamen, sed non nisi numero*. Nam qui non nisi numero differunt, plane non differunt, eoque polytheismi figmentum sua sponte corrui.

§. 133.

Nunquam potui a me impetrare, vt commo- *Exami-
natur
aliud ar-
gumen-
tum.*
 erer, argumento sequenti: *si Dii forent plures,*
ut alter alterius opus destruere posset, aut non. Si
esset: secundus non esset omnipotens; si non pos-
set: primus foret imbecillis. Atque utrumque
absurdum. E. (214) Qui enim plures Deos
 agunt; perfectissimos dicunt omnes, eoque
 affectos, vt propter perfectionem, id est,
 consensum, nemo eorum possit nolle, quæ alter
 vult. Nec etiam alter alterius opera, hoc com-
 mento stante, destruere potest. Quantum enim
 est, vt impotentiam arguat, si vnus DEVS se-
 sum destruere nequeat, aut ea velit euertere
 opera, quæ condenda iudicauit sapientissime:
 nunc etiam abest, admissa isthac hypothese li-
 cet absurda, vt infirmitatem prodat, si alter DEUS
 alterum destruere, vel eius opera perdere ne-
 queat: consentit enim cum altero, cui perfecte
 similis est, per omnia nec alia agenda iudicat,
 iam ipse prior. (215)

(214) Argumentum a Iægero vrgetur in theol. natural.
 p. 18.

(215) Hinc si vel maxime plures fingantur Dii, iidemque
 æquales perfectissime, diuini tamen cultus vincula non
 pessum eunt, quibus potentissimo Conditori obstringi-
 mur. Vid. ill. Bilfinger. dilucid. §. 411.

§. 134.

Intelligitur ex his, quare non nisi vnicus Deus *Corolla-
rium.*
 consistere, præter DEVM autem infinita rerum va-
 rietas habere locum queat. Nimirum res omnes
 præter DEVM non sunt perfectissimæ; possunt
 differre, perfectionum gradu, numero.
 Sed

Sed cum per vocem DEI intelligamus eum, qui omnes omnino perfectiones complectitur, & eadem quidem sine gradu possessas: cognoscitur sane plures eius generis esse non posse. Nam cum singuli omnibus, & sine gradu quidem, perfectionibus exornati forent; nullum remaneret distinctionis fundamentum. *Qui enim bis omnia cogitat, si differre tum ea statuat, aut alterutro conceptu non comprehendit omnia, aut eadem omnia diverso mentis actu concepit.* (216)

(216) Non feliciores in probanda hac veritate fuerunt scholastici. Thom. Aquin. p. 1. quæst. art. 3. DEVM esse unum probat, *ex simplicitate, ex unitate perfectionis, 3. ab unitate mundi.* Quod argumentum quidem rectè expositum in axioma de sufficientis rationis necessitate resoluitur. Cum enim vnicus DEVS vnici mundi rationem sufficientem in se continere possit, præter rationes plures finguntur. Vid. Wolf. metaph. §. 1083. Scotus urget. 1. sent. distinct. 2. quæst. 2. *Quod in causis essentialiter subordinatis oporteat ponere statum, ne fiat processus in infinitum,* unde concludit esse aliquod ens primum, huncque primatum *uni soli naturæ conuenire.* See Biel 1. sentent. distinct. 2. quæst. 10. art. 3. ait: *quod non demonstratum sit ratione naturali, esse unicum DEVM.*

SECTIO V. CAPITIS I.

DE DEI SANCTITATE.

§. 135.

Definitio
sanctitatis.

Plures existere Deos non posse, in subsidium vocato Leibnitii axioma, argumento comprobavi, quod omne dubium superat; ne enim curandos esse Manichæos puto, qui ma-
sum

ummum arbitrum fingentes, mali naturam, quæ
n perfectionum absentia ponitur, non intellexe-
unt. Nihil igitur superest, quam ut ex recen-
iorum dogmatibus pauca addamus, quæ ad il-
ustrandam sanctitatis diuinæ notionem compa-
ata sunt. Infinitum ideo diximus DEVM, *quod,*
nidquid perfectionis cogitari potest, complectitur:
unc sanctum cum recentioribus (217) vocare
icebit, *quod perfectiones solas, nec diuersum aut*
ontrarium quiddam continet.

(217) Ita ill. Bilfinger dilucid. §. 453. *per infinitudinem*
id denotauimus, quod DEVS complectatur omnia realia:
per sanctitatem intelligimus, quod sola illa possideat, non
vero admixta eorum opposita.

§. 136.

Notio sanctitatis cum naturæ infinitæ idea *Connexio*
necessario connexa est. En argumentum, a citato *cum idea*
uctore omissum! *Qui infinitus est, omnibus, quæ* *infiniti-*
nimum subire queunt, ornatur perfectionibus.
inge iam, non esse eum sanctissimum: conta-
ninabitur quadam imperfectione: atqui imper-
ectio nil aliud est, quam perfectionis cuiusdam
bsentia. Ergo si infinitus non est sanctissimus,
on complectitur omnes perfectiones, id est, in-
nitum non erit infinitum, quod manifestam
rodit absurditatem. (218)

(218) Sanctitatem Buddeus theolog. dogmat. institut.
p. 325. ita describit: *quando Deus amore purissimo se*
amare concipitur, ut simul ab omni imperfectione remo-
tus, secretus, separatus censeatur, amor ille vocatur
sanctitas. Parum hæc definitio a nostra differt, nisi in
eo, quod amoris mentionem faciat, quam consulto
omissimus.

L

§. 137.

ET DEO
essentialis.

DEVS necessario est is, qui est, cunctas scilicet perfectiones complexus, & quod inde intelligitur, ab imperfectione omni separatus. Sine isthac idea DEVM non conceperis, sed idolum. Omne, quod in re qualibet primo & necessario concipitur, essentiae vocabulo adpellatur; est ergo perspicuum, DEVM per *essentiam* sanctum esse. Cum perfectiones non pendeant a DEI voluntate; neque enim Numen suas, queis nunc vestitur, perfectiones immutare, aliasque eis substituere potest: sequitur, DEVM nonnisi ea velle, quæ suis perfectionibus digna sint, adeoque sanctitatem esse voluntatis normam, non vicissim, sanctitatis regulam voluntatem. (219) En tibi fundamentum, *obiectivæ*, quam vocant, *moralitatis*!

(219) Το δικαιον ειναι και το αιχρον & Φους αλλα νομω est vetus Archelai paradoxum, cui succinit Aristippus, & Theodorus ille αθεος appellatus. Qua sententia nihil potest excogitari pestilentius, & ad omne fundamentum religionis tollendum, ipsamque rationem iustitiæ DEI & necessitatem Servatoris interimendam, & pietatem excindendam efficacius. Verba sunt Cocceii in summa theol. cap. 24. §. 6.

Notio
sanctitatis
evertit
electionem
absolutam.

Sanctitas DEI versatur in complexu perfectionum omnium, excluso eo omni, quod innuit imperfectionem, id est, dissensum inter virtutes supremi Numinis. Parum igitur sanctus foret, si quid ageret DEVS, quod quandam inter virtutes suas argueret disharmoniam. Atqui si intellectus

Intellectus DEI duos representat homines, v. g. Petrum apostolum, & Judam proditorem, quorum neuter quidquam habet, ex quo DEVS moveri posset, ad illum huic anteponendum; & voluntas tamen sine intuitu rationis in obiecto alterum eligeret, alterum vero reprobaret: disharmonia oriretur inter intellectum & voluntatem: ergo sancta ea voluntas non foret, quæ prorsus sine causa in obiecto prævisa ageret. (220) *Intelligis, lector benevole, quantum definitionis momentum sit.*

(220) Nomina eorum, qui electionis decretum intuitu fidei formatum dicunt Barthold. Holzhusius tradit in tractat. theolog. de prædestinat. Sect. II. §. 7. p. 117. *Si, inquit, absolutum opponatur ordinato, decretum DEI minime absolutum esse, siquidem illud respectu ad Christum & conditione fidei ordinatum sit &c.* Verum enimvero videtur laudatissimus vir executionem tantum decreti ordinatam facere, non decretum ipsum, de quo semper redit quæstio, an hæc voluntatis propensio cum intellectu consentiat? nihil enim ab intellectu Dei in Iuda prævisum, quod ipsum postponere posset, aut hunc præferre, & voluntatem tamen in hunc eligendum ferri præ altero, experientia docuit.

§. 139.

Sanctitas DEI per omnes ipsius virtutes diffunditur. *Sanctus est intellectus, qui nulli errori sentitur unquam: sancta voluntas, que nunquam improbat, aut indulget malum, sed nonnisi bonum amat: sancta sapientia, que semper bonos eligit, eisdemque subordinat media ad commodatissima: sancta ipsa essentia, quod non comlectitur, nisi perfectiones omnes, eisdemque so-* Diviso
sanctita-
tis.

Qui igitur cum illustri viro (221) sanctita-

tem DEI supremum benignitatis cacumen adpellat, mea sententia de voluntatis diuinæ sanctitate loquitur. *Benignitas enim est propensio voluntatis conferendi aliis perfectiones.* Qui proinde semper conatur in alios perfectiones conferre, sanctus utique vel & iustus est.

(221) Definitio est Leibnitii in theodicæa part. II. §. 151.

§. 140.

*Gradus
sanctitatis.*

Qui sancta excellit voluntate, amat bonum: qui sanctior, fertur in *solum* bonum: qui sanctissimus, tendit *in omne bonum*, ut *malum amare non possit.* (222) Illius exempla sunt vere pii: istius autem, sedium beatarum incolæ: huius denique, nonnisi solus DEVS. Ergo qui sanctus est, malum odit. Qui enim bonum, quod in perfectione positum, amat; molitur eius contrarium destruere, videlicet, quod sæpe dixi, malum. Sed ita DEVS odit malum, ut illud impediendo maius non committat. Quocirca permittit peccatum, ubi conuenientius est non impedire; sin minus, nunquam non obstiterit. (223)

(222) Vid. Buddeus theol. dogmat. p. 302. edit. prim. *Ex eo enim, quod DEVS semper optimum eligit, & amplectitur, sua sponte consequitur, quod omnia etiam ad bonum dirigat finem.*

(223) Gerhard. de peccat. p. 125. *Quia DEVS ex lapsu hominis bonum elicere nouit, ideo voluntarium hominis lapsum non impediuit.* Bonum igitur e lapsu eliciendum præstat eius permissionem conuenientiore, quam impedimentum. Addatur Ursinus oper. theol. Vol. I. f. 222. *Non impedit DEVS lapsum, quia nouit ex eo boni quiddam elicere; non tamen inde efficitur, quod ipsum lapsum voluerit, quin potius voluit bonum istud, quod ex lapsu elicere nouit.*

§. 141.

§. 141.

Non potest non esse sanctum in cœlis habitans Numen. §. 137. Si non foret sanctus Deus; non esset infinitus: si talis non existeret, DEVM ego met non agnoscerem. At quam diuersa est hominum conditio! Non sunt infiniti, nec possunt quidem esse. Quocirca nec omnibus excellunt perfectionibus, & illæ ipsæ, queis pauci gaudent, gradibus sunt distinctæ suis. Habent igitur imperfectionis plurimum. Sanctitas, si que resplendescunt, contingens est, cum expirare possit. Si præpollente quidem boni amore possum, gliscat adpetitus mali, incoata sanctitas; si, extirpato mali amore, solus boni ardor flagret, perfecta sanctitas, sed humana tamen oritur; non inuoluit enim contradictionem, homines tum odisse bonum, quanquam pro statu præsenti nunquam id sint facturi. Contra DEVM odisse bonum, id est, sanctitate exui, tam fieri non potest, quam fieri nequit, *ut idem non sit idem.* Adoranda (224) hæc est sanctitas, Esai. VI. 3. quoniam perfectionis diuinæ ineffabile specimen exhibet, quod immenso post se spatio relinquit, quos Romana ecclesia iubet adorare. Adoramus, quod vult omne bonum, & solum id quidem, quod approbat omnem veritatem, & excluso quidem errore, ne si quadam duntaxat bona, quedam vera amantes colamus, aut, nobis bona, nolle, aut nescire deprehendantur. Ita non sterilem in theologia definitionis vsum esse cognoscimus.

Adplicatio ad sanctos, num adorandi?

(224) Adoranda igitur sanctitas non inest in iis, quos colere flexis genibus iubet Rom. pontif. alterum autem adorandi fundamentum non nisi figmentum est. Caussantur sc. *Christum sibi non reseruasse non pœnas; gratia autem omnis administrationem contulisse in matrem.* Vid. Basnage histoire de l'Eglise, Liv. lXVIII. Chap. 11. p. 1082. Mr. Arnauld. difficultez proposez à Mr. Stegaert P. I. p. 60. Quam blasphemum est, cum Iesuita Osorino in uno sermonum, apud Drelincourt. in replique à l'Eveque de Belley pag. 374. affirmare, *quod DEVS Maria virgini dederit innumeras chartas litteris vacuas easdemque obfirmatas, (une infinité de blancs signez) ut eas distribueret hominibus pro arbitrio.* Vel ipsæ gentes reciora sentiebant. Xenoph. in Hierone pag. 584. ait: *Εγω εν Φημι ανδρει αρχοντι το μεν αναγκης δεομεν μενον, αλλοις παρειναι κολαζειν, το δε τα αθλα αποδιδουαι δι σακλεον αυτη ποιητεον.*

CAPVT II.

DE VSV PHILOSOPHIÆ MAXIME
IUXTA ACCESSIONES RECENTIORVM
IN ARTICVLO DE
SCRIPTVRA.

§. 142.

CVM ex recentiorum axiomate *nihil fiat sine sufficienti ratione*, & sacrarum auctoritas litterarum ex evidentissimis characteribus, ceu totidem rationibus, exsplendescat: quanta huius philosophiæ consensus cum protestantium theologia sit, omnino perspicitur. Ex aduerso, quemadmodum auctoritas, quam Rom. pontifex ponit, nullo fere idoneo argumento nititur, nisi in illo, quod ad accusandam scripturæ obscuritatem, litium inde ortarum multitudinem, iudicisque necessitatem pertinet: perspicuum est, nulla

*Vsus
princ. de
suffic.
ratione.*

nulla ratione sufficienti fultum imperium pontificis. Quis auctoritatem toleret, quæ nullam ob causam se obtrudit, quam quia conatur aliam multo digniorem oppugnare nec non destruere? Sic in syllogismo pro auctoritate sacrarum formato litterarum maiorem philosophia recentiorum præbet, minorem suggerit experientia cum interna, tum externa. Non est igitur illius in præsentī loco nullus plane usus. (225)

(225) Auctoritatem sibi vindicare nulla ratione munitam importuni solet esse hominis. Quam ridicule Canus L. VI. cap. 8. locor. theolog. scribit: *Papæ conclusiones esse veras & necessarias, etsi præmissæ nec veræ nec rectæ sint?* Quem ridet iure Hulsemann. in manual. Augult. confess. disp. 13. p. 575. *nouum id in logica priuilegium* vocans. Addatur Thom. Cren. in not. ad Gabriel. Naudæi bibliograph. polit. p. 536.

§. 143.

Cuidam auctoritati credendum est sine ratione, cum a ratione tamen disiuncta non sit: sæpe tamen rationi tribuitur fides, quæ ab auctoritate omni separata est longissime. Nimirum illic, non est præsto ratio specialis credendi hoc; adest tamen generalis, vt credas testanti, sic auctoritas cum ratione coniuncta est: hinc autem ratio a fide secreta semper specialis est, & absque auctoritate elicit assensum. Auctoritati diuinæ in sacris loquenti, nec alleganti rationem, quam habet, obtemperandum est; eam fidei maximam diuero vim, qua colitur DEVS. (226) Sed auctoritas tamen diuina nunquam sine ratione est admit- tenda, ne in tenebrarum Muhamedi, nescio quas reuelationes temere fingentis, incidas regna. Hic

*Auctoritas
cæca &
rationa-
bilis.*

trames medius interiacet inter extremos errores. Sunt, qui auctoritati subesse nulli volunt, nisi præceptorum omnium specialissimas alleget rationes, cum ratio tamen generalis falli auctoritatem hanc non posse, sufficiat. Atheos isthos voco & naturalistas, pessimum genus hominum: sunt etiam ex aduerso positi, qui auctoritati subiiciunt nullo idoneo argumento corroboratæ, cæcæ ei quidem. & erroris plenissimæ; quo nomine pontificis assentatores accusandos esse, quis non videt? Vitabimus igitur ambos scopulos, si diuinam auctoritatem non admiserimus sine ratione; nec specialem rationem anquiramus in iis, quæ auctoritate DEI stabilita sunt.

(226) Ipsi pontificiorum nonnulli h. l. consentiunt. Balduin. Iunius ord. S. Franc. de obseruantia L. 12. manual. theol. c. 6. p. 523. *Auctoritas scripturæ diuinæ prorsus est, quod ipsum ex fide nobis constat, tum ob reuelationem diuinam, in eadem scriptura contentam, tanquam ob rationem, in quam proprie ipsa fides respicit.* Non admittendam sine ratione sufficienti auctoritatem diuinam! vel Huetius, pontificis assecla, docet libro, quem inscripsit *demonstrationem euangelicam*, qua tot argumentis euangelio auctoritatem conciliare studet. Non quidem fugit, quid impudentissimus atheus Tolandus eius instituto obuenterit, sed & scio, quod illud vindicarint Iac. Fayus in defens. religionis nec non Mosis & gentis Iudææ dissert. poster. c. 1. & 2. p. 186. Morinus in peculiari dissertatione, quæ exstat in dissert. varii argumenti a Tilladeto lingua Gallica editis T. I. p. 438. Si sine ratione reuelatio amplectenda, frustranei fuere conatus omnium, qui de verit. relig. christianæ scripserunt. Quorum numerus fere iniri non potest. Adi, si placeat, D. Pfaff. hist. litter. T. I. sub init.

§. 144.

Quodsi fieri sine ratione ulla res potest: non Impugnatur auctoritas pontificis per princip. sufficientis rationis.
obstat quidquam, quo minus auctoritas Romani pontificis existat, aut nullis, aut non tam firmis sustentata rationibus, quam sacrarum dignitas litterarum, nihilo secius tamen audienda; quoniam et diuina credatur, sufficit, eam ipsam id caussari.
(227) Quis autem theologus hoc dixerit? Contra sine ratione sufficienti adoptanda non est: plura ab ipso pontifice auctoritatis documenta alleganda erunt, quam sacræ quidem litteræ commonstrare queunt: auctoritatis enim scripto reuelatæ testimonia dubiis obnoxia contendit, quibus aut superior debet esse pontificis auctoritas, aut nulla. Dicam clarius. Vellicat pontifex naturalistarum dubiis (228) scripturarum auctoritatem, suam quippe substituturus. *Quodsi igitur nihil sine ratione adoptandum; iure quærimus: aut superior naturalistarum dubiis, quæ contra reuelationem urget, pontificis est auctoritas, aut æqualis, aut inferior. Si superior vocetur; tum non ex sacris litteris, inferioribus quippe, sed aliunde pontificis firmanda est potestas. Quis autem credat, vel ex ipso papæ regno, plura portenta, plura vaticiniorum complementa, plura alia pro pontificis potestate pugnare, quam pro sacris litteris? quam id commentum sine ratione est! si æqualis sit pontificis auctoritas auctentica codicis sacri; tot utique dubiis premitur ipsa, quot hanc exagitari calumniatur, eoque ex propria hypothese audienda non est. Sin vero sit eius dignitas inferior auctoritate S. codicis, cur eam sequeremur? cur mouere-*

170 *Cap. II. De usu philos. maxime iuxta access.*
mur tot scripturarum obtrektionibus? cur
principium nostrum non amplexi potio-
rem reuelationis partem eligendam iudicamus præ ponti-
fice? (229) Ita in auras vel abeunt, vocato ad
animum rationis sufficientis principio, quæcunque
aduersus scripturæ auctoritatem vibrantur tela,
vel in suos retorta proprios configunt dominos.

(227) Eo enim spectat pontificis consilium, *omnes iudi-
care, nec iudicari a quoquam.* Vid. dictatus Hilde-
brand. apud Baron. ad annum 1076. & Rechenbergii
dissertationem de totatu Hildebrandino edit. 1693.

(228) Notum est, quibus armis aggrediantur scripturam
Iesuitæ. Vid. Gerhard. confess. cathol. p. 436. vbi in-
gentem eorum catalogum exhibet, qui dubiis natura-
listarum scripturam detrudunt infra pontificis auctori-
tatem.

(229) Pluribus enim diuinitatis characteribus, eoque ra-
tionibus suffic. micat, quam emendicata papæ potestas
Per rationem h. l. innuo non *subiectiue* facultatem ho-
minis cognoscendi, sed *obiectiue*, id, ex quo cognosci-
tur, præsto esse veritatem ab ipso reuelatam DEO, non
excluso, quod post assensum, naturæ viribus collustra-
tis veritati tributum, succedit, Spiritus S. testimonio.
Constat inde, quid de controuersia, inter reformatæ ec-
clesiæ doctores agitata, sentiendum sit. *An diuina scri-
pturæ auctoritas non aliunde, quam ex ratione cognosca-
tur?* adfirmabat quæstionem Io. van der Wayen, Her-
mann. Alexander Rœllius, Henricus Hulsius theol. Duis-
burg. libros duos *de principio credendi* Lugd. Bat. 1688.
publici iuris faciens. Sed in contrariam sententiam ab-
iit Vlricus Huberus Iuriscons. Franeq. edito scripto, *de
concurso rationis & scripturæ.* Pertinet huc Hermann.
Witcius in dissert. epistol. ad Vlr. Huber. in qua *de scri-
pturæ S. auctoritate diuina ex sola ratione adstruenda
disputatur* Traiect. ad Rhen. anno 1687. Leydeker in
exercit. theol. *de sacra scriptur. auctoritate ad conscien-
tiam adstruenda.*

§. 145.

Faceſſant igitur fratres Wallenburgici, (230) *De metho-*
 qui præſcriptionem, qui traditionem, (231) qui *do Wal-*
 teſtes humanos, ſcripturæ antepoſitos, nobis *lenburgi-*
 obtrudunt: nam *aut illa omnia rationem veri-*
dicatur ex
eadem
axiomate.
 tatis habent, aut non habent. ſi illud; *ostenda-*
 tur ratio, qua præſcriptiones, qua traditiones,
 qua teſtes humani nituntur: videbimus, quan-
 tum *era diſtent lupinis: aut cum ea ratione con-*
uncta non ſunt; tum nec iis moueri par eſt,
 ne faciamus, quod Muhamedani traditionibus
 præſcriptionibusque non deſtituti, facitare ſo-
 lent, eoque erroris pœnam luamus æternam.
 Nec ipſa auctoritatis ſumma antiquitas tantum
 prouehitur, quin in rebus ad fidem pertinenti-
 bus, ſemper hodiernum obſtringatur *rationem*
adferre ſufficientem, cur, aut quo iure tantum
 it dignitatis conſecuta ſaſtigium. Niſi forte
 fuerit, vt antiquiſſima paganorum ſacra Chriſtia-
 norum recentioribus anteferre volueris. Ob-
 ſeruatis hiſ, euertuntur omnia aduerſariorum
 ſophiſmata, quibus litteris ſacris (232) inſidias
 ſtructuri pontificis auctoritatem clam efferre co-
 nantur. Semper namque & de auctoritate,
 quam obtrudere volunt, eadem, immo centies,
 millies plura dubia occurrunt, quam illi ſcriptu-
 ræ exprobrare audent. Faciat rei periculum, qui
 poteſt: non hac parte proſecto diſſentiet.

(230) Fratres, Adrian. & Petrus de Wallenburgh in
 contractis de controuers. tractat. general. noueno, vt
 vocant, Muſarum numero conſtantibus. Agunt enim:
 1.) de principiis fidei. 2.) de methodo Auguſtiniana.
 3.) de

3.) de articulis necessariis. 4.) de instrumentis probanda fidei. 5.) de perpetua probatione fidei per testes. 6.) de traditionibus non scriptis. 7.) de præscriptionibus catholicis. 8.) de missione protestantium. 9.) de unitate ecclesiæ, & schismate.

(231) Vid. libr. citat. p. m. 136. seqq. de præscriptionibus vero p. 261.

(232) Insidiis illis adscribo præscriptionis inuentum, a Tertulliano excogitatum, a pontificiis in abusus raptum longe maximos: ita enim Tertull. de præscriptione cap. 15. p. 318. *quando hæretici scripturas obtendunt, & hac sua audacia statim quosdam mouent; in ipso quidem congressu firmos fatigant, infirmos capiunt, medios cum scrupulo dimittunt. Hunc igitur potissimum gradum obstruimus, non admittendo eos ad ullam de scripturis disputationem.* Breuiter nos ut expediamus sine prolixo verborum Tertulliani recensu; obseruandum est, Hulsemannum de præscript. thes. 3. p. 5. ita hanc vocem explicare: *præscriptionem accipi apud Tertullianum generice, pro exceptione nascente ex aliquo vitio siue actoris, (ut quodei non competat actio, quod sit ignarus rerum, alienus, excommunicatus) siue testium, siue etiam iudicis: non ex temporis legali cursu.* Sed obseruant theologi, Tertulliano negotium fuisse cum hæreticis, qui spreta scriptura S. opiniones ex suo arbitratu, & sapientiæ singularis obtentu introduxerint. Ita Dannhauer in Christeide p. 971. 972. probat ex Tertull. de præscript. c. 7. p. 195. *Fuisse hæreticos, qui adiectionibus & detractationibus ad dispositionem instituti sui scripturas interuerterint, qui non omnia apostolos scisse, & iterum, omnia quidem apostolos scisse, sed non omnia omnibus tradidisse dixerint: Hinc ait citat. theolog. totam disputationem Tertulliani esse tantum ad hominem: nam quia ab hæreticis parui facta fuerit scriptura, imo & deprauata, ideo Tertullianum sine scriptura probasse, eos ad scripturam non pertinere. An, inquit, ideo N. T. fundamentum fidei non est, quia Iudæi illud contemnunt? Adde, quia ex N. T. contra eos non agimus: præterea quia iidem hæretici antiquitatem iactitarint, merito ad successionum decursus reuocatos fuisse, memorat idem.*

§. 146.

Nunquam in animum induxisset theologus, ^{Hannius} ^{de maiest.} ^{scriptura} ^{axioma} ^{hoc appli-} ^{cat.}
(233) profundissima rerum sacrarum notitia pol-
lens, tot argumenta congestare pro sacrarum
litterarum maiestate, nisi iniquum esse credidisset,
quemquam auctoritate duci, ratione suffi-
cienti destituta. Pleraque eius ratiocinia resol-
vuntur in generale huius philosophiæ axioma:
*quidquid creditur, nisi argumento debet, cur
potius adprobri, quam reiici mereatur?* Argu-
mentum v. g. quartum de miranda harmonia &
connexione omnium partium scripturæ confirma-
tur per notionem perfectionis, quam recentiores
gradunt (234). Quintum de testimonio Spiritus
sancti illustrant per doctrinam de experientia. (235)
Sextum & septimum ab effectu verbi divini pe-
nitentium fulcitur illo recentiorum, *effectus non su-*
perat causam. (236) nonum ab occulta vi hu-
manas mentes excutiendi, quæ scripturæ com-
petat, desumptum, commune dogma omnis est
philosophiæ, *futurorum contingentium, anima-*
rum scrutinium non nisi in DEVM cadere. (237)
Decimum argumentum, scriptorum studia al-
legans, qui veritatem suæ existimationi antepo-
suerint, valere iusso propriæ utilitatis studio, in
logica viri celebris secundum generales doctrinas
exponitur. (238) Argumentum denique a mi-
raculis pro scriptura depromptum tale est, ut se-
cundum recentiorum placita non possit non ar-
guere Deum. (239) Aut nihil igitur hac parte
cum theologia consentit, aut certe consentit,
quam dixi, philosophia.

- (233) Ægidius Hunnius in aureo tract. de maiestate S. S. seorsum anno 1588. edico, sæpiusque recuso, & tom denique operum eius primo inserto: cuius & germani vers. dedit Isaac Fœckler, emendatamque cum præfatione edidit Veiel, Vlmæ 1696. in duodec. form. de qua libro ita sentit Thomas Crenius: *Beati Æg. Hunnii tractatus de maiestate spiritus sancti & elegantissimi conscriptus sic animum meum adfecit, ut neminem sciam, qui hoc ipsum in argumento superet in exercitatu. de libris scriptorum optimis p. 27.*
- (234) Vid. Wolf. metaph. §. 158. ill. Bilfinger. de orig. mal. §. 79.
- (235) Confer, quæ de experientia traduntur metaph. Wolf. §. 325. nullum enim est dubium, quin iisdem regulis iudicetur *spiritualis experientia*, quam ordinaria huius vitæ: quemadmodum & vtriusque fori veritates theol. philos. regulis metimur logicis, ita ut nusquam nec in scriptura *a baculo ad angulum arguere* liceat.
- (236) Grauißima est hæc regula, a Leibnitio distinctius euoluta, & toti dynamicæ fundamenti loco substrata. Vid. Journal des Sçavans 1691. p. 386. Recueil des diverses piéces &c. T. II. p. 189. il faut qu'il paroisse que matiere resiste &c. & qu'un petit corps en mouvement ne puisse pas en donner à un grand en repos, sans perdre de la sienne: *autrement l'effet surpasseroit la cause.*
- (237) Ita, ut nemo futura certo prædicere possit nisi DEVS, aut qui ab eo afflatus est.
- (238) Vid. logic. Wolf. ed. prim. cap. 7. *von der Wissenschaft, Glauben, Meynung &c. wenn man kein Interesse siehet, welches einer von einer falschen Erzählung hätte haben können, auch keine Umstände sich ereignen, daraus man schließen könnte, er habe wenigstens sich ein Interesse eingebildet, so fällt aller Verdacht hinweg.* Atqui nullius utilitatis intuitu scriptores sacros, qui sæpe dogmata morte obfignarunt, talia prodidisse, luce meridiana clarius est.
- (239) Vid. Recueil de diverses piéces &c. p. 60. T. I. *Il y a des miracles réservés à Dieu, & qui surpassent toutes forces naturelles.* Wolf. metaph. §. 642. *Da kein*

kein Wunderwerk geschehen kann, wenn nicht ausser der Welt ein von ihr unterschiedenes Wesen ist, so können diejenige kein Wunderwerk zugeben, welche ausser der Welt kein anderes Wesen erkennen, id est, die Atheisten: vt paragraphi lemma ostendit.

§. 147.

Qui cum ratione sufficienti alterum auctoris suæ conuincit, in eo conatu nil facit, quod dignificationem illius minuere, aut incertam præare possit. Aliter enim ageret contra rationem, quod est absurdum: atqui, si scriptores diui, imaginationis impetu abrepti, ultra dictionibus suis processissent, quam ex mente diuina debuisset scribi; incerta foret scripturæ auctoritas, non dissimilis scripto recensui, auctoris affectu interpolato, *einem vnrichtig geführten Protocoll*: errant ergo, quotquot DEVM errores imbecillitatesque in scribendi negotio (240) apostolis aut prophetis indulgisse docent. Errant autem ideo, quoniam aliquid fingunt, cuius allegare nullam sunt sufficientem rationem.

De opinione
Adamæ
Iesuitæ.

240) Sententia hæc fuit Io. Adami Iesuitæ Galli, in oratione sacra 1650. Parisiis habita, quem Iansenistæ refutarunt. Vid. *Defense de S. Augustin contre les erreurs, les calomnies, les invectives scandaleuses, que le pere Ad. Jesuite a prêchées dans l'eglise de S. Paul sur ce texte de l'evangile de la Chananée: Je ne suis envoye qu'aux brebis perdues de la maison d'Israël*. Vbi accusatur 1.) quod Augustinum in suis scriptis obscurum vocarit, quod fuerit genii Africani ardentis &c. 2.) quod infantes sine baptismo decedentes punitum iri pœna damni & sensus idem ecclesia pater docuerit. 3.) quod Augustinus terna vice sententiam de gratia mutarit, nec in ea firmus fuerit. Eandem sententiam tenuisse dicuntur eodem libro alii Iesuitæ antiquiores; ex lectionibus enim Iesuitarum Louaniensium & Duacensium anno

anno 1588. recognitis publice, libri illius auctores excerpterunt has propositiones: *quod non necessarium sit, ut omnia verba sint inspirata, 2.) quod non opus fuerit, ut omnes sententiae, & omnes veritates immediate fuerint inspiratae.* Sed hæc opinio non adeo periculosa est, ac illa prior. Sunt viri litteratissimi, qui eam tuentur. Vid. Reponse de Mr. Simon aux sentimens de quelques theologiens de Hollande cap. 12. eius histor. crit. N. T. c. 23. Cancellarii Tub. dissert. de euangeliis sub Anastasio non corruptis. Item bibliothec. vniuers. T. X. p. 132. T. XI. p. 80. *In examen de la doctrine de Mr. Jurieu pour servir de reponse à un libelle intitulé second. Apolog. de Mr. Jurieu.*

§. 148.

Rationis
& scri-
pturae
harmoni-
a.

Nullis scripturam contradictionibus scaterere constans, eademque verissima theologorum sententia est. (241) *Quem fugit criticissimum istud: reuelationem non esse contra, sed supra rationem.* fecimus eius rei mentionem in discursu præliminari. Atqui idem est præcipuum recentiori philosophiæ dogma: *veritatem philosophicam non esse contrariam theologicæ, utramque proficisci auctore eodem.* Si nulla igitur ab hac doctrinæ theologiæ utilitas expectanda est, certe & nullum damnum metuendum. (242) Absit, v quisquam dicat, *scripturam ad tempus adoptatam, ita ut uno tempore secundum vniuersalem ritum sit exponenda, mutato autem ritu iterum sententia mutanda!* Minime vero. *Semper eadem mens Dei, semper sibi consentanea est.* (243)

(241) Si theologiæ rationem aduersari crederent sacrum litterarum doctores, cur tanto cum adplausu tot harmoniæ biblicæ elaboratæ, exceptæ? Nouimus diligentiam Waltheri in harmonia Hamb. 1725. vbi scriptores harmonici citantur innumeri. Non enu-

sabo Broughtoni concentum scripturae, Anglice primo scriptum, sed post latine versum. Io. Scharpii *symphoniam prophetarum & apostolorum*: Andreae Alhammeri *conciliationem locorum scripturae specietenus inter se pugnantium*: Martini Becani analogiam N. & V. T. Dominici Macrii contradictiones adparentes. omnes eiusmodi lucubrationes notiores sunt, quam vt recensu egeant.

(242) Sententia Leibnitii de harmonia rationis & reuelationis, eoque etiam scripturae exponitur prolixè ab ipso in discursu prælim. rethodiceæ præmissio. Legatur inprim. §. 20.

(243) Verba sunt Nicolai Cusani in epist. II. ad Bohemos.

§. 149.

Diximus, pro ratione instituti, numquid in stabilienda scripturae auctoritate, opportunitatis habeat recentiorum philosophia nec ne? Nunc in eo erimus, vt dispiciamus, an sacrarum litterarum interpretatio detrimenti, seu utilitatis non nihil capiat, ex doctrina eadem? In explicatione h. codicis duo maxime spectari solent: vel enim dictionum phrasiumque significatus eruitur, vt, quæ DEI mens fuerit, discerni queat; vel nexus veritatum reuelatarum attenditur, ad quem interpretationes nostras exigimus, quem vulgo analogiam fidei vocare solent. (244) Si quidquam in recentiorum placitis deprehendi potest, quod alterutri instituto, vel vtrique obstet; nihil ego pro hac eorum causa dicam amplius: Sin autem hermeneuticas regulas robore firmet, adplicationem expeditiorem præstet, & in meditando iuuet; non videtur utilitatis laude frustranda nostrorum hominum docendi methodus. Quemadmodum papæam dixi auctoritatem, quæ sine

M

ratione

178 *Cap. II. De usu philos. maxime iuxta access.*
 ratione sufficienti obtruditur, diuinam vero, quæ
 ratione munita est: ita interpretationes ad ratio-
 nem hermeneuticarum regularum exactæ calculo
 christianorum, quæ cœca auctoritate inculcan-
 tur, repudio eorum dignæ sunt.

(244) Buddeus theol. hist. litter. p. 1753. de analogia
 fidei ita iudicat. Analogia ex locis claris & perspi-
 cuis, nihilque difficultatis habentibus, desumitur, &
 deinde locis obscurioribus illustrandis inseruit.

§. 150.

*De inter-
 pretatione
 scripturæ.*

Attingemus primam quæstionem de inue-
 stigando vocabulorum significato. *Voces nihil
 aliud sunt, (245) quam signa cogitationum.*
 Cumque in scriptura voces occurrant, non sunt
 soni sine mente, sed indicant potius, quid Spiritus
 S. sentiat. Quisquis igitur verbum DEI
 intelligere cupit: (246) eum oportet easdem
 cum vocibus ibi obuiis ideas coniungere, quas
 Spiritus DEI fouit. Istæ autem ideæ aut lecto
 DEI in vernacula, seu nota lingua verbo ad ani-
 mum reuocari possunt, aut non possunt. Si
 non possunt: Spiritus sancti erit sine verbo exci-
 tare istas notiones, siue in peregrina tibi, siue
 familiari lingua voces adspicias, legas; eoque
 voces non erunt signa. (247) Sin autem ad ani-
 mum reuocari possunt: intelligere licet verbum
 in planioribus, nisi incuria obliterit, aut præ-
 iudiciorum efficacia.

(245) Hanc *vocis* definitionem Wolfius tradit in me-
 taph. §. 291. *Wörter sind Zeichen der Gedanken.*

(246) Ita ratiocinatur idem auctor in logic. cap. 12. §. 1.
 de interpretat. scripturæ.

(247) Signa

(247) Signa enim quid aliud sunt, quam res, ex quibus aliarum præsentia intelligitur cit. loc. §. 292. *Absit, ut faciamus cum Salmasio, qui scripturam Æschylo non longe inferiorem* voluit de Hellenistica p. 37. epist. dedicator. *quantum adinet ad obscuritatem.*

§. 151.

Non est igitur impossibile, ut lectis vocibus, phrasibusque verbi, illæ ideæ animum adtenti, *saltem in doctrinis necessariis*, subeant, *demonstrantur canones hermeneutici.* quas DEVS cum vocabilis copulatas voluit: nam aut vocem explicat ipse, quamque notionem formare oporteat, alibi ostendit; aut eam ad signandas tales adhibet notiones, quas animo iamiam antehac agitauimus. Ex his plerique canones hermeneutici (248) demonstrari possunt. *Voces sunt signa cogitationum*: sed cum nemo penitus sensa animi scrutari queat, quam ipse, qui cogitat I. Cor. II. 11. manifestum est, quemlibet esse suorum verborum interpretem, eoque *scripturam ex scriptura explicandam*, quod theologi scripturæ analogiam (249) adpellant. Quo plura de re cogitare, inque ea distinguere possumus; eo nobis obuersatur clarior: ne igitur contra naturam vocum, audito sono verbi, nihil aut parum cogitare velle videamur; *clariora verba sunt obscurioribus illustrandis adhibenda.* En secundum hermeneuticæ canonem longe fecundissimum!

(248) Noti sunt ex antiquitate Tichonii Afri regulæ septem ad intelligentiam sacrar. scripturar. quæ existant tum alibi, tum in bibliotheca max. Patr. T. VI. p. 49. quas sub examen vocauit Augustinus de doctrina christiana L. III. cap. 30. p. 114. seqq. Addatur altera pars

clavis scripturæ Flacianæ, quæ hermeneutici system. faciem induit, cum prima lexicæ instar habeat.

(249) Exsoluimur ergo obtrectatione pontificiorum v. g. Rich. Simonis hist. crit. V. T. L. III. cap. 16. p. 448. nobis exprobrantis, inter pontificiam *interpretandi methodum traditionibus metiendam, & inter Socinianam sola ratione nixam non dari mediam*. Fallitur auctor: confundit *rationem, quatenus est cognoscendi facultas, & qua significat veritatum nexum*. Penes Socinianos quidem isto sensu ratio interpretationis norma est: nullum enim mysterium in sacris admittunt, nisi sua cognoscendi facultate peruestigari posse videant, id est, nisi desinat esse mysterium. Non est hæc ratio, sed rationis sanæ abusus. Protestantium autem via media est, inter traditiones, & rationem hoc sensu acceptam, scilicet quidquid cum aliis veritatibus nexum habet, scriptura ex scripturis explicata, quidquid per axiomata hermeneutices seu logices *formalia*, ut vocant, cum vocum significatu coniunctum inuenitur; id ambabus arripiunt, & in suæ fidei conuertunt nutrimenta. *Vid. Anton. Coulan. in examine historico crit. N. T. ep. 4. p. 78. seqq.* Aliud est rationem collustratam sequi, id est, nexus veritatum reuelatarum, oracula ex oraculis explicando; aliud corruptam imitari rationem, quæ continuo improbat, quidquid intelligere nec vult, nec potest, etiamsi reuera a DEO inspiratum fuerit.

§. 152.

Demonstrantur alii.

Voces sunt signa cogitationum, non signa signorum, quæ ex obliquo, & per ambages ad signata ducunt. Atqui versiones signa sunt signorum, queis lingua originalis utitur: non potest igitur interpret commode linguarum originalium notitia carere. Hinc necessitas grammatici studii, rhetorici, ceterorumque pendet. (250) Dantur cogitationum series, quarum separati a nexu toto articuli haudquaquam intelliguntur: quoties igitur plura vocabula iis seriebus signandi adhi-

adhibentur, & antecedentia, & consequentia probe expendenda sunt. Agnoscimus hoc axioma hermeneutices quartum, idque longe præstantissimum. (251) Pro temporum varietate, status conditione, temperamenti mixtura, studiorum diuersitate, populorum denique, ad quos formamur, moribus, varie homines cogitare solent: *scriptorum igitur*, qui voces his rebus respondentes adhibuerunt, *historiam nosse*, ad interpretandas sacras (252) litteras cum maxime *ad commodatum est*.

(250) Pertinet huc philologia Salom. Glaslii: Clerici ars critica, quæ tamen censuram subiit Io. van der Wayen. Cui se opposuit Clericus in Parrhasianis T. I. p. 425. Ex instituto eam impugnavit Io. Henr. May in introd. ad studium philol. critic. quæ repetito examini histor. crit. R. Simonis subiuncta. Francof. 1699.

(251) Urget id maxime Franzius, *de interpretatione sacra scriptura passim*.

(252) Non tamen committendum, ut cum Grotio, alisque, eruditionis ostentandæ causâ, nimii simus in annotandis moribus, formulisque populorum, imprimis profanorum, cum ad sacras litteras explicandas accingimur. Vid. Io. Laur. Moshem. cogitat. *de eo, quod iustum est circa sacrarum litterarum ex Græcis & Latinis scriptoribus interpretationem, & emendationem* in libr. obseruat. hist. critic. ann. 1721. C. I. p. 1.

§. 153.

Interdum voces, cogitationum signa, non unius generis ideas, nunc hanc, nunc aliam indicant; interdum non distincte notiones innuunt, iam prorsus nihil (253) denotant, iam ex genio linguæ tale *nescio quid* innuunt, quod alia lingua exprimere nequit &c. Primum si contigerit; *ambiguæ voces*: secundum si euenerit; *obscura*:

*Regula de
vorum
differen-
tijs.*

obscura: tertium ubi obseruetur, *uoces nihili* emergunt. Notandum igitur, illas sæpe, has in scripturis nunquam occurrere: ad inuestigandas autem, quas intenderit DEVS, ideas, plurimum conferre, significatus omnes colligere, & iis examinatis iudicare, quænam cogitatio hic & nunc per voces indigitata sit; iudicatur id autem ex canonibus, quos modo demonstraui. *Ita profecto ex recentiorum definitionibus doctrinisque potissima sanioris hermeneuticæ fundamenta erui possunt, ut iniquum videatur, omnem eis denegare utilitatem.* Non descendo iam ad specialiora hermeneutices corollaria, quoniam id huius loci non est.

(253) De vocibus nihili integrum caput curiosis exemplis illustratum artis criticæ a Clerico concinnatæ agit. p. 225. c. 9. P. II. sect. I.

§. 154.

*Difficultas
interpretandi
notabilis.*

Quod contradictionem inuoluit, (254) cogitari non potest: & quod per se quidem fieri, & concipi potest; hac vice autem cogitatu ineptum foret, cogitari non debet. Cum *signa cogitationum uoces esse*, cum recentioribus sæpe dixerim: obseruari debet, frequenter euenire, ut voces talia signare videantur, quæ alii contradictoria credunt, alii vero possibilia. Iterum alii congrua putant, alii minus congrua, illis propterea a sensu litteræ recedentibus, his eum acriter defendentibus. Conueniunt partes ambæ in eo (255) ut existiment, non iuberi homines a DEO, ut cogitent, quod cogitari nequit, id est, non inculcari per verbum eius *ligna ferra,*

ferra, circulosque triangulares; sed in eo differunt, quod secundum regulæ *adplicationem* abeunt in diuersa. Quid tum faciendum est? *Quoniam voces sunt cogitationum signa: inquirendum erit, an id, de quo quæritur, cogitari queat nec ne, id est, num inuoluat contradictionem, annon?* Sed hæc difficultas propemodum insuperabilis est, vbi ex parte vna, aut altera radices egerunt opiniones præiudicatæ.

(254) Ita recte decidit Tschirnhaus. in medicina mentis part. II. p. 36. *nulla alia differentia est, inter ens & non ens, quam inter possibile, & impossibile, seu inter id, quod potest concipi & non concipi.*

(255) Vid. Leibnit. discurs. de harmon. rat. & reuelat. theod. præmiss. §. 21. vbi grauissima huius rei exempla allegat, quæ integras ecclesias diuidunt. Sic reformati credunt, *contradictionem inuoluere, dari corpus omnipræsens*, eoque verba: *hoc est corpus meum*, non explicant iuxta litteram. contrarium sentiunt Augustanæ confessionis non variatæ patroni.

§. 155.

Quia cogitationum diuinarum, *quarum voces* *Alia diffi-*
signa sunt, profunditas, nostra animi sensa infi- *cultas.*
nitatis post se (& in regno naturæ) parasangis relinquit Esai. LV. 8. 9. fieri non potest, vt ideæ nostræ illas exæquent, aut rerum, animo per verbum oblatarum, perfectas nanciscantur explicationes, sufficiente præsentī phænomeno sine adcuratori expositione ad scopum, quem sibi DEVS verbo præfixum habet. Ex quo intelligitur, voces scripturæ frequenter tales signare cogitationes, quæ rerum distinctas philosophicasque euolutiones non complectuntur; esse igitur vocabula eiusmodi, vt philosophorum nec veram explicatio-

184 *Cap. II. De usu philoſ. maxime iuxta acceſſ.*
nem reiiciant, nec falſam adprobent. *Eo caſu*
ulterior euolutio idearum aliis relinquenda eſt
ſcientiis. Terræ finium ſæpe fit in ſacris men-
tio, perinde ac ſi globi figuram non haberet;
nemo tamen rotundam eſſe temere negauerit.
(256) De ſimilibus eſto igitur ſimile iudi-
cium (257)

(256) Confer, quæ acute ill. Biſing. diſſerit in dilu-
cid. §. 352.

(257) Certe, niſi quis cum Alſtedio putet, quod omnium
ſcientiarum doctrinæ in S. codice quærendæ. vid.
Boyle dictionnaire non poterit non heic mecum
ſentire. Non facio tamen cum iis, qui dixerunt,
DEVM poſſe in verbo mentiri, ſi vellet. Blaſphemum
id iudico. Tribuitur tamen tantus error Wolzogenio
in libro, quem inſcripſit *de ſcripturarum interprete*
aduerſus exercitatore paradoxum. 1667. refutatus ta-
men eſt a van der Wayen in ſcripto *de vera & ge-*
nuina reſormatorum ſententia in negotio de interprete
ſcripturæ: a Vogellangio *in neceſſ. reſponſione ad præ-*
ſationem Ludou. Wolzogenii: a Io. Brounio *in Wol-*
zogenio cauſſæ proditore. Quid Carteſio obiectum fue-
rit, cum *veracitatem DEI omnis ſcientiæ humanæ fun-*
damentum faceret, & ex ea corporum exiſtentiã pro-
baret, legi poteſt in ſecundis obiection. contra medi-
tationes Carteſii. p. 66. non mentitur DEVS, qui re-
rum explicationes non attingit.

§. 156.

Adeo non ſteriles ſunt recentiorum defini-
tiones, vt inde hermeneutices prima poſſis eli-
cere axiomata. Non minorem autem hac parte
uſum præſtat *principii de ſufficienti ratione* dili-
gens obſeruatione in ſacrarum litterarum interpre-
tatione. Grauiſſima hæc eſt admonitio, *qua in*
conſilium adhibita, ſcepticiſmi theologi ex peſte
laborantes ſanitati mentis reſtitutos cognoui.
Nimi-

Alia diffi-
cultas.

Nimirum ipso vsu quotidiano comprobatur, diuersarum religionum asseclas pro adoptatis hypothesebus scripturam varie explicare. Desumunt namque ex suis hypothesebus distinctiones, limitationes, negandi, aut affirmandi fundamenta, vt quicquid oraculorum scripturæ altera pars pro sua sententia obuertat, id omne vel elidatur, vel eludatur, aut certe ita limitetur, vt aduersæ parti, cui adstipulantur, non amplius obsit. Contra idem factitant oppugnatores, vbi se defendunt. Quæcunque autem pars argumentis lacescit contrariis, ea se respondentis iure frui credit: nihil igitur probat, sed ex sua hypothese, quam veram esse fingit, non difficulter distinctiones limitationesque oraculorum, quibus premi se videt, depromit; ac licet ipsas distinctiones aggrediatis, nouis vsus argumentis, ea tamen ipsa denuo nouis limitationibus & suppositionibus ita soluit, vt, quoniam facilis datur ex vna materia ad alteram transitus, vastissimos controuersiarum campos prius emetiendos credas, quam ad finem peruenire, errorisque fontem aperire liceat. Hæc ratio est, quæ omnes omnium sectarum promachos constantissime in sua detinet religione, vt in destruendo (258) sint promptissimi, in adstruendo autem multo inferiores.

(258) Perplacuit, quod Clericus in pneumatol. operibus philos. inserta p. 38. 39. scripsit: *hi viri acutissimi (Malebranchius & Arnaldus) mutuis telis ita confossi ex eo certamine abierunt, vt vter vicerit, haud facile constet. Certe multis victores esse, vbi oppugnant aduersarium, victi, vbi se contra irruentem tueri conantur, visi sunt.*

Difficul-
tatis ex-
emplum.

Illustrabimus rem exemplo. Romanæ ec-
clesiæ filii, quoties vniuersale in Christianos omnes
imperium suo vindicare pontifici volunt, argu-
menta protestantium contraria ita soluunt, vt re-
currant ad hypothefin. Obuertunt hi: 1.) *sin-*
gulos apostolos habuisse summam & in regenda ec-
clesia potestatem, & in docendo ab erroribus im-
munitatem: igitur aut succedi Petro, qua apo-
stolo, aut qua doctori; non illud: apostolos enim
ceteros non habuisse successores: ergo hoc admit-
tendum, quantum ad officium docendi, non au-
tem prerogatiuam attineat infallibilitatis. (259)
Sed ecce! quid respondeant? distinguendum es-
se inter (260) *apostolatum ordinarium, & extra-*
ordinarium, illum cecidisse in solum Petrum,
hunc in ceteros Christi legatos. Ita supponunt
existere eiusmodi potestatem, & ex ea hypothefi
distinctionem formant. Urgent 2.) protestan-
tes, *Christum omnes ceu aequales tractare apostolo.*
Io. XX. 21. Matth. XXVIII. 19. Actor. I. 23. *vo-*
cationem ministrorum Actor. VI. *non soli Petro re-*
lictam &c. Regerunt pontificii *inaequalitatem sa-*
tis cognosci ex Matth. XVI. 16. *Ceteris apostoli-*
tantum eiusdem & equalis potestatis usum conces-
sum, non ius ipsum &c. Ita denuo, ex sua hypo-
thesi de primatu Petri, quam veram præsuppo-
nunt, argumentis occurrunt contrariis, 3.) In-
stant protestantes, *non fuisse inferiorem Petro Pau-*
lum II. Cor. XI. 5. Gal. II. 6. *Petrum Iudæos gu-*
bernasse, sed Paulum gentes. Quærunt effugium
pontificii eadem, *multum interesse inter munus*
aposto-

*apostolicum, & gubernandi officium; secundum
tud Paulum Petro fuisse aequalem, non iuxta hoc.
Iac ratione, iterata vice summum regimen ec-
clesiæ Petro concessum præstruentes, limitatio-
es adhibent, quæ isthuc doctrinæ tanquam
robatae iam iam innituntur. Qui curate consi-
derauerit lites theologicas: intelliget, plerasque
a agitari, vt subinde pars impugnata distinctio-
es, ad contraria argumenta soluenda, petat ex
i ipsa hypothese, quæ inuaditur, idque in spe-
em sine petitione principii fieri, quoniam veri-
tatis possessio, & respondentis munus obtentui est.*

(259) Vid. has responsiones apud Bellarmin. de ponti-
fice. L. II. c. 12. p. m. 635.

(260) Vid. eund. L. II. c. 12. p. 639.

§. 158.

In tanta litium perplexarum, interpretatio-
umque fraudulentarum copia quid quæso faci-
endum est? Existimo ad sequentia aduertendum
nimium. *Cum nihil vel fieri soleat, vel credi
debeat, sine sufficiente ratione: ante omnia dispi-
endum, quanta cum firmitate religio quædam
destruere queat, non vero, quam callide possit
destruere; seu si mauis, cogitandum est, an in-
terpretationis cuiusdam rationes sufficientes alle-
are possit pars disputans, nec ne? ad veritatem
robendam non sufficit, quandam interpretatio-
em (261) fingere, eaque pro veritate supposita,
quidquid in contrarium dicitur, ex hac ipsa
hypothese soluere, quod fieri facile potest: sed
o maxime connitendum, vt nunquam admit-
tatur explicatio, nisi probata sit vel per rationes
suffi-*

*Remed-
dium.*

188 *Cap. II. De usu philos. maxime iuxta access.*
sufficientes, vel per verosimiliores ceteris omnibus, quæ aliæ expositiones fulciuntur. Secundo si ab aduersario tuæ explicationis ratione impugnentur; videndum est, numquid id fiat per dubia, quæ ipsius hypothesein supponant, ne ne? si istud contigerit; non est, cur moueantur vel speciosissimis distinctionibus, si scilicet fluxerint ex hypothesei ea, quæ tam non probari potest quam v. g. primatus Petri: est vero, cur cedas si ista interpretatio argumento potiori, seu ratione sufficienti præ tua opinione nitatur. Quod vero dubia aduersarii hypothesein non supponant pendentia ex communi theoremate: tum non sunt spernenda, sed exacte examinanda omnia. Tertio colligitur inde, quod longe grauissimum est rationes sententiæ cuiusdam cum rationibus alterius comparandas, non autem rationes contentendas cum alterius partis responsionibus: responsiones enim ad hypothesein recurrunt, eamque supponunt, siue probata sit, siue non. Respondens nunquam principium petere dicitur. (262) Igitur, si pontificius omnia mea argumenta contra primatum papæ suis eluderet distinctionum effugiis: non ego diffiderem causæ, probe gnarus, eas ipsas distinctiones filias esse hypotheseos, quæ per rationem sufficientem ex S. codice demonstrari non potest; id agerem potius, vix ex machina tanquam prodiens, omnium controuersiarum veluti inscius, tantum ad ratione aduenterem, quibus vtraque sententiæ corroboratur; tum rationum inæqualitate perspecta, animi ad alterutram partem adplicarem, *Haec autem*

tem omnia ductu axiomatis de sufficienti ratione
obseruare iubemur.

(261) Ita v. g. distinctio voluntatis diuinæ in *signi & beneplaciti* nititur doctrina, de qua quæstio est, nimirum de particulari diu. misericordia. At quoties ad soluenda argumenta contrariæ sententiæ patronorum adhibetur? ad rationes igitur dogmatis, de particulari misericordia, aduertendum ei, qui solida veritatis hinc aut illinc stantis notitia imbui cupit. Falluntur, qui in sententiam ideo tantum eunt, quia contraria argumenta soluere possunt, *non est ea ratio credendi sufficiens. de voluntate anteced. & consequente* integram dissertat. nuper emisit Hottinger, *subiunctam historiae de gratia & predestinatione*. Licet hanc adhibere, quia sententiam, qua nititur, aliunde probare possumus.

(262) Vid. de respondentis officio, quæ Leibnitius tradit discurs. de harm. rat. & reuel. §. 73.

§. 159.

Pauca hæc de interpretatione sacrarum literarum ex mente recentiorum tradere volui, *De analogia fidei.* quæ vti expendentur applicabunturque constantissime; ita etiam fecundissima, & ad extricandas complures difficultates accommodatissima uenientur. Alter locus erat, vt de *analogia dei*, quæ in explicatione verbi diuini plurimum rahi momenti, non nihil adderemus. Definimus rationem (*obiectiue spectatam*) per *nexum veritatum, quæ natura cognite sunt*: nunc nexum non erit, analogiam fidei vocare *nexum veritatum, quatenus per reuelationem innotescunt*, quæ a ratione collustrata non differt.

(263) Dari talem nexum veritatum reuelatarum recentiores non admittunt solum, sed & argent. (264) Quocirca & hac parte theologiæ doctrinas confirmant.

(263) Analogiam fidei, quam alii ab analogia scripturæ distinguunt, h. m. definit vir summus Buddeus *analogia fidei est capitum atque articulorum, quibus religio christiana absolvitur, præsertim fundamentaliū consensus atque harmonia. quæ definitio a nostra me iudice, prorsus non differt vid. theol. dogmat. Budd. L. I. C. I. p. 64.*

(264) Wolf. in logic. de explicat. script. cap. XIII. §. 8 p. m. 152. *weil man aus dem Werk der Erlösung Gottes Weisheit wahrnehmen kann; Ephes. III. 10. so müssen die Göttlichen Wahrheiten eben eine solche Verknüpfung miteinander haben, wie die andern. - Veber die wird auch viel in der Schrift vorgetragen, die nur Gott, in so weit Er ein Schöpfer und Erhalter der Welt ist, und den Menschen, in so weit er eine Creatur ist, angehen. Conferat. Io. Gerhard. loc. theol. d. interpret. script. c. 4. §. 71. Ex perspicuis scripturæ locis colligitur regula fidei, ad quam reliquorum expositio conformanda. Dicemus, si placet, hanc conformitatem oraculorum obscuriorum cum clarioribus analogiam scripturæ.*

§. 160.

*Applicatio
 definitio-
 nis.*

Fidei analogia iubet esse vaticinia Paulus Rom. XII. 6. Sensus igitur ex datis definitionibus non potest esse alius quam hic: cauendum, ne tale ex scripturis eruamus sensus, qui vel cum veritatibus aliis iisdemque manifestis non conueniantur; sic enim forent contra fidei analogiam vel clarioribus oraculis, quæ normam obscurioribus, iuxta canonem supra demonstratum, præbent, aduersentur; sic forent contra analogiam scripturæ. (265)

(265) Qui propter merita DEVM hominibus obstringunt contendunt ex Iacob. II. clarioribus oraculis, & veritatum nexui generali, qui DEVM nulli obligatur docet Rom. II. v. penult. repugnant, id est & analogiam fidei & scripturæ violant. vid. quæ acute Leitnitijs contra Veronium tradit in *saerarum litterarum*

inter

interpretatione papam iudicem per dubia scepticorum declaraturum, in discurs. de harm. rat. & reuelat. theod. præmiss. §. 62.

§. 161.

Age, leui penicillo delineabimus exemplum analogiæ fidei, vt, quam connexa sint sacrorum capita, cognoscatur. Seruatorem vltro adiisse mortis & periculum & sententiam, historia uangelii clarissimis verbis memoriæ prodidit. Confer Luc. XVIII. 31. cum Matth. XXI. 1. seq. *Voluntarium est, quod cognoscitur, & vt bonum, et & aliis præstantius, eligitur.* Futuram primæ mortem Seruator præuidit: qui enim vel leuissimas circumstantias prælagire potuit Matth. XXI. 3. grauiora etiam multo ante sciuit, quam euerunt, id est, mortem: Vti vero horrendum supplicium intelligendo præcepit; sic tamen tiam elegit: aliter Hierosolymam nunquam intrasset publice, & tanto cum applausu.

Analogia
fidei ex-
emplum.

§. 162.

Recte tu quidem, inquis, hac sole clariora, sed quid inde? Sum in eo, vt exponam. Quidquid sponte eligit Θεανθρωπος, non potest non esse bonum Iesai. VII. 17. Elegisse vero mortem concessisti: cum præstantia igitur coniunctam profiteri eandem, quid obstat? Quod bonum est, perfectionem infert: *perfectio est consensus in varietate*, de qua in antecedentibus: credendum ergo est, mortem Christi peperisse nouum rerum consensum. Maior consensus in regno (266) naturæ existere non potest, quam Deo conden-

Exem-
plum
analogia
fidei.

te iam dudum exſtitit : conſenſus igitur morte
 Chriſti partus regnum attingit gratiæ. Conſen-
 ſus diſſenſum ſupplet : nullus in regno gratiæ
 diſſenſus regnat, niſi admiſſum culpa hominis
 peccatum : ſuperest ergo, vt credamus, mortem
 Chriſti propter peccata ſuſceptam expianda.
 Cum peccatorum expiationem tanquam *bonum*
 ſua morte intenderit Chriſtus : maioris ponde-
 ris erit id bonum, quam quod in morte ineſt
 malum, doloribus acerbiffimis licet comprehen-
 ſum. Si bonum minus foret, nec grauitate ſu-
 perans mortis incommoda : nunquam ab optimo
 Seruatore fuiſſet huic antepoſitum. Eo loco
 habetur mors fratrum Chriſti, ac ſi ipſi fuiſſet
 illata, *mors noſtra, Chriſti mors* II. Cor. I. 5
 Quemadmodum hanc felicitatis matrem com-
 probauimus : ita & noſtra non infelicioſior erit.
 Si noſtra non eſt morte Chriſti infelicioſior : plu-
 in ipſa quoque boni inerit quam mali. Cumquæ
 nonniſi ea timeamus, quæ plus mali inferunt
 quam boni, non eſſe metuendam mortem, quæ
 Chriſti ſimilis eſt, euidenter intelligitur. Pec-
 cant, qui ab eo recedunt, quod faciendum eſt
 aut omittendum : ergo & culpa non vacant, quæ
 mortis tantopere percelluntur metu. Ineſt i-
 ipſa plus boni quam mali. Quis autem non fer-
 tur in id amore, quod plus boni complectitur
 ac mali ? non ergo beatus obitus amore noſtro
 indignus eſt.

(266) Si conſenſus machinæ mundi, ſeu regno naturæ
 per Chriſtum inferendus fuiſſet ; diſſenſus ante in crea-
 turis habuiſſet locum, eoque opus DEI creatoris com-
 maculaſſet imperfectio : non illa enim imperfectio
 hom

hominum culpa exstitisset : quicquid enim hominum culpa factum emendatur, pertinet ad regnum gratiæ. Per peccata, in regno etiam naturæ plura mutari, exemplo agrorum constat, quibus DEVS dixit olim male. Sed ille dissensus grauiorem in regno gratiæ, id est, peccatum arguit, ira vt istum supplere DEVS nequeat, quin eodem consilio respiciat hunc. Atqui in eo vis argumenti ponitur, vt mors Christi ad regnum naturæ non pertineat, nisi simul respiciat regnum gratiæ. vid. Recueil de divers. piec. par Leibnitz. p. 4. §. 4. *Et je tiens, quand Dieu fait des miracles, que ce n'est pas pour soutenir les besoins de la nature, mais pour ceux de la grace. En juger autrement, ce seroit avoir une idée fort basse, de la sagesse, & de la puissance de Dieu.*

§. 163.

Nunquam lectorem tam tenui ratiociniorum *Corollaria*
ilo, & leui pro declaranda analogia fidei exem-
plo detenuissem, nisi satius fore existimassem, si
longinquo saltem aliquis veritatum reuelatarum
nexus monstretur, quam si plane sicco prætereatur
pede. Cum *analogia fidei veritatum nexus*
radicet : falluntur, qui consequentias necesse posse
negant, (267) qui systemata non saltem vulgaria
reiciunt, (268) verum & accuratiori sensu
licta superuacua, imo periculosa ducunt, docen-
li rationes, quantum fieri potest, ad methodum
mathematicam accedentes, improbando : (269)
recte autem agunt, qui oraculis recte expositis
structuram veritatum apte coagmentatarum in-
edificant, axioma, corollaria, theoremata eli-
ciantes.

(267) Sunt eo nomine accusandi Veronius, Wallenburghii &c, in contract. de controu. general. tractatibus. p. 75. 79. *Protestantes possunt errare in forman-*

da interpretatione & consequentia &c. quos Musæus depexos dedit in tractat. de conuersione hom. peccator. &c. ubi & agitur de fraudibus, quas sophistæ moderni committunt, pro re natâ etiâ methodi Wallenburgiana fundamenta potissima impugnantur.

(268) Systemata vulgaria voco, quæ doctrinas similes in certas classes digerunt, non attendendo, num ex antecedentibus consequentia legitime demonstrari possint, nec ne? omnem methodum systemat. & vulgarem a fanaticis improbari constat. vid. Rob. Barclaium in theologiæ vere christianæ apolog. thes. 9. §. 21. p. 200. Dicta B. Lutheri non tam contra methodum system. quam scholasticum eius abusum Zieroid collegit in libro: *D. M. Luthers Aufmunterung zur Liebe des Worts Gottes wider das Scholastische Aristotelische Christenthum*. Systematis accurato sensu dicti notionem exhibet explicatiorem ill. Bilfinger. de orig. mali. §. 62. est, inquit, *multitudo rerum connexarum, quarum altera determinationes suas nanciscitur ex determinationibus alterius, ita ut ratio unius reddi possit ex altera*. Loquitur auctor de systemate mundi: facilis autem est definitionis ad systema disciplinæ adplicatio.

(269) Nota est Huetii demonstratio euangelica, quam laudat velut mathematicæ propinquam in actis erudit. Lipsiens. suppl. T. II. sect. II. p. 98. Pufendorf. notum Henrici Wideburg. system. theol. positiuæ. Sec alii hoc institutum improbant. v. g. Schomer. theol. moral. cap. 1. §. 20. p. 29. Ruardus Andala in exam. ethicæ Geulingk. dissert. I. §. 10. seqq.

CAPVT III.

DE

VSV PHILOSOPHIÆ IN ARTICVLO DE CREATIONE.

§. 164.

Accessus.

Recentiorum placita doctrinæ de mundi creatione non aduersari, dudum viri iudicio polentes

entes (270) contra nonnullorum (271) accusationes probarunt. Id negotii nunc nobis datum esse credimus, ut, quantopere illa grauissimo huic theologiæ capiti faueant, paucis exponamus. Mundum nec existisse ab æterno, (272) nec ex materia formatum æterna, DEO auctore, (273) sed ex nihilo prodiisse, disciplinæ christianæ sanctioris venerandum dogma est, cui quæ philosophia repugnat, execranda debet haberi. Quamquam sint, (274) qui creationis ex nihilo notitiam non a sacris litteris, sed a sola ratione proficisci contendant.

(270) Inter alios ill. Bilfinger in diluc. §. 459. seqq. Riebovv. in der ferneren Erläuterung p. 31. seqq. §. 18. seqq. & alii.

(271) Ioach. Lang. theologus celebr. & eximius in der bescheidenen Entdeckung der schädlichen Wolfischen Philosophie p. 24. seqq. in anatome noua p. 73. ut de causa DEI asserta, de modesta disquisitione, vindictisque huius nihil dicam.

(272) Huc pertinet Aristoteles, de quo Cicer. in quaest. acad. L. IV. c. 28. Aristoteles, inquit, non esse ortum unquam mundum dicit, quod nulla fuerit, nouo consilio inito, tam præclari operis inceptio, & ita eum esse vndique aptum, ut nulla vis tantos queat motus, & mutationem moliri. Ceteros auctores infra indicabimus pro re nata.

(273) Hæc sententia plerarumque fere gentium fuit, quæ iterum circa modum, quo DEVS materiam tractarit, in diuersa abierunt, quæ elegantissime describit Christ. Thomasius in den Monatgesprächen P. II. p. 175. anno 1688. addatur Iac. Thomas. in diff. 2. de stoica mundi exustione.

(274) Inter quos est Limborch. theolog. christian. L. II. cap. 19. §. 5. p. 112. Scriptura, inquit, nusquam disertè dicit, creationem ex nihilo factam. solent quidem hunc in finem tria potissimum loca proferri Rom. IV. 17. II. Cor. IV. 7. Hebr. XI. 3. sed ex multo istorum

rum id solide concludi potest. In primo loco non definitur, an DEVS res ex nihilo, an vero ex præiacente materia producat: secundus locus manifeste agit de luce euangelii &c. in tertio solum dicitur, mundum creatum ex non adparentibus. Vid. Gerhard. loc. theol. de creat. & ang. c. 3. p. 3. Budd. syst. p. 454.

§. 165.

*Creatio ex
nihilō ni-
titur
princípio
suffic. ra-
tionis.*

Existimo, difficulter creationem ex nihilo probari, nisi forte fuerit, ut principii de sufficiente ratione non limitatam amplitudinem agnosceris. Ne rideas quæso, toties commendari axioma idem: faciemus periculum, vter nostrum habuerit causam, vel hoc affirmandi, vel temere dictum ridendi. Antiqui cuiusdam ratiocinia philosophi pro mundi non ex materia formatione, sed ex nihilo creatione facientia allegabo primum. (275) *Quorsum, inquit DEVS ea, quæ non condidit, digerere conatur si quid enim ingenito & per se subsistenti addatur præter naturam fiet. Quod autem præter naturam efficitur, vitiatur: quare materiam ornari (ab alio) minime bonum (est) Sed facilis est responsio ei, cui nulla principium rationis sufficientis obseruandi necessitas imponitur. Regere enim: quod præter naturam alicuius rei, ordinatæ, concinnatæ & eleganter digestæ efficitur, omnino vitiatur. Atqui materia rudis indigesta: que erat moles: eius igitur digestio perficiebatur non vitiabat. Pergit philosophus. Actiones DEI, qua materiam formare instituisse, non futuram fuisse (276) argumento diuinæ benignitatis, sed superflue DEI diligentia: cur enim Demoliretur ordinare, quod non effecisset? optimu*

ordinem non posse non afficere rem æternam, qualis materia fingatur. Hoc autem est, idem per idem probare, aduersus eos, qui materiam pro chao habent. Etiam si enim fingant æternam, digestam tamen & ordine dispositam negant. Non est igitur consentaneum, id præstruere, de quo potissimum lis vltro citroque recipitur. Addit philosophus: *stante doctrina de æternitate materia non potuisse DEVM moliri eius ordinationem sine crimine: spoliaturum enim pristino statu & conditione fuisse substantiam, qua ex æquo, ac ipse, fuerit, exstiterit æterna, eoque ipsam DEI sororem hoc pacto violatam fuisse.* (277) Non miror, his ineptiis Platonis assecclas, ceterosque materiæ æternæ cultores haud fuisse commotos. Quomodo enim iniuria fieri potest rei prorsus inanimæ, inertis, qualis materia concipitur? quomodo rem perficiendo, exornando, ad elegantissimam formam reuocando violare possumus? Certe, si grauiora non obstiterint argumenta, his parum effeceris aut nihil. Aduersarius enim, cui copiam facis vniuersalem axiomatis de sufficienti ratione amplitudinem aut restringendi aut tollendi, semper, sed absque ratione finget, materiam rudem æternamque eguisse ornamento, & ex hac hypothese suas deriuabit ad contraria argumenta soluenda distinctiones.

(275) Hieroclem intelligo, qui apud Photium biblioth. cod. CCLI. p. 1380. ita disputat: Τι γὰρ ἔδη μαθῶν α μὴ υπέστησε Δατατλειν πειραταί, παντως πρ της ευταξίας αυτης εν τη αγεννησια της εκωλων φυσεσ κειμενης, το γαρ αγενηλως

καθ' εαυτο υφρως ει τι προσλαβοι παρφουσι
 προςλαψεται.

(276) Idem philosophus c. 1.

(277) Idem c. 1.

§. 166.

Exami-
 nantur
 argumen-
 ta alia.

Audiemus argumenta eorum, qui inter christianos, & non ita diu, contra materiæ æternitatem pugnando a principio rationis sufficientis discesserunt. Celebris Arminii promachus (278) his utitur ratiociniis. Primo *DEO nihil esse coæternum*. Verum enimvero sic nihil probatur, sed probandum supponitur. Addit, *si materia fuisset hinc creata, Deum ex se ius in illam non habiturum fuisse, tanquam in rem ex asse suam; secus omne ius Dei in illam futurum fuisse tanquam primi occupantis*. Quidquid sit, dummodo ius habeat *DEVS: ius in rem est facultas re utendi cum exclusione alterius*. Quis talem *DEO* denegandam probauerit, etiamsi non effecta ab ipso fore materia. Nemo sibi tantam materiæ molem auvindicare voluit, aut potuit. Subiicit tertio: *potens non fuisset DEVS ad eam mutandam, qui æternum immutabile est ac independens*. Facile semet his laqueis aduersarius extricabit. *Æternum inquiet, immutabile est, non ratione modi, quæ existit, sed respectu ortus, quem non admittit* Probandum scilicet est, æternitatem arguere immunitatem a mutationibus cunctis, non supponendum. *Alia æternitas est mutabilis, qualis est materia: alia independens DEI*.

(278) Limborch. in theol. christian. L. II. cap. 10. §. 6
 Exigit natura rei, ut materiam illam primam informem

ex nihilo creatam dicamus, quia, ut ante vidimus, nihil DEO coeternum. 2) quia, si materia fuisset coeterna, DEVS ex se ius in illam non habuisset, tanquam rem ex asse suam; sed omne DEI in illam ius fuisset tantum primi occupantis. 3.) quin imo potens non fuisset DEVS ad eam mutandam: quia aeternum immutabile est, ac independens.

§. 167.

Sunt & alia argumenta, quibus viri summi opinionem de materiae aeternitate oppugnant, 279) quæ, quantum a principio sufficientis rationis recedunt, tantundem egent supplementis. Dicunt, ad essentiam materiae manifesto non pertinere existentiam: nec enim in eius conceptu quidquam deprehendi, quod eam inferat. Nouimus philosophos, hoc loco confutandos, statuisse discrimen inter existentiam materiae hanc, aut illam speciatim, & inter eandem generatim consideratam, primam cum essentia materiae necessario non coniunctam admittentes; posteriorem autem ex essentia necessario pendere adfirmantes. Quomodo igitur probabimus, neutram ideae essentiae includi? quomodo demonstrabimus, & existentiam materiae per se, non in hoc aut illo statu tantum consideratam, ab essentia eius abesse posse? Urgent eruditissimi viri, nullam adferri posse rationem, cur materia, quae nunc existit, 280) semper existere debuerit, aut cur non existere nequeat. Nunc verba sensim flectunt ad mentionem principii de sufficiente ratione: si recte institerimus, reportabimus victoriam. Si nullam rationem praesto esse dixerimus, cur materia debeat esse aeterna; allegabant ethnici philosophi

Nova de-
nuo argu-
menta ex-
cutiuntur,
quae princ.
suff. rat.
non
urgent.

tritum illud: *ex nihilo nihil fit: infinitum esse inter nihil & aliquid intervallum*; (281) quam responsionem non excusserimus, nisi recurrendo ad id, de quo quæritur, nempe per infinitam Dei potentiam posse ex nihilo materiam condi, quod ad coarguendos aduersarios parum, licet verum sit, efficaciam habebit. Non desunt tamen & alia ratiocinia. *Existentia, inquit, necessaria, uti summa perfectio est, ita non potest non adtributum esse entis omnium perfectissimi. At cum materia plurimis imperfectionibus laboret, quod vel ex comparatione eius cum spiritu adparet; non potest pro ente omnium perfectissimo haberi. Ergo nec adtributo, quod enti perfectissimo tantum competit, seu existentia necessaria gaudet.* At supposita hac ethnicorum hypothesis, prima propositio non vniuersum vera est. Alia est *existentia entis passivi, alia entis actiui, siue DEI.* Illius existentia licet necessaria sit; summam perfectionem non indicat, indicat autem existentia huius. *Intelligitur denuo, quod supra vere dictum est, posse etiam ex sententia, quæ ratione sufficienti non nititur, eoque falsa est, distinctiones peti ad omnia contraria argumenta soluenda, quotquot istam rationis sufficientis absentiam non urgent, quo sit, ut absque fine lites prorogentur.* Aduertamus igitur ad hoc principium curatius, ac antehac factum est.

(279) Vir laude nostra maior Buddeus in theol. dogmat. p. 453. §. 2. not. *. cuius omnia hæc ratiocinia sunt, quotquot hoc paragrapho examinauimus.

(280) Fuerunt ex gentibus, quæ ipsam materiæ existentiam cum hodiernis idealistis negarent. Zenonem v. g.

nominare lubet, cuius argumenta contra existentiam
 materiae vid. apud Aristotel. in physic. L. VI. cap. 9.
 vid. Conimbricens. in Aristot. physic. L. VI. cap. 9.
 p. 147. 148. Quid Cartesiani contra sensuum testimo-
 nia in probando mundo corporeo dixerint, notum est.
 Vid. Malebranch. eclairciffem. sur le 1. livre de la re-
 cherché de la verité p. 64. Cum hoc fecit Sículus qui-
 dem Mich. Fardella in logica, quam Venetiis 1696.
 emisit. Lege Journal des Savans du 30. Juillet 1696.
 p. 551. 552. Holl. ed. *DEum*, inquit, *posse nobiscum*
communicare easdem de corporibus ideas, siue reuera
existent, siue non, non autem facere Numen quidquam
frustra: ergo sciri non posse, an corpora actu existent?
 Respondit Malebranchio Arnauld in traité des vraies
 & des fausses idées p. 324. Cui opposuit *la reponse au*
livre des vraies & fausses idées &c. Sunt, qui baculis
 hos refutandos contendunt. Langius in *der bescheide-*
nen Entdeckung C. III. p. 87. alii vero profunda scientia
 opus esse dicunt, vbi hos refellere in animum indu-
 xerimus. Tobias Andreæ in exercitat. *de impossibil.*
mundi aternitate, res, inquit, licet ardua sit, (pro-
bare corporum existentiam) eam tamen prout conce-
pimus, proponemus. p. 7. ill. Bilfinger. diluc. §. 248.
 idem sentit. Adi, si placet, *Nicolle l'art de penser* P. IV.
 C. I. p. 387. 388. Rohault physiq. P. I. c. 27. n. 6.
 p. 293. Lami *connoissance de sci meme.* T. II. p. 112.
 seqq. Quibus adstipulatur Riebovv. in *der ferneren Er-*
läuterung p. 119. Puto, me non inutilia ex recentio-
 rum mente contra idealistas supra tetigisse.

(281) Ethnicorum axioma, *ex nihilo nihil fit*, male huc
 applicatur. Dedit inter alios responfionem contra
 atheos, eo abutentes, Limborch. in theolog. christ. L. II.
 C. 19. §. 7. exaggerat tamen difficultatem, *ex nihilo*
nihil fieri posse, Bælius, non mala mente, sed vt Spino-
 zæ rationes indicet, quibus ad pantheismum inductus
 fuit, vid. diction. *une matiere crée de rien n'est*
pas concevable, quelques efforts que l'on veuille faire pour
se former une idee d'un acte de volonté, qui convertisse
en une substance réelle ce qui n'étoit rien auparavant.
 Sed mirum non est, creationis nos nullam habere posse
 distinctam ideam: non enim gaudemus facultate crean-
 di. Vid. metaph. Wolf. §. 1053. quem paragraphum
 N 5 ill.

ill. Bilfinger vindicat contra iniquas explicationes dilucid. §. 466. Non facio cum doctissimo Walchio in lexic philosoph. p. 2220. qui cum aliis plurimis affirmat, canonem: *ex nihilo nihil fit*, non absolute verum: *sey nich schlechterdings wahr*. Si enim de causa efficiente accipiatur canon, quæ potentia infinita gaudeat, falsum esse eundem. Sed nunquam de causa efficiente dicimus quod ex ea aliquid fiat, sed quod ab ea producat. Stat igitur vndiquaque inconcussus canon, licet ne si quidem gentes cum sententia: *de materiæ aternitat* triumphant. Leuia hæc sunt, quæ vir summe venerandus a me annotata esse, vitio non vertet.

§. 168.

Argumentum nostrum.

Dabimus igitur operam, vt ex mente recentiorum suppleamus, quod argumentis allegatis deesse videtur. Potest, quod desideratur, compensari per distinctam *principii de sufficiente ratione* cogitationem. Fingamus tantisper, materiam ab æterno existisse, animum ita suspicantis merito subibit hoc: quicquid existit, determinate existit, tanquam individuum; vniuersalia enim, genera v. g. & species, qua talia, non existunt, nobis non abstrahentibus. Ergo materia, quæ, reuera existere ab æterno, fingitur, determinate cum his (282) aut talibus circumstantiis, hac aut illa figura, situ &c. existet. Atqui nunc merito quæritur: *aut determinati illi materiæ limites, situs & figuræ necessario tales, nec alii, aliæ, sunt, aut non. Si prius: ne DEVS quidem in materia quidquam potuit transformare, nec eam ornare, disponere & exinde fingere systema, quod est contra ipsos philosophos manifestissime, cum quibus heic nobis intercedit pugna: aut vero determinatæ illæ materiæ figuræ situs & circumstantiæ con-*

tingen-

ingentes, & mutationi fuerunt obnoxia; tum requiritur determinata ratio, cur determinate tales materiae figurae circumstantiae &c. fuerint, nec potius alia. Ad DEVM recurrere nondum licet: loquimur enim de materia, quæ iam determinate talis, nec alia, existit, antequam Deus ex ea systema formaret mundi. Etiam si regereres, si DEVS ab æterno materiam agitasset, & ad hunc totius existendi modum, quam alium quemuis firmasset, tum semper determinatam rationem determinati existentie modi futuram fuisse: tamen parum proficies: nam quicquid determinate suæ existentie rationem non in se habet, sed in alio, vt circa materiam nunc fingis, id nec existentie suæ realis rationem in se habet, quæ quippe sine determinatione locum non habet. quid? quod hac tua sententia stante sequeretur, quod saltem materiae non dissentaneum sit, posse determinate existere absque determinata ratione, si vel DEVS ab agitando cessaret, vel nolisset ab æterno id agere. Quod est absurdum.

(282) Quid indiuiduum sit, omnium distinctissime ill. Bilfinger. tradit post Wolf. & Leibnitium, in tractat. de orig. mali. sect. II. p. 237. seqq. §. 283. Adde Thümmigium in der deutschen Antwort auf Herrn Clarkens fünften Brief an Herrn Leibnitium, welche Briefe Herr Köhler verdeutschet. §. 3. 4. 5.

§. 169.

Principii sæpe laudati vim & utilitatem non possumus non h. l. agnoscere. Addo aliud. Ex recentiorum mente elementa corporum prima seu vltima non sunt quærenda in atomis, forma, (283) situ &c. præditis. Nam figuræ atomorum sur- Aliud nostrum ratiocinium.

furfum & deorfum fpectant: habent ergo partes de quibus idem ratiocinium & fine fine recurret: quod est absurdum. Nam pari ratione atheus in adfcenfu ad cauffas corporum maiorum fine fine procederet, fubinde magnum corpus ex grandiore fingens, quemadmodum tu in defcenfu ad minima per infinitum non fubfiftis parua ex minoribus fine fine formaturus. (284) Iure ergo recentiores fimplicia defendunt, quæ aliis, atque composita, proprietatibus veftita funt. (285) Hæc differunt ftatu interno, alii aliisque virium gradibus, quæ exacte mund variationibus, id est, complexui ceterorum, eorumque viciffitudinibus respondent. Quodfi igitur hæc fimplicia, tanquam hoc interno ftatu nec alio, cum vniuerfa durandi ferie confideramus, non potuiffet DEVS in illis tanquam in materia ab ipfo non effecta, quidquam transformare, difponere, nifi prorfus alia fimplicia ab his diftincta fupponantur, *quæ ipfiffima creationis ex nihilo notio est*. Non habeat enim naturam, vt atomi, internam minus determinatam, quibusvis formis externis recipiendis aptam; fed prædita funt natura interna determinate hac, per omnem durandi feriem, quæ natura fi mutetur, non amplius idem indiuiduum, fed aliud habes.

(283) Vid. metaph. Wolfii §. 76. 77. feqq. perpende, quæ ill. Bilfing. accurate tradit dilucid. §. 101. feqq. adde quæ Leibnit. docet Recueil. T. II. p. 232.

(284) Mathematicorum de materiæ in infinitum diuidendæ potentia, de qua & auctor artis cogitandi P. IV. ch. 1. p. 392. demonstrationem h. l. non curamus. Oftendit Leibnitius difcurs. de harmon. rat. & reuelat. §. 70. & Wolfius phyfic. tom. I. §. 4. p. 11. cauffas, quare

quare istis labyrinthis inuoluamur, quia *sine sufficiente ratione, in illa demonstratione similes materiæ partes fingantur* &c. Ceterum Liberto Frommondo, quem supra citavi de labyrintho compositionis continui commentantem, sed impari robore, respondit Iac. Capreolus, profess. philosoph. Paris. *en reponse à deux questions du Cardinal de Richelieu de demonstratione magnitudinis in puncto.* 1636. euolue Arriagam disput. 16. physic. sect. XI. num. 241. p. 433.

(285) Nisi enim hoc dicas, nunquam filum Ariadnæum ex labyrintho prodeundi inueneris. vid. Recueil. T. II. p. 188. 189.

§. 170.

Quibus ita ex recentiorum sententia declaratis patet, creationem ex nihilo inconcussis argumentis demonstrari posse. Nec soluerint aduersarii isthæc ratiocinia, etiamsi ex sua hypothese priora eludere potuerunt. Si soluere quærent, ipsorum foret, reddere rationem, cur determinate materia ab æterno his nec aliis figuris, circumstantiis, prædita fuisset: atqui ei præstando sunt impares, ut vidimus: ergo exulat hinc semper prior suppositio, semper idem in respondendo ad hypothesein nondum probatam recursus. Quo & accedit Aristotelis sententia, qui absurdum esse iudicauit, (286) quod materiæ a DEO perfecti motus & determinationes æternæ fuerint: ex quo intelligitur, habuisse materiam ex se determinatam existendi conditionem, antequam a DEO formaretur, atque adeo eius determinationis, ex horum philosophorum doctrina, nullam fuisse rationem; quod a veritate plurimum recedit.

Declaratur ulterius.

(286) Sententia erat Platonis in Timæo apud Aristotelem de cælo L. III. cap. 2. p. 370. *πρην γενεᾶσαι τοὺς κόσμους, ἐκίνετο τὰ σοιχεῖα ἀτακτῶς.* hanc p. 371. erroris coarguit Aristoteles. Verba sunt prolixiora: dabimus sensum. *Quidquid inordinate fit, præter naturam accidit: atqui motus materiae inordinati & æterni non potuerunt præter naturam accidere; est enim ea natura rerum, quam plures & maiori tempore habent. Ergo illi æterni inordinati motus erant secundum naturam, motus autem a Deo illatus præter naturam: atqui absurdum, illos esse secundum naturam: nihil enim secundum naturam fit forte fortuna.* Ergo plane nulli tales motus oriebantur ante formationem DEI. laudat propterea Aristoteles Anaxagoram, quod ex ἀκίνητων ἤρξατο κόσμον ποιεῖν id est, quod ex immobilibus statuerit mundum effectum.

§. 171.

Cum tam evidentibus argumentis corroborari queat creationis ex nihilo doctrina: patet, non potuisse eam, ex nasutioribus gentium philosophis, quosdam certe fugere: (287) docent enim clarissimi scriptores, fuisse complures ex ethnicorum turba, qui creationem ex nihilo habuerint cognitam atque perspectam. Quæ res non mediocre adiuventum ad confirmandam religionem ac scripturæ auctoritatem & offert, & cum atheorum prostitutione cumprimis coniuncta est. Qui enim ita sentiebant, eos tanquam sacrarum litterarum expertes nemo sanæ mentis partium, aut & sectæ studio ductos ita statuisse, dixerit.

(287) Grotius profecto in not. ad libr. de veritate relig. christ. L. I. §. 16. citat ex antiquitate, qui creationem ex nihilo crediderint. idem facit Huetius in quæstion. Alnet. L. II. cap. 5. Aristoteles contra eos calammum strinxit in libro de Xenophane. Dickinson in physica

Qui crea-
tionem ex
nihilo
credide-
runt.

vet. & vera c. 12. p. 297. Phœnicum sententiam refert, qui & materiam factam esse contenderint. Huc referendus Io. Ovven. in θεολογικῶν. L. I. §. 8. Crenius fascic. II. dissertat. Adam Tribbechou. in dissertat. de veritate creationis mundi ostensa in traditione gentium, de his testimoniis fatetur tamen, quod paucissima ad demonstrandam materie creationem a gentibus creditam pertineant. I. C. Wolf. in Manich. ante Manich. p. 18. Non dissimulo tamen, aliis aliter videri, & vix eos adduci, vt credant, quidquam gentibus de creatione innotuisse. Notum est Ciceronis testimonium acad. quæst. L. II. qui percenset, ab Anaximandro infinitatem nature substitutam esse, ex qua omnia gignerentur: post addit sequentia: eius auditor Anaximenes infinitum aera, sed ea, quæ ex eo orirentur definita: gigni terram, aquam, ignem, tum ex his omnia. Anaxagoras materiam infinitam, sed ex ea particulas similes inter se minutas, eas primum confusas, postea in ordinem adductas mente diuina. Thomassinus quidem en methode d'etudier & d'enseigner la philosophie livr. chap. 14. p. 162. gentes excusat, quæ nullam DEI in ortu mundi explicando mentionem fecerunt. Supposuisse eas causam primam, tanquam rem, de qua nemo suis temporibus dubitauerit, & locutas tantum de causis secundis, utpote quas nemo hactenus recte inuestigauerit &c. Sed haud scio, an id multis persuaderi possit? Augustinus de ciuitate Dei LVIII. C. 2. refert, quod Anaximenes omnes rerum causas infinito aeri dederit; ne Deos negauerit aut tacuerit, non tamen ab eis aerem factum, sed ipsos ex aere ortos crediderit. Cicero de natur. Deorum libr. I. p. m. 40. ait: Anaximenes aera Deum statuit eumque gigni. Parem sententiam Anaximandro, præceptoris Anaximenes, tribuit Cicero. Anaximandri, inquit, opinio est, natiuos esse Deos, longis interuallis orientes, occidentesque, eoque innumerabiles esse mundos. Confer. August. de ciu. Dei L. VIII. c. 2. Cicer. de natura Deorum L. I. p. m. 50. vbi ait: Diogenem aere Deo vti. Ex his constat, quid antiquiores philosophi de Diis senserint, ac num creationem ex nihilo crediderint potiores inter eos, nec ne? Pererius de communibus omnium rerum naturalium principiis negat pariter antiquos

tiquos tantillum de creatione habuisse exploratum. vid. L. IV. cap. 4. 206. Quidquid sit, si vel vnus tantum aut alter in hanc veritatem inciderit, non exiguo id nostræ religioni præsidio est.

§. 172.

*Mundus
non fuit
ab æterno.*

Mundum ex nihilo creatum euicimus: argumento id est, eum non existisse ab æterno: *postulante quadam necessitatis lege.* Adde hæc verba consulto. Numquid enim potuerit ab æterno esse, *modo contingenti & dependenti?* equidem heic non definitio, etiamsi id & olim, (288) & hodiernum magno animorum motu disputatum sit. Sufficiat hoc loco, pestilentissimam atheorum *de necessaria* mundi æternitate, opinionem telis, ex recentiorum pharetra depromptis, penitus confixisse. Valeant igitur, aut pereant potius, qui mundi artificem, liberrimo arbitrio condentem, non agnoscunt, (289) non venerantur. Debent nobis solutionem argumentorum, pro existentia DEI facientium, imo æternum debent.

(288) Scholasticos complures ita sensisse, Aristotelica doctrinæ velificaturos, peruulgatum est. Poiret in cogit. ration. de DEO, anima & malo L. III. cap. 16 num. 9. p. 438. memoratu digna scribit: *falsum est, mundum statui æternum, si dicatur, vel semper existisse, vel non posse affirmari in eo esse aliquod momentum, quod ab alio non fuerit præcessum.* (sic enim, ar satis latine? loquitur) *quamuis enim hoc esset, nihilominus mundus temporarius esset ac dependens; neque hoc quidquam DEI æternitati aut potentia detraberet.* Theologi protestantium distinguunt *inter æternitatem* (tempus infinitum) *cum successione, & inter æternitatem sine successione.* vid. colleg. Antifocin. Scherzer. ed. 3. disp. 1. p. 47. Argumenta pro possibili æternitate mundi, scilicet *successiva*, valde difficilia sunt solu-

tu v. g. Si creaturæ habuerunt initium, nec eos quidquam præcessit nisi DEUS: tum duratio DEI non est instans indiuiduum, quod Boet. hic de consolat. philosoph. prof. VI. p. 135. omnium consensu tradidit: nam in æternitate mundum aliquid antecedit, aliquid simul existit, aliquid cum eius duratione continuat. Quomodo enim v. g. omnia membra hominis distincta manebunt, sub uno puncto indiuiduo, & velut mathematico, cui æternitas DEI comparatur? Secundo, decreta DEI nihil amplius iruoluunt, quam hoc: ego DEVS volo: atqui & creatio plus non intulit, quam voluntatem DEI, ut fiat mundus. quis enim motum proprie dictum ad decreta exsequenda DEO adscribat? Ergo sicut decreta ab æterno erant, ita etiam creatio fuit. Respondeant alii: nostro tempore de possibili mundi æternitate acriter decertatum. Ex vna parte, in causa DEI asserta, in placida disquisitione p. 23. seqq. in *der bescheidenen Entdeckung der schädlichen Wolfian. Philos.* p. 20. seqq. in placidis vindiciis modestæ & placidæ disquisit. p. 18. & in scriptis eristicis, a Buddeo contra Wolfium emissis: ex altera autem parte in comment. luculent. Wolfii p. 56. in monito ad commentat. p. 4. in *den Anmerkungen Herrn Wolfens über das Bedenken Herrn Buddeis* p. 56. 57. in *der nöthigen Zugab* p. 20. in *dem klaren Beweis* p. 60. in ill. Bilting. dilucidat. §. 194. in Mulleri *sicherem Mittel* &c. p. 14. seqq. de possibili æternitate mundi allegatos auctores vid. apud Riebou. p. 18.

(289) Aristoteles mundum, necessario, an contingenter? æternum statuit, quod longe tritissimum est. Accusatur propterea a Ciceron. acad. quaest. L. IV. c. 38. a Lactantio diuin. institut. L. II. c. 11. eius classi adscribitur Pythagoras apud Varron de rust. L. II. C. 1. Aristotelem inter christianos felicissime & infelicissime secutus Andr. Cæsalpinus. vid. Sam. Parker in disput. de Deo & prouidentia diuin. disp. 1. p. 64. qui & Berigandum eius erroris accusat. ex aduerso hunc errorem reiecerunt Bernh. Tilesius de *rerum natur.* L. I. c. 9. 10. Nicolaus Taurellus de *rerum æternitate.* Copiose æternitatem mundi Iaquelot refellit in *dissertatione de existentia Dei gallice edita*: imbecillius Isaac, Vossius in dissertat. de ætate mundi cap. 1. prouocat enim ad id,

O

quod

quod montes, fluiui &c. defecissent, si per æternum trætum durassent. Dubia interim atheorum, quæ contra historiam creationis mouent, excussit laquelot dans la conformité de la foi avec la raison, P. II. C. I. p. 112.

§. 173.

Mundus
ex essentia
DEI non
emanauit.

Si mundus ex nihilo conditus, quod ratiocinia hæctenus proposita arguunt: non potest rationi consentanea esse opinio, qua creaturæ ex ipsa DEI essentia emanasse dicuntur. Mundus enim sufficientem sui rationem in se ipso non habet; atque adeo contingens est: fieri igitur nequit, vt vniuersum pars supremi Numinis sit, quod ens est necessarium, quod rationem sui in semetipso habet. (290) Partes enim quoad prædicata ea, quæ non ex compositione qua tali pendent, iisdem conditionibus gaudent ac totum ipsum. Quum igitur DEVS necessarius sit, erit & necessaria pars, quæ ex eo decerpta confluit mundum. (291)

(290) Ita definitur Deus, ceu substantia independens a recentioribus v. g. Wolf. in metaph. §. 930.

(291) Poiret, si non totum mundum, tamen partem eius, animam ex Dei essentia emanasse statuit in oconom. p. 340. vid. examen theolog. nouæ Poireti, institutum a lægero 1708. vbi inter errores hæc sententiã decimum tertium locum occupat. Pordætsch. in metaph. diuin. T. I. L. 1. cap. 7. p. 189. Weil Gott in seinem blossen nacketen Wesen fruchtbar ist, und sich vermehren kann; so muß er auch diese Eigenschaft haben, wenn er sich in seiner eigenen Materie vnterschiedliche Staffeln der Dichtigkeit eingeleibet, und kann folglich machen, daß seine coagulirte Ausflüsse für sich allein, als Früchte, die von ihrem Baum abgebrochen sind, bestehen p. 151. Wenn das geschichet, daß er solche abgeleitete Kräfte mit einander vermischt, glaub ich, daß es eigentlich im genauen Verstand eine Schöpfung genannt werde. Cum vir summus, Ioach. Langius in der bescheidenen Entdeck. partes compositi spirituales assereret, expro-

exprobratum ipsi est a Müllero *im sichern Mittel*, quod in hanc sententiam inclinet p. 52. quo iure? alii viderint.

§. 174.

Mundum esse ob DEI gloriam conditum, tam Est non sine ratione conditus. verum est, quam id constanter ab omnibus, qui-
bus sanum synciput, & philosophis & theologis, asseritur. (292) Non possum autem, quin dicam
etiam, quod recentiorum philosophia, cum hac
præcipua thesi, mirifice consentiat. Quæ philo-
sophi enim generatim pronuntiant, *fieri absque
ratione nihil posse*, ea penes theologos adplican-
tur ad instar corollarii, DEVM non sine ratione,
& æquipollenti decreto, sed intuitu gloriæ mun-
di effecisse. *Finis enim rei*, quid aliud est,
quam *ratio sufficiens rei exsequenda*? (293) Si
ob finem igitur gloriæ stupendam Deus hanc mun-
di machinam fabricavit: tum & ratione sufficien-
ti ductus præstitit idem, quo nihil magis axiomati
nostro consentaneum dici potest. Contra ubi di-
xeris, *in rebus condendis DEVM nulla*, ut ita lo-
quar, *cura gloriæ suæ fuisse tactum*, perinde ipsi
vixisse, *sive ea impetraretur, sive non*: tum pro-
fecto etiam rerum iam conditarum similis erit con-
ditio: parum scilicet DEVS curabit, siue a iam
conditis operibus gloria sua illustretur, siue non
illustretur; (294) quod, vereor, ut blasphemix
culpa exsolui possit.

(292) Num opus est, ut theologorum testimonia alle-
gem, *Deum creasse ob gloriam*? solis ego lucem illu-
straturus viderer. Vid. tamen Freylinghaus. theolog.
Halensem *in der Grundlegung zur Theologie*. p. 29. §. 8.
velim hoc expendant, qui necessitatem Deo imponi
credunt,

credunt, quoties cum ratione sufficienti conuenientius iudicat, hoc facere, quam illud. Neminem scio, qui Deum ob gloriam sui creare negasset, quam Poiretum ab ill. Bilfinger. cit. dilucid. §. 462. in cogitat. ration. L. III. c. 15.

(293) Prolixè hæc omnia persequitur ill. Bilfinger. dilucid. §. 462. *Non est igitur opus, ut hæc ulterius exponendo actum agam.* Debui tamen indicare, ut usum huius philosophiæ in theologia ostenderem, pro ratione instituti.

(294) Optarem, ut qui contrarium sentiunt, me hic erudirent, qui intelligere non possum, cur gloria propria DEVM non induxerit, ad creandum potius, quam non creandum, id est, cur non fuerit ratio conuenientior, id agendi, quam omittendi.

§. 175.

*Allegatur
dubium.*

Novi tamen, quid viri, & iudicio & eruditione florentes, heic desiderent: (295) quoniam per peccata Dei gloria obscuratur, non videtur ab hoc mundo, in quo mali plurimum inest, plus gloriæ pro Deo expectandum, quam ab alio, qui malo vacaret. Hæc igitur obuertunt litterati orbis lumina: *sic Deo necessitatem imponi ad eligendum optimum: posse plures optimos mundos esse ut libera maneat optio: præstantissimum esse meritum ex fine: posse quid esse præstantissimum, ad hunc referatur finem: cessante illo superponi excellentiæ, ubi respiciatur ad scopum alium, non amplius fore præstantissimum.* Id postremo, addunt, periculi plenum esse, quod peccata ad mundi perfectionem facere dicantur. Non hæc addidissimè, frequenter quippe iam antehac variis responsionibus excussa, nisi superiori demum anno vir quidam doctus, eximio suo, quem tunc emisit, libro, quædam litis capita inseruisset
omissis

omissis, quæ pro contraria parte sunt, respon-
sionibus. (296) * (Scribo hæc 1727. d. 18.
octobr.)

(295) v. g. D. Weismann. prof. Tub. qui raram cum pie-
tate doctrinam coniungit, in sched. de proud. DEI
circa malum §. 7. in rationibus contra system. Leibni-
tian. §. 2. quæ cum aliis in vnum schediasm. volumen
collecta prostant. vid. p. 263.

(296) Walchium intelligo, virum iudicios. & littera-
tissimum in lexic. philosoph. sub tit. *Welt*. p. 2373. vbi
his verbis vtitur. *Dasienige, was man dawider (gegen
des Herrn Leibnitzen Systema) eingewendet, gehet son-
derlich da hinaus, daß man die Freyheit Gottes in Her-
vorbringung einer Welt einschränket, als hätte er
nothwendig diese Welt erschaffen müssen; es sey wohl
richtig, daß Gott nach seiner Weisheit das Beste erwäh-
le, es käme aber hier die Sache darauf an: ob vnter
den vielen guten, dabey Gott eine Wahl anstellen könn-
te, nur ein einziges das beste sey, so er allezeit erwäh-
len müsse, und die andere, die man gegen dieses beste als
geringere Güter für was böses anzusehen, verwerfe.
Das beste sey vielmehr nach der Absicht, die man habe,
zubeurtheilen, da denn eine Sache in dieser Absicht als
das beste anzusehen, dergleichen sie bey einer andern
wohl nicht wäre - - die meiste Schwürigkeit äuffert sich
darinn: ob die gegenwärtige Welt dennoch für die beste
zu halten, ob schon böses darinn ist, und zwar für bes-
ser, als die, darinn kein böses anzutreffen wäre? - -
nach dem Leibnitzischen Systemate gehört das böse mit
zur Welt, so die beste.*

§. 176.

Complectar paucis, quomodo egomet re- *Vindica-*
centiorum mentem intelligam, quantum ad hæc *tur positio.*
dubia adinet, plura forsan in sequenti discursu
additurus. Primum erat, *imponi Deo necessita-*
tem creandi optimum. Sæpe obseruatum, (297)
sapientiam Dei suadere, non obtrudere optimum
inuito. Clarissimus lexicæ auctor, cum animum

ad scribendum adplicaret, sine dubio ponderatis omnibus, pro suscipiendo aut omittendo instituto, rationibus, secum tandem, quod omnino laudamus, statuit, non esse tali lexico fraudandos eruditos, conuenientius fore, si emittatur, quam si prematur; sed, quia optimum faciendum & iudicauit & suscepit, num propterea duro fati telo adactus ad id institutum fuit? num libertatem non conseruauit incolumem, *si vel maxime unum hoc factu iudicasset optimum?* an miser, an necessitatis mancipium fuit? Nec ipse hoc dixerit vir summus. *Certum ex ratione optimi erat, hoc institutum susceptum iri ab ipso; necessarium non erat.* Fingamus iam, angelum ipso viro doctissimo sapientiozem pariter ac honestiozem, aliquid instituto examine ex ceteris omnibus decernere optimum, idque *solum* habere pro optimo: ob maiorem angeli sapientiam adhuc *certius erit*, factum iri, quod decreuit angelus, *necessarium tamen nondum erit*, imo maiori laude dignum iudicabitur, quoniam certiori optimi euentu magis confidere licuit. Nunc ad infinitam Dei sapientiam assurgamus contemplando. An propterea, quoniam hæc vnicum factu optimum, comparatis omnibus, statuit, optimum electu necessarium erit? an libertas DEI tolletur? Non arbitror. Sicut penes hominem probum & doctum, *certum* erat, optimum ab ipso electum iri, simulatque agnoscebat; penes angelum *certius*, salua, imo nobiliori facta libertate: ita penes Deum quidem *certissimum* est, antepositum iri optimum, necessarium minime erit.

erit. Si necessitas haberet locum, introduceretur per gradus *certitudinis*. Homo esset maxime omnium liber, quoniam ab ipso instituentus optimi delectus parum certus foret. Angelus minori libertate ornatus existeret, propterea quod præstantissimi optio ab eo suscipienda esset certior. DEVS tandem omnium minime haberetur liber, quia omnium certissime in optimum ferretur. Quis hoc dixerit! mallet ego inuertere iudicium, quam ita philosophari. Distinguat igitur, si placet, *certum a necessario*: medicina poterit dubio adhiberi, quod tantopere viros eximios diuisit.

(297) Leibnitii theod. §. 318. Wolf. metaph. §. 564. p. 299. edit. prim. idem in commentat. lucul. p. 37. §. 13. vbi pro voce *certitudinis* vocabulo *necessitatis hypotheticæ* vtitur. In monito ad commentat. p. 6. vbi diserte ait: certitudinem aliquando necessitatem hypotheticam vocari. *in den Anmerkungen zu Herrn Buddei Bedenken* p. 52. not. (2) *in der nöthigen Zugab* p. 112. *im klaren Beweis* ad h. l. ill. Bilfinger in libr. de orig. mali, vbi agit de determinatione, & p. 335. in dilucid. vbi disputat de libertate creandi §. 462. an hi non sufficiunt?

§. 177.

Salua igitur Dei libertas manet, saluum systema hoc nostrum. Alterum, quod monuerunt viri docti, fuit: *plures posse mundos optimos existere, inter quos possit dari optio libera*, id est, ex eorum mente prorsus in æquilibrio, sine ratione dirigente, collocata. Atqui id fieri non posse, dudum aduersarii (298) monuerunt: optassem igitur, vt prius ea argumenta sigillatim euersa fuissent, quam ad hanc positionem

Vindicatur porro.

fuiſſet peruentum. Non poſſunt dari duo optima, ita ſe mutuo æquantia, vt nec infinita Deſcientia vel tantillum diſcriminis in bonitate hinc & inde obuia peruidere poſſet. At ſi alterum altero vel tantillum bonitate præſtat, melius, eoque reſpectu ad id habito, optimum eſt. Non adeo incurioſus ſuarum rerum exiſtit DEVS, vt ipſi quædam perinde videantur, & proſus æqualia, quemadmodum nobis euenire ſolet, ad rerum momenta parum curate animum aduertentibus. Deinde ſi vel maxime plura optima perfecte æqualia, inter quæ nihil diſcriminis foret, darentur; numquam DEVS vnum alteri anteponeret. Eſt enim perfectiſſimus, quo perfectius cogitari nequit. Summa perfectio ex definitione ſummum virtutum quarumuis poſſeſſarum conſenſum arguit. Annon autem inter intellectum, voluntatemque diſſenſus oriretur, ſi forte iſte rem perfecte alteri æqualem repræſentaret, hæc autem, ſcilicet voluntas, alteram alteri anteponendo & eligendo, res tractaret vt inæquales?

(298) Vid. ill. Biſping. in tract. de origine mali p. 342. ſeqq. vbi ſententiam, *dari plura optima poſſe*, euertit.

§. 178.

*Agitur
idem.*

Tertium, quod vrgent, ſemper fui admiratus. Dicunt, *rem iam optimam eſſe, iam non eſſe, prout aut ad hunc, aut ad alium referatur finem.* quod forſan eo ſpectat, vt innuant, poſſe etiam hunc mundum optimum eſſe intuitu duntaxat certi, quem DEVS reſpexerit, ſcopi; alio autem præfixo, fuiſſe futurum inferiorem. Sed
de

de ipsis etiam finibus æque quæritur, ac de viis, quæ ad eos ducunt, *num scilicet DEVS possit fines non optimos eligere? num queat ad eos respicere præ aliis sine ratione?* Si negas id fieri posse, habemus, quod volumus; esse nimirum conditionem optimi tum ex finibus, tum ex modis illos consequendi vna computatis metiendam, nec coniuncta separanda: si fieri id posse affirmas, absoluto, quod vocant, decreto aditum paras commodissimum. Potest enim, iuxta te, Deus finem quendam absque ratione, siue bonum, siue optimum, eligere pro liberrimo arbitrio, eoque v. g. homini æternas plagas, qui finis est, destinare sine ratione, tum media demum adhibere aptissima, quæ eo ducunt: sapientiam namque DEI in eo tantum collocas, vt finibus liberrime, id est, sine ratione electis subordinet adminicula, eisdemque consequendis inseruiat. Me iudice & fines a Deo optimi cum summa ratione destinantur, & adminicula, quæ eo faciunt, aptissime applicantur; ita vt ex omnibus simul sumtis opus emergat, quod omni respectu, nec ad certos tantum fines relatum, sit optimum. Humanæ imbecillitatis est, eligi particulares fines, quorum respectu adminicula optima sunt, aliorum intuitu finium, non sunt. Alienum id a Deo est, qui habet voluntatem perfectissimam, omne bonum, quantum fieri potest, eoque omnes optimos fines decernentem, & adminicula commodissima eo dirigentem. Sic bonitas emergit, quæ omni respectu excellentissima est, Deoque digna. (299)

(299) Varia forte animum adhuc subeunt dubia. *DEVM quidem, inquis, in creando consilium illustrandæ gloriæ & perfectionum manifestandarum agitavit, sed liberimum fuit id consilium. Quid inde? concedo fuisse liberrimum, imo urgeo. Sed num propterea sequitur, formatum fuisse absque ratione, ad creandum potius quam non creandum suadente? an libertas cum ratione sufficienti non consistit? redi in memoriam superiorum. Omnis bonitas a DEO est, antequam ipsum mouere possit: ergo sine ratione potest agere. Memini, me tale quid legere in Poireti veris & cognitio omnium primis p. 26. sed arbitror ita: omnis bonitas rerum creaturarum a libera dispensatione est, vt existat reuera, concedo, vt possibilis sit, nego. An DEI voluntas res posibles facit? cur igitur possibile peccatum non præstitit impossibile? bonitas rerum creaturarum, qua necessario possibilis, ab intellectu DEI repræsentata ratio fuit, quæ DEVM ad creandum induceret. Atqui Matthias apostolus Barfabæ antelatus fuit sine ratione Act. I. 23. num ego rationem allegare possum? non possum, specialissimam scilicet. DEVS auditorem tuum calamitatibus exercet præ alio quouis ex æquo peccatore, num plane nullam rationem habet? num agit indifferentissime? liceat ita loqui. Cur ergo commendas patientiam, ex eo, quod sanctas affligendi rationes habeat? habet, inquis, rationes, sed speciales nescio: idem tibi esto responsum. Cur Matthiam maiori dignitate mactauerit præ alio, ratio specialis existit, hunc potius suadens, quam Barfabam: sed meum non est, eam scire. En honestam ignorantiam! scio tamen rationis genus. Euolue I. Cor. XII. 29. 30. Non omnia possumus omnes. Nullus dubito, quin Matthias in hoc officii genere, cui fuit admotus, aptior fuerit gloriæ DEI illustrandæ, quam Barfabas; aliter omnia munera omnibus possent conferri, cum tamen alter huic, alter illi sit idoneus. Norunt id, κατ' ἀνθρώπων λέγω, senatum ecclesiasticorum assessores. Solicitum te tenet aliud dubium: necessitas hæc moralis in geometricam degenerat: nam si DEVS secundum nos optimum negligeret, esset non sapientissimus, id est, DEUS non DEVS: dici vix potest, quantum id contradictionem inuoluat. Instantia erit*

foror huius discursus, sed fratricida. Cœlites an possunt rebus ludicris puerorum plus delectari, quam intuitu gloriæ diuinæ? *Non possunt, aut non facient*, inquis. cur? *quia necessitate morali in bono & meliori confirmati.* Atqui hæc necessitas moralis in geometricam degenerat. Si ludicra tractarent; essent, ex tua mente, *cœlites non cœlites.* Quam id contradicit sibi ipsi! Videor mihi ex te audire responsionem hanc. *Distinguendum inter sensum compositum, & diuisum: si consideretur status aternæ felicitatis, repugnare ei tam leuia, sed alio respectu ob stare nihil, quo minus id fiat, si ludicra perpendantur in se, nec comparentur cum grauioribus vitæ aternæ gaudiis.* Quidquid mihi respondisti, tibi est responsum. si mundus quidam perfectus non contendatur cum alio perfectiori, possibile est, eum creari, loquendo *absolute*: at quatenus in iudicio DEI alter altero vt perfectior cognoscitur, *sensu composito* repugnat, eum minus perfectum eligi. At num propterea libertas DEI detrimenti quid capit? num cœlitum libertas destruitur, quia ludicra nostrorum puerorum non præferunt deliciis cœlorum incredibilibus? Minime gentium! *Potest, instas, concipi mundus melior, a quo malum abfuisse: ergo hic non est optimus.* Potest utique cogitari melior, si homines & angeli non peccassent: sed NB. supposito semel peccati euentu, non fuisset melior, si DEVS peccatum impediuisse miraculo, non fuisset, inquam, hoc casu melior, quam alius, a quo omne malum abfuisse. hoc nisi dixeris, in DEVM refunderetur culpa, quod ineluctabili peccatis impedimento obiecto meliorem substituere detrectauerit. *Existimo, his obseruatis totam litem conquieturam.* Nam ita intelligitur, DEVM ex sua parte præstitisse, circa mundum malo interpolatum, quantum ab ipso expectari potuit: cum enim omnium, ni fallor, consensu optabilius fuerit, peccatum permittere, quam absolute sufflaminare, & ita, meliorem mundum potentia extraordinaria surrogare peccato vacuum: sequitur hunc esse, hoc sensu optimum, licet peccato contaminatus sit. Quod si autem homines sponte sua a peccando abstinere voluissent; fuisset omnino melior, sed hunc promouere hominis erat, non DEI. Est igitur
semper

semper ex parte DEI optimus præfens. Similes excubias agens duorum commilitonum e longinquo digladiantium duella non impediatur; est hæc actio ex parte ipsius optima, non optima ex parte digladiantium. Cetera alii reseruo occasioni.

§. 179.

Num peccatum ad optimum mundum pertineat?

Tandem accusantur recentiores, quod crimina ad creati mundi perfectionem conferre stant. Non est ita profecto. (300) Peccatum est in optimo mundo, non est de optimo mundo, uti de improbis in ecclesia theologi loquuntur. Mundus non est optimus, quia peccato inficitur; sed optimus est is, qui peccato inficitur. Existimo autem, non leue inter hæc duo discrimen interiacere. Capiamus, si placet, simile. Sint hæreditates oblatae duæ, quarum altera centum millia aureorum complectitur, addita tamen obligatione viginti creditorum aureorum millia aliis soluendi: altera vero viginti tantum aureorum millia omnino exhibeat. Dicitur tum poterit, hæreditatem optimam cum magno onere coniunctam, non optimam vero onere vacare; sed eo incommodo debita soluendi non obstante prima longe superat secundam, quæ nullis incommodis obnoxia est. Vere igitur dicere licet, debita esse cum hæreditate optima coniuncta, sed non conferre ad eam augendam: esse optimam hæreditatem, quæ debitis & ære alieno teneatur, non quia eo teneatur. Quis talem sententiam non innoxiam pronuntiet?

(300) Ne ego tantum ita videar excusare recentiores, per se longe aliter, vt videri posset, sentientes & loquentes, recenseo locum ex additamentis, *aus der nöthigen Zugab zu Herrn Wolfens Anmerkungen p. 186. ich sage nicht, daß die Sünde die Welt vollkommener macht, sondern nur, daß sie im übrigen der größern Vollkommenheit der Welt nicht präiudiciret, und durch was anders der Mangel, der daher entstehet, ersetzt wird. Vti es alienum compensatur per hereditatem, qua etiam subtractis rationibus alienis, tamen alteram hereditatem superat.*

CAPVT IV. DE HOMINE.

§. 180.

MEntio nunc etiam de usu iniicienda est, quem in capite præsentis præstat philosophia recentiorum. Potissima autem opportunitas huius doctrinæ, discrimine inter animam & corpus probe stabilito (quæ & aliorum systematum laus est) continetur. Pessime cum religione ageretur, si forte eiusdem anima conditionis foret, cuius est nostrum corpus; hoc enim extincto nulla alterius vitæ spes affulgeret, quod, quam periculosum sit, dici vix potest. (301) Ostendemus igitur, quantopere recentiores ab hac doctrina abeant, & quibus eam armis adgrediantur, subiunctis posthæc paucis aphorismis de animæ natura, facultatibus & immortalitate.

*Accessus
ad materiam.*

(301) Primus inter homines tam ineptos chorum ducit Dicaarchus & Aristoxen. de quibus Cicero Tuscul. quæst. L. I. p. m. 253. *Dicaarchum vero cum Aristoxe-*

no equali & discipulo omittamus, quorum alter ne condulisse quidem unquam videtur, qui animum se habere non sentit; alter ita delectatur suis cantibus, ut eos etiam ad hæc transferre conetur. Nimirum posterior animæ naturam in harmonia posuit. vid. Lactant. institut. L. VII. cap. 13. Plutarchus de plac. philos. L. IV. cap. 2. Hæc controuersia, an scilicet anima in materia mechanismo contineatur, recentius quoque renouata fuit. Historiam tradunt *die unschuldige Nachrichten* 1703. p. 653. 1704. p. 352. D. Pfaff. in introd. ad histor. theol. litter. P. II. p. 269. Lockium materiæ cogitandi facultatem non abiudicatæ, si DEO ita placuisset, tritum est: rationes eius leguntur en nouvelle de la republique des lettres, novembr. 1699. p. 506. *A nostra imbecillitate concipiendi, quomodo materiam Deus cogitantem præstare potuisset, ad impotentiam DEI non valere consequentiam.* Cui Stillingflet semet opposuit c. 1. p. 500. Lockio associandus, quantum ad hoc, Hobbes. in *Leuiathan.* cap. 4. vbi negat quidquam substantiæ naturam induere, quod non sit corpus: animam ergo non distinguit a corpore. Imo ipsum DEVM corpus habere contendit. *Inter alia hoc ratiocinio usus: quia in sacris Deus vocetur magnus: magnitudinem autem corporis extensi esse proprietatem.* *Conwardti Angli cogitationes posteriores de anima turbas dederunt: statuit enim, animam esse corporis accidens, & vim, non vero peculiarem substantiam.* Igitur cum corpore interituram, & resurrecturam olim. Cum impugnaretur passim a Broughtono in *psychologia*: a Menardo en *la doctrine de l'écriture sainte sur la nature de l'Ame*: a Fabricio in *syllabo scriptorum de veritate relig. christiane* p. 439. non sibi defuit: edidit enim *vindicaciones rationis & religionis contra imposturas philosophiæ, scrutinium exactum in modernas animæ notiones.* Huc referendæ Tolandi epistolæ ad Senream *Anglic. ling.* vid. Moshem. in *vita Tolandi* p. 140.

§. 181.

Utinam de his sententiam exposituro non succenserent quidam bene animati pro epidemiacis opinionibus lectores! Meo quidem iudicio, per-

Qua occasio materialis?

ruerissimus, quo anima & corpus confun-
 untur, error non parum promotus est per do-
 ctinam de physico, quem vocant, influxu cor-
 poris in animam, & vicissim: habemus eius rei
 exemplum recentissimum. (302) Cum enim
 erroris patroni sibi nullam illius contactus,
 quo animam afficere corpus dicitur, ideam for-
 mare potuerint, in eam sunt ingressi opinionem:
 non posse expertem esse materia animam, que a
 corpore tangatur; punctum enim individuum,
 quo numero animam habebant, non posse tangi,
 eo, quod extensum sit. Quo factum est, ut
 errorum grauiori morbo compensare institue-
 rit. (303) Ipsi dogmatis de influxu promachi-
 ni inuiti concesserunt, modum illius societatis,
 qua anima cum corpore iungitur, intelligi non
 posse. Quod ceteri eo interpretati sunt, id nego-
 philosopho datum, ut modum planiorem
 cogitaret.

(302) Ne variis tantum suspicionibus indulgere videar,
 non in rem presentem. Cl. Ridigerus, quod mirum ple-
 risque visum est, in *der Gegenmeynung wider Herrn
 Wolfens Gedanken von der Seel*, ita philosophatur:
 verum est dogma de influxu: ergo anima est extensa.
 At iterum: si anima non est extensa, influxus animæ
 corporisque mutuus non habet locum, sed potius sy-
 stema harmoniæ præstabilitæ. Atqui posterius est ab-
 surdum. E. & prius. verba in præfat. §. 16. sub theo-
 rem. I. ita habent: *Wenn das Corpus in Extensione be-
 steht, so folget, daß die anima nicht könne extensa
 seyn, und weil alle materia extensa ist, daß sie auch
 nicht materialis seyn könne: ist sie nun nicht materia-
 lis, so kann sie nicht berühret werden, weil in ihrer gan-
 zen Substanz kein punctum physicum da. Denn das ist
 ein Postulatum: daß aller attractus in puncto physico ge-
 schehen*

schehen muß. Kann nun die Seele weder berühren, noch berührt werden: so kann sie auch weder in Leib agiren, noch der Leib in sie. Denn das ist gleichfalls ein Postulatum, daß keine actio in aliud ohne Berührung geschehen könne. Wenn dieses ist: so thun die Rührungen des Leibes, als die fünf äusserliche Sinnen, nichts zu den Gedanken der Seel, nichts zu den Bewegungen des Leibes, &c. atqui das sind grosse inconuenientien. pergit, §. 17. daraus schließt er: quod anima materiae non sit expers. Quæso nunc, vt beneuol. lector animaduertat postularum experientissimi doctoris: nihil posse agere in aliud sine tactu. Annon hoc effatum ex mutua corporis in animam, & animæ in corpus actione concluditur? atqui fauet, imo fundat manifestissime materialistarum sententiam. Quam grauiter fuissent obiurgati Leibnitiuſ & Wolfiuſ, si quid eiusmodi ex eorum ore fuisset auditum? Si nihil potest agere in aliud sine tactu; tum & Deus vero tactu nos afficiet, forsan & iuxta Hobbesii sententiam a materia non erit seiunctus. quis ita sentientem ferat? videatur Covvard in vindicat. rationis & religionis contra imposturas philosophiæ, vbi disertè ait: non possit cogitari substantiam sine extensione: quæ ipsissima etiam cl. Ridigeri sententia est. loc. cit. theor. II. Wem eine geschaffene Substanz wär, inquit, die nicht extensa wär; so hätte sie nicht partes extra partes &c. so wäre sie entweder nichts, oder gehörte ad incognitum. Commercium illud epistolicum familiare, valde famosum anno 1713. emissum (der vertraut Briefwechsel) eandem cantilenam modulatur. A quam inique id ferebat orbis litterarius? vt calamur stringerent Io. Hermann von Elſwich in disput. de recentioribus de anima controuersis: Godofred. Polycarpus Müller in duabus dissert. de mente substantia corpore essentialiter distincta Lips. 1714. Vid. acta German. erud. tom. I. p. 862. seqq. Necessarium igitur est, vt error tantus profligetur. Respondeant inprimis influxus promachi Ridigero ex sua hypothesi; possunt: difficulter id facturos credo.

(303) Vt influxum scilicet tuerentur, inciderunt in materialismum: vt eius ακαταληψιων curarent, ad opta

optarunt materialismum, ad Aristotelis sententiam ex parte accedentes, de qua vid. Walchii exercit. de atheismo Aristotelis p. 301. parergor. acad. in libro enim de anima II. c. 1. disertè ait, *nunquam a corpore seiunctam animam. Distinctione facta inter animam & mentem tanquam inter diuersas substantias, quarum illa ponitur tantum in vi motrice materiae, hac in vi intelligendi, quæ homini sit extrinseca.* Vnde nata est intellectus patientis & agentis diuisio. Quodsi ex nostrorum *materialistarum* sententia anima extensa est; non habere potest aliam, quam mouendi vim: prouum igitur est, ire in Aristotelis sententiam, atque & intelligendi facultatem ab externa origine arcessere. Vid. Plutarchus de placitis philosoph. L. IV. c. 2. ubi ostendit, *Aristotelem animam non nisi in motrice vi quaesuisse.* Grauiter hæc refutat *Lami de la connoissance de soi même.*

§. 182.

Quibus argumentis recentiores materialismi ^{Argumenta contra} errorem euerterint, paucis commemorabo, le- ^{ta contra} toris iudicio relicturus, num id theologiæ ad- ^{eum erro-} menti quid adtulerit, nec ne? Non improbo ^{rem.} eorum quoque bene sentientium argumenta; ego tantum & his nostris fuisse hastas, & eorum *la nocuisse materialistis.* Incipiamus a primo *hinc philosophiæ instauratore.* Ita ille: (304) *actiua argumento est, distingui maxime ani-* *am & corpus. Nam principia mechanismi,* *ius consecutaria sunt leges motus, non possunt ex* *elici, quod in mera passione consistit, quod in* *ibus geometricum (tres dimensiones habet lon-* *gum, latum & profundum) aut materiale est:* *que etiam leges motus probari possunt per sola* *xiomata mathematica, (quibus materiæ dimen-* *siones computantur) - - Ad demonstrandas dy-* *namices*

namices regulas oportet redire ad metaphysicam realem, & ad principia conuenientia, qua anima sequuntur. Addit paulo inferius. Si vel maxime vires agendi immediate (cum Malebranchio) a DEO deriuentur, tamen neminem denegaturum anima nostra actiones internas, has autem sufficere. Neque enim eas a materia proficisci posse, qua pure sit geometrica, viribus destituta agendi; externas autem corporis actiones, ubi quis DEO soli adscribere velit, eum recursurum ad miracula perpetua DEO indigna: eodem posse nos fingere modo, nos esse solos in mundo, DEVMque phanomena in mente excitare, perinde ac si aliquid extra nos existeret, eum tamen nihil existeret. Eo, ni fallor, spectat illustri viri argumentum. Quicquid a materia tali, quantum est longa, lata, profunda, vno verbo, extensa proficiscitur, id ex his attributis etiam potest demonstrari: atqui leges virium actiuarum, siue motricium, siue perceptiuarum, vt quis matheseos & speciatim mechanicæ est peritissimus, ita omnium minime ex materiæ dimensionibus demonstrare potest: ergo illæ vires, queis animarum natura continentur, postulant naturam a materia distinctam; quam omnium consensu vocamus animam. Erit mihi magnus Apollo, qui hoc argumentum soluerit. Nulla heic distinctio, nullum effugium præsidio venit. Qui respondere cupit, mathematice leges has ex materiæ dimensionibus demonstrare debet; quod (305) fieri nunquam poterit.

(304) Dabimus, maioris perspicuitatis causa, verba Leibnitii gallico idiomate, quod originale est, ex Recueil des diverses pieces T. II. p. 232. Cette force active est justement ce qui montre le mieux, & d'une manière bien sensible, la distinction de l'ame & de la masse. Par ce que les principes du mecanisme, dont les loix du mouvement sont les suites, ne sauroient être tirez de ce, qui est purement passiv, geometrique, ou materiel, nè prouvez par les seuls axiomes de mathematique - - pour justifier les regles dynamiques il faut revenir a la metaphysique réelle & aux principes de convenance què affectent les ames - - Quant aux operations encore, on ne sauroit refuser à nous mêmes nos actions internes, & elles nous suffiroient ici; car la matiere n'en est point capable, n'étant que passive. Mais cette supposition, qui donne toutes les actions externes à Dieu seul, recourt aux miracles, & même à des miracles de raisonnables, & peu dignes de la sagesse de Dieu. Par le même droit de faire des fictions que la seule toute - puissance miraculeuse de Dieu pourroit rendre possibles, il seroit permis de soutenir, que je suis seul au monde, & que Dieu produit tous les phenomenes dans mon ame, comme s'il y avoit d'autres choses hors de moi, sans qu'il y en eût. Occurrit igitur etiam dubiis, quæ Malebranchiani formare possent, qui vim agendi omnem DEO soli tribuerunt, de quibus infra.

(305) Cartesius a priori leges motus demonstrare aggressus plurimum aberravit, a priori, inquam: nam in probandis his legibus sunt quædam positiones ab experientia, & posteriori sumendæ, quæ liberam, sapientissimam tamen, supremi auctoris voluntatem arguunt, cum contra, quidquid ex materia, qua tali, demonstratur, bruta sequatur necessitate. Hoc Cartesius non observans infelici successu usus est. Lipsiorpius eum securus in speciminibus Cartesianæ philosoph. P. II. p. 28 - 68. qui & alio tempore de angelo increato commentatus est. Sed euentu non meliori. Hugenius alia via incessit, quam Leibnitius mirifice amplificavit.

*Alterum
argumen-
tum.*

Alterum viri illustris argumentum, quo distinctionem animam inter corpusque stabilit, hoc est: *negari, (306) inquit, non potest, perceptionem, & quod inde pendet, per rationes mechanicas explicari non posse, hoc est, per figuras & motus. Quodsi fingamus, dari machinam, quæ per structuram cogitet, sentiat, percipiat; non obstat quidquam, quo minus iisdem proportionibus retentis sub maiori mole structa concipiatur, ita ut in eam aditus nobis concedatur tanquam in molendinum. Hoc supposito nihil in eo videbimus nisi partes, se mutuo impellentes, (307) nec unquam aliud quidquam, per quod cogitatio explicari queat. Hæc ergo in substantia simplici, non in composita, seu machina quaerenda. Argumentum est planum, & ut arbitror, solidum. Extensio dicit & indicat multitudinem; id ne aduersarii quidem diffitentur; atqui perceptio requirit unitatem, id est, substantiam non compositam. Ergo anima à composito, id est, corpore maximopere differt. (308)*

(306) Legantur hæc verba in monadolog. Leibnitii, quæ recensetur ab actis erudit. tom. VII. supplem. sect. 11. 12. p. 500. seqq. Quam refutauit mathematicus Turing. celeberr. Io. Cunrad. Creiling. duabus dissertat. anno 1722. quantum ad hoc argumentum attinet, desiderauit nihil.

(307) Absurditas sententiæ, quod *substantia extensa, partibus conflata, cogitare queat*, iam a priscis philosophis exhibilata fuit. Galenus apud Gassendum phys. sect. III. L. VI. c. 3. oper. tom. II. p. 343. *Cum atomus, ait, una dolere non possit, quod alterationis & sensus incapax sit, si dum caro acn pungitur atomus*
UNA

una non sentiat, non sensuras, nec tres, nec quatuor nec plures. Perindeque fore, ut si adamantum aliarumque rerum inuulnerabilium acerrime fodiat. Et, ut digiti connexi absque dolore separantur, sic iri atomos diductum absque ullo doloris sensu, cum sese mutuo contingant. Eandem difficultatem Plutarchus aduers. Colot. p. 1111. vrgebat. Impugnauit etiam hunc materialismum, quo ex mente Epicuri & recentiorum, anima continetur, Augustinus epist. 56. p. 273. Quanto melius, inquit, ne audissem quidem nomen Democriti &c. qui tamen sententia nutauit, ut aliquando naturam quandam, de qua fuerent imagines, DEVM esse diceret, qui tamen cogitari non posset, nisi per eas imagines, quas fundit & emittit: percipiendi igitur imagines materiales absurde ab externa origine arcessi contendit. Refert Buxtorf. initio capit. 69. in traduct. more Neuuchim, seu doctoris perplexorum, quod Moses Maimonides tali argumento, contra eos, qui DEVM corporeum credunt, vsus sit: quod me iudice & contra animæ materialismum afferri potest. Si Deus (anima) est corpus; tum diuinitas (cogitatio) eius vel perficietur in complexu substantiarum indiuiduarum corporis illius, vel in una tantum indiuidua substantia. Si illud dixeris, erunt plures diuinitates (animæ). Si hoc adfirmaueris: tum nulla est utilitas reliquarum atomorum, quas ad animam constandam concurrere ais. Noui, quid excipiat commercii epistolici inter familiares auctor Bucherus, quem detexit Stolle in der Historie der Gelehrtheit edit. secund. p. 504. nimirum p. 31. edit. nouiss. des vertrauten Briefwechsels ita differit: Daß alles auf die fibras cerebri, nehmlich im Gedenken, ankomme, siehet man ex statu opposito in deliriis. So lang in hitzigen Fiebern das Geblüt tumultuirt, und die fibræ ungleich und confus bewegt werden, so lang ist phrenitis, das Rassen da; geschiehet aber diese confuse Bewegung ohne Fieber, so wird mania daraus. Ist hingegen das Geblüt schwer, und also von langsamer Bewegung, und können deswegen die fibræ cerebri von dem einmal gefassten tremore nicht gebraucht werden, so entstehen allerhand närrische Einbildungen, und Arten der Melancholie.

cholie. In daß auch vermittelst des Geblüts gewisse Ideen dem Gehirn können beygebracht werden, die hernach so fix darinn sitzen bleiben, siehet man an der so genannten rabie canina, die vom tollen Hundsbiß entstehet &c. Ex his omnibus intelligo harmoniam inter corpus & animam, seu ex aliorum hypothese actiones alterius in alterum; statum autem animæ materialem nondum intelligo. Perinde ac si arguerem: in squalido ac tristi carcere, homo se tristem exhibet, in amœno, principumque persona digno, conclavi, vbi nullum affligit malum, hilarem se præbet & comem: ergo reuera non datur eiusmodi homo: ergo totum phænomenon ad carceris squalorem, & conclavis amœnitatem reuocandum est. Quam quaso inepte!

(308) Lockii igitur sententia, qui affirmauit, posse Deum, si veller, materiæ cogitandi facultatem tribuere, locum adinuenire nequit. Citauimus cum supra. Nescio, an in hanc sententiam propendeat summe reuerend. dn. Buddeus in philos. theor. P. VI. c. 1. §. 3. p. 328. *Post accuratissimam, inquit, inquisitionem nihil aliud dicere possumus, quam spiritum nostrum esse substantiam indiuisibilem, facultate volendi, hoc est, appetendi, auersandi, cognoscendi, fortassis etiam mouendi corpus præditam. Cum autem non prorsus repugnet, quo minus istæ facultates in substantia materiali sint, ratio demonstrare non potest, eum spiritum materie esse expertem. Atqui ratio demonstrare potest. Cogitatio enim postulat rem simplicem, extensio compositam: non potest igitur ea res, quæ extensa & materia vestita est, cogitandi potentia gaudere. Dixi, me nescire, quomodo vir summus cum Lockio, seu, an cum eo faciat: nam varie de mente eius disputatum est. Vid. dn. Wolfii nöthige Zugab zu den Anmerkungen über Herrn Buddei Bedenken, p. 30. & responsionem dn. Buddei in dem bescheidenen Erweis, daß das Buddeische Bedenken noch fest stehe p. 15. Cui tamen denuo Wolfius plura grauissima opposuit, im klaren Beweis p. 39.*

§. 124.

Tertium ratiocinium alterius celeberrimi auctoris est. (309) Probat enim, fieri non posse, ut materia cogitet, id est, ut a materia animus non differat; hoc modo: *si corpora cogitare possent, cogitationes nihil aliud forent, quam determinati motus certarum, hac aut illa figura, situ, præditarum partium. Iam ubi eandem cogitatio durante quodam temporis spatio conservata menti offerretur; aut partes illæ ad conservandam cogitationem motum sisterent, aut similes in earum locum succederent: utrumque est absurdum; illud, quia cogitatio cessaret, tum durare deberet; hoc, quoniam non amplius foret cogitatio eadem. Porro, quia cum lurbus cogitationibus conscientia sui copulata est, & vero nemo sibi vel aliarum, rerum vel sui ipsius conscius sit, nisi qui se ab aliis rebus distinguit, ut per motus materiae subtilis hæc exciaretur, necessarium foret, & corpus representatum, & materiam in cerebro representantem inter se comparari, quo & utriusque cum similitudo, tum distinctio animadverteretur, quod natura conscientia poscit: atqui hæc omnia (310) fieri non possunt: ergo & corpus cogitare nequit, eoque distincta ab eo substantia requiritur, quæ illi operationi sit idonea. Hanc vocamus animam. Substituo aliud, quod a priori non ex omni parte differt, & magis est, ni fallor, perspicuum. Omnis repræsentatio in re composita, qualis v. g. est statua Herculis, horologium,*

*Tertium
ratiocini-
um.*

solis motum indicans &c. sistit res repræsentatas *in se ipsa, non tanquam extra se, aut a se distinctas*, facies statuæ Herculeæ *est in ipsa, nec ab eadem*, nisi ut modus distincta: adde quod neque vultum Herculis veri & viui *tanquam a se distinctum repræsentet*. At alia ratio est cogitationum, quæ res repræsentant tanquam a nobis distinctas: non ergo cogitatio potest cadere in rem compositam. Non memini, hoc argumentum a quoquam elusum esse, si ab eo discesseris, quod factum est, postquam metaphysica recentior iam edita fuit. Robur autem eius non infimi ordinis credo.

(309) Verba sunt Wolfii in metaph. §. 738. Addidi veropassim nonnulla, ut maiorem eis lucem affunderem, ut ex characterum litterarumque discrimine patebit. Alterum argumentum non memini a quoquam recentiorum distincte traditum esse: fundamenta tamen eius recentioribus debeo, maxime ill. Bilfingero diluc. §. 271.

(310) Non præterit me, quid hodie nonnulli contra hoc ratiocinium adtulerint, qui malunt nullum argumentum pro veritate hac extare, quam celebris Wolfii meditata non refutare. Excellentissimus Polycarpus Leyser in exam. philos. Wolf. p. 11. §. 11, hoc dubium iniicit. *Posse totam argumentationem instantia infringi*, nimirum eam, quæ ad conseruationem per aliquod tempus cogitationis pertinet: *ad conseruandum per aliquod tempus ignem*, inquit, *aut partes in situ suo conseruantur, quo ipso tolleretur motus, vel alia similes simili motu substituuntur: quid*, pergit, *si ex hypothese Wolfiana illam cogitationum perpetuitatem fieri diceremus ad modum contiguitatis, & cohesionis materie in corporibus, quam a perpetuo motu pendere existimat Wolfius*. Responso est in promptu. Ignis est aggregatum plurium particularum, celerrime quaquauorsum agitarum. Quælibet ignis particula habet
motum,

motum, habet suam magnitudinem, est adeoque igni-
 culus. At vero si cogitatio ex pluribus atomis vario
 motis constaret: non posset quælibet atomus (*cogita-
 tiuncula*) esse. Illinc igitur potest ignis conseruari
 per successionem aliarum subinde atque aliarum scin-
 tillularum; hinc cogitatio eadem non potest conseruari
 per tales *ideunculas* (liceat pace lectoris ita loqui).
 Non igitur argumentatur Wolfius a successionem par-
 ticularum corporis ad negandam eius in eodem statu
 per aliquod tempus conseruationem, sed a successionem
 particularum, quæ plane toti constituendo sunt diffi-
 miles & heterogenæ, ad negandam cogitationis per
 tempus conseruationem. Pergit vir experientissimus,
*non posse nos concludere ab ignorantia modi, ad negatio-
 nem rei. Plurium motuum in corpore nos non esse con-
 scios, & tamen eos fieri.* Ergo licet modum nescia-
 mus, quomodo ex motu particularum conscientia sui
 oriatur, non debere tamen id nos negare. Verum
 enimvero quis ita conclusit? non ab ignorantia modi,
 sed ab impossibili argumentatur, quia materia in ce-
 rebro repræsentans, corpus extra hominem locatum
 non potest se ab illo, comparatione instituta, distin-
 guere, quod ad cogitationem tamen requiri nemo ne-
 scit. Digna sunt verba Bælii, quæ h. l. inserantur:
*Cette sensation, (quam in corpore seu materia fingunt)
 semblable produite tout de nouveau n'est elle pas reçue
 dans un sujet divisible a l'infini. Elle se divisera
 par consequent en une infinité de parties tout comme
 la première, & par cette division chaque sujet, ou
 chaque morceau de la substance n'aura qu'un degré
 de douleur si petit, si mince, qu'on ne le sentira
 point. Or l'expérience ne nous apprend que trop le
 contraire.* Cl. Ridigerus in der *Gegenmeynung wider
 Herrn Wolfens Gedanken vom Wesen der Seel* &c. p. 23.
 ita disputat: *Wenn Gott der Materie die Kraft zu
 denken beyleget, so darf ia diese Kraft nicht aus der
 Natur ihres subiecti, nemlich der Materie folgen,
 sondern die Materie, wenn sie diese Kraft erhalten,
 wird sie was edlers, als sie zuvor war, nemlich eine
 denkende Substanz. Wir, Ich, Clarke und Locke keh-
 ren uns daran nicht, daß es der Herr Auctor mit sei-*

nem Heroë Leibnitio eine philosophiam ignauorum nennet §. 583. wenn man sagt, daß die erste Elemente ihre Kraft von Gott erhalten. Denn wenn wir ihnen eben so unrecht thun wollten, könnten wir auf eine sehr plausible Art sagen, ihre Gegenhypothesis wäre philosophia atheorum. Odiosa consulto omittam. Leibnitius pigrum adpellauit neminem nominatim; ex aduerso cl. auctor id facit. Atheismi culpam exprobrare grauius est, quam postulare pigritiæ. Transeant hæc. Nunquam illustris Leibnitius nec Wolfius etiam cit. loc. eos ignauos vocauit, qui elementis a DEO vim inditam fuisse contendebant, imo vero hoc ipsi duumiri affirmant vid. metaph. §. 584. quomodo igitur alios ob hanc causam ignauos vocarent? id potius ignauitæ tribuerunt, vbi elementa omnium prima, composita figuris magnitudine prædita statuuntur. Verba hæc sunt: *Es irren alle diejenige, welche zu den Elementen der Welt zusammen gesetzte Dinge annehmen. Der Herr von Leibnitz hat es die Weltweisheit der Faulen genennet.* §. 583. metaph. Wolf. Quam infirmum est oburgationis fundamentum? Quod autem ad rem ipsam attinet, de potentia materiæ cogitandi, respondeo: aut phrasis (*die Kraft zu denken darf ia nicht aus der Natur der Materie folgen, Gott kann sie geben*) innuit, etiamsi cogitandi facultas materiæ repugnet, posse nihilominus eam materiæ a DEO conferri: tum nego consequentiam: Deus enim non præstat possibile, quod impossibile est, non mutat essentias: aut significat: *licet ex naturali materiæ impetu vis cogitandi non sequatur, posse tamen sequi miraculosa DEI potentia, qua & ex aqua præstitit vinum; tum nego minorem.* Neque enim materia ad vim cogitandi se habet, vt aqua ad vinum. Cogitandi vis postulat vnitatem, seu rem simplicem; materia arguit rerum multitudinem. Contra & vinum, & aqua, guttarum, partium, multitudinem inuoluunt.

§. 185.

Definitio
animæ.

Proferimus nunc pedem ad examen definitionis, qua recentiores notionem eius euoluerunt,

nt, non id facturi, nisi exprobratum fuisset, posse & veritatis theologicæ hostes eam rapere abusum. Lis satis perorata fuit. (311) Exponemus modo ea, quæ nouissimus scriptor ita vice obuertit, (312) perinde ac si hætenus, quod non arbitror, responsio defecisset. *Dn. Budæus*, inquit, quodsi animæ natura in vi representandi mundum collocetur, monuit fore, ut sensationis potius & meræ passionis faciem quam actionis induat illa representandi facultas: addit porro, si anima ex domestico fonte ideas euoluit, libertatem periculo expositum iri: quibus *Wolfius resp. in annot. ad consil. p. 84. falso se accusari, quod animam cum horologio contenderit: libertatem docuisse alibi, nec meras sensationes animo tribuere, sed & liberos adpetitus: perstiterum se in sententia, iisdem ideis animam affectum iri, licet corporeus mundus non futurus esset præsto. Contra in modest. resp. ad has annot. p. 80. desideratum porro est, licet aduersarius in vi agendi collocet animæ naturam, non tamen propterea a necessitate exsolui, existere corpora in mundo vi prædita agendi, sed necessario (313) tamen agentia: questionem esse hanc: an auctor metaphysices libertati locum relinquat? citari paragraphos ibidem ex metaph. §. 57. 943. ex quibus pateat, vim animæ ex auctoris mente mechanicam esse: accusari etiam, quod simplicitate entis, ad unicam eius facultatem concludat: ad hanc exprobrationem nihil a *Wolfio* responsum in additamentis, quibus annotationes*

locu-

locupletata fuerint. &c. &c. Hactenus vir latinissimus controuersiam coortam recenset. Quoniam tamen queritur, quibusdam nondum esse satisfactum, nostrum erit de eo dispicere.

(311) Quot scripta de his omnibus emissa fuerint: utramque partem, supra indicatum est alia occasione Pertinet huc commentatio luculenta: monitum a commentat. annotat. ad dn. Buddei consilium: additamenta ad annotationes: clara demonstratio, quod nihil dn. Buddeus regerere possit: ill. Bilfinger. in dilucidat. de anima: Riebau. *in der ferneren Erläuterung* Quædam attigit strictim Schlosserus in disp. ad Hohenfelsium. Müller præcipue *im sichern Mittel*, modo sit ab æstu temperasset &c.

(312) Litteratissimus dn. Walchius in lexico philosophico sub tit. *Der Seelen Beschaffenheit*. p. 2285. seqq. Passivam faciunt animam aduersarii potius Wolfii, quam ipse. Intelligo dn. Ridigerum, qui *materialem* nobis obtrudere instituit, ut mirer, eximios Halenses theologos non cauisse, ne talia vulgarentur. Forsan penes ipsos non sterit. Nescio, an absimilia sint sententiæ Lucretii, ita canentis L. III. p. 79.

Nec sine corpore enim vitales edere motus
Sola potest animi per se natura, nec autem
Cassum anima corpus durare & sensibus uti.

Raphson *in demonstratione de Deo siue methodo ad cognitionem naturalium*. Rectissime, inquit, *Morus extensionem inter modos entis realis reciprocos, quatenus ens realis substantiam exprimit, dinumerauit, & substantia in extensa erit contradictio in adiecto*. Dixi, hunc errorem esse antiquum, quod probatur testimonio Plutarchi L. IV. cap. 3. p. 898. & Aristotelis L. I. de anima, qui testantur veteres animam extensam credidisse Hinc non difficile fuit credere, homines ex terra ortos Diogenes Laertius L. II. num. 17. de Archelao narrat *γεννασθαι δε φησι τα ζωα εκ θερμης της γης και ιλυν θραπλησιαν γαλακτι, οισιν τροφην ανιεισης*. Libr. II. num. 17.

(313) Nullus

(313) Nullus dubito, quin damnanda foret Wolfii sententia, si plura libertatis notione non fuisset complexus, quam qualemcunque vim agendi. Sed contrarium patet ex metaph. §. 515. seqq. requirit 1.) *ut actio non sit necessaria, eoque contrarium eius possibile* §. 515. *rationes enim agendi necessitatem non imponere* §. 516. 2.) *ut sit certa.* §. 517. 3.) *ut ex proprio fonte, eoque domestico, hominis manet, quæ spontaneitas est.* Clarke interim in Recueil de diuers. pieces par Leibniz, Nevvton. T. I. p. 356. *contradictionem inuolueri putat, dicere agens necessarium. Car a parler proprement & avec la precision, dont on ne doit jamais s'ecarter dans des disputes de philosophie, un agent necessaire, ou une action necessaire est une contradiction en termes.* Atqui hunc nemo hæreseos propter hanc causam postulauit, licet id sentiat, quod Wolfio affingitur.

§. 186.

Etiamsi anima suo ipsius impetu, nec a corpore vnquam excitato agat, periculo tamen libertas non exponitur. Si a corpore illatas ideas acciperet, patiens foret, speciemque amissæ libertatis præberet. Cum autem ex domestico fonte haurit ideas, & pulcerrimo ordine euoluit; nunquam ille ordo, qui status est rerum *in ratione sufficienti succedentium*, libertatem inflaminat. Dixi in superioribus, multa fieri libere, *sed & cum sufficienti ratione.* Nunc mentaris, nunc meditata chartis mandas, nunc mandata chartis perlustras, nunc perlustrata mandas memoriæ, nunc memoriæ impressa pronuntiatione enuntias: *en semper alteram ideam ex altera euolutam!* Sed numquid propterea detrimenti quid capit libertas? Neutiquam. Etiam dicitur atque etiam te rogo, ut his suspicionibus tandem

Respondetur
tur du-
bis.

tandem aliquando locum deneges. *At enim : sensationibus nulla videtur idearum ordinata euolutio : nunc audio campanarum sonum , mox καλευσμα ουανantium , iam vespa inopinato pungit iam elegantissima iridis forma suspicienti cœlum obiicitur : quæ hæc connexio ?* (314) R. Quæstio erat de libertatis detrimento , quod oriatum si ex suo ipsius fonte ideas anima euoluat : nunc aliud de idearum inordinata successione obuertur , quod ad rhombum nihil facit. Non decem tamen responsio data alibi & ad hoc dubium dudum. Interim notum est , quod recentiores discrimen statuunt inter vim agendi & facultatem (315) vis agendi substantiale quid est , quod non potest non esse vnicum. Igitur a simplicitate recte ad vnam vim , id est , vnum substantiale principium colligitur. Quidquid ergo vir summi paragrapho priore obiecit , ni fallor , excussus est. *Non inculcassem decies iam dicta , nisi fuissem repetitis dubiis ad id faciendum inductus.*

(314) Responsum ad hæc omnia , qua declaratum quomodo sensationes multo diuersissimæ continuo succedere possint , non deficiente nexu elegantissime vid. *in der vertheidigten harmon. præstabilir.* p. 8 not. z. qua respondetur ad ea , quæ in artic. *Rorarii* dictionarii sui Bælius obiecit.

(315) Vid. *acta erudit.* An. 1694. p. 112. *Vis actiua actum quendam continet , & inter facultatem agendæ actionemque ipsam media est.* Vid. ill. Bilfing. in *dilucid.* §. 252. Hæc vis *actiua* rerum , quæ opponitur partim materiæ *passiuitati* , (fas fiet verbo) partim eiusdem materiæ *antitypiæ* , seu nisi resistendi , hæc inquam , quoniam a materia proficisci non potest *distinctam* arguit animam , eoque spiritum materiæ expectat

expertem. Hoc argumento fortius aduersarios constringes quam Malebranchiano, quod in eo ponitur: *cogitationes non posse mensura aestimari; uti spatium & materiam.* Reherent enim veritatis hostes: *Si videremus corpuscula, quibus cogitationes formentur, nos intellecturos esse, quod cogitationes metiri liceat, ad instar subtilium machinarum.* vid. hanc obseru. apud Leibnit. in examine principiorum Malebranchii Rec. T. II. p. 229. seqq.

§. 187.

Nondum ergo dimouemur a definitione, *Indican- tur re- spon- siones aliorum.* quam recentiores animæ imposuerunt, *quod ni- uirum sit substantia vi prædita mundum repræ- ntandi pro situ corporis organici, cui præest.* uicquid enim contra eam monuerunt (316) iri eruditissimi, id in tot scriptis polemicis sa- s superque examinatum, & sublatis dubiis, ni- llor, compositum est, dummodo cum adten- one, quod vltrocitroque dictum fuit, legatur, t ad stateram reuocetur rectæ rationis. Quid? uod potissima dubitatio, qua exprobratum vi- mus, & atheos hanc adoptare posse, nec cete- us anima facultates ex hac definitione intelligi, udum a viro perspicaci (317) exempta sit. Quan- uam igitur plura addi possent; nihil enim est ac philosophiæ (318) parte, quæ de homine ræcipit, dignius, nihil præclarius: tamen, quo- iam pleraque iam anticiparint alii; pergimus ad 1, quæ nondum distinctissime euoluta sunt.

(316) Intelligo scripta in antecedentibus aliquoties al- legata. Conferant, quæso, lectores ven. dn. Langii dubia *in der bescheidenen Entdeckung der schädlichen Wolfischen* philosoph. cum ill. Bilfingeri dilucidationi- bus de DEO, anima & mundo, aut fallunt me omnia, quæ-

quæcumque intelligere visus sum vnquam, aut illi cognoscent dubiis Halensium, etiam in hac lite, v. g. de anima p. 274. 306. seqq. & aliis alibi, cumulatilime pariter ac modestissime satisfactum esse. Nolim ergo agere actum.

(317) Exempli causa subiungam verba ill. Bilfingeri, quibus ex definitione Wolfiana omnes animæ facultates deriuat in dilucid. §. 288. *Dicitur anima substantia representatiua vniuersi pro situ corporis organici in vniuerso. Substantia representatiua ea est, que habet vim representandi. Vis dicit conatum ad actionem; non vero nudam potentiam aut facultatem. Etsi igitur vnica vis anima tribuatur, non tamen tribuitur vna facultas §. 252. quia enim vnica illa vis diuerso modo agit, potest diuerso agere. Potentia illa dicitur facultas. Igitur plures in anima adesse possunt facultates. Facultatem sentiendi contineri in vi representandi mundum pro situ corporis organici, nemo dubitat: confer definitionem sensationum §. 246. Facultas imaginandi est facultas representandi statum præteritum, qui cum presenti sensatione aliquid commune habet §. 253. Igitur & illa continetur sub vi representandi vniuersum pro statu corporis organici. Dum abstraho ab vna re, & ad alteram adtendo, adest representatio vnius rei præ altera clarior. §. 262. Igitur & hæc facultas continetur in vi representandi mundum. Representatur enim vtraque, sed altera clarius. Vtraque tamen pro relatione, quam res representata mecum habet. Applicatio facultatis attendendi semper fit ex occasione alicuius sensationis præsentis: itaque & meditando & reflectendi facultas §. 264. includitur in conatu representandi vniuersum &c. Memoria agnoscit identitatem vnius idea in diuersis scribibus representata §. 260. oritur ex sensatione, phantasia, & facultate comparandi ideas §. 267. Sequitur igitur & illa ex vi representatiua rerum; similiterque conscientia sui ex §. 269. Intellectus vero conuenientias & differentias rerum sensibus, imaginatione, & memoria representatarum, atque inter se collatarum animaduertit & distinguit §. 271. Omnes igitur hæc facultates comprehenduntur in definitione anima.*

(318) Doctrina enim de homine eiusque anima per omnes philosophiæ partes diffunditur, habeturque merito præstantissima. *Morhof. in polybist.* T. II. L. II. eos recenset, qui in hac & cognatis partibus defudarunt. *Cartesii tractatus de homine* nobilitatus est. *Godofredi Bergeri physiologia medica*, siue de natura humana, anno 1702. in 4. emissa cum adplausu fuit excepta. *Ludouicus de la Forge librum de mente humana* in lucem edidit, Cartesianæ dogmata exponentem. *Sperlingii anthropologia in omnium manibus* versatur. *Christ. Martin. Burkardi*, med. doct. Rostoch. *meditationes de animâ* per ens prod. 1726. placuit v. g. mihi hoc effatum p. 58. *quid enim a recta ratione magis alienum est, quam cum de essentia spirituum immaterialium eorumque operationibus differunt, præsupponere, quod spiritus debeant instar rerum materialium, siue per contactum agere aut pati, aut quoniam id non possint, omnem statim agendi vel percipiendi virtutem ipsis denegare?* Cl. auctor putat, se sententiam Leibnitii de harm. præst. impugnare hoc loco, sed aliam, quam sibi ipsi animo formauit, impugnat: neque enim hæc sunt verba, nec sensa viri illustris *Quis ab impossibili animæ & corporis mutuo contactu ad negandam perceptionem & actionem utriusque conclusit?* Hic est fons litium omnium, contra veritatem agitatarum, vt sibi aduersarii eam aliter concipiant, eoque non cum veritate, sed cum suo phantasmate merito pugnent. Pugnat doctissimus auctor potius contra *Ridigerum, qui attactum in omni actione postulat*, vt vidimus supra. Respondeat hic, si placuerit, collegæ, id est, medico doctori.

§. 188.

Quantum libertas hominis in disciplina morali pariter ac in theologia momentum trahat, ne iterarum quidem prorsus expertes fugit. Facieus igitur, ni fallor, operæ pretium, si ostenderit, absque doctrinis recentiorum singulis grauissimam hanc veritatem contra Spinozam, Bælium, Hobbesiumque neminem feliciter

Q

tuitu-

De libertate hominis dubium.

tuiturum. An, si id verum est, recentiorum placita vsus in theologia non præstant longe maximum? *Præstant omnino*, inquis, *si verum est; at credat apella luadus, quod verum esse caussaris.* Credes profecto mecum, si animum parumper aduertas, etiamsi manseris christianus. Ita v. g. contra libertatem Bælius arguitur: (319) *sive adpetitus voluntatis ab externa re nobis ingeneretur, siue nos ipsi eundem elicuerimus, verum tamen utrinque fuerit, nos aliquid velle, & conscios esse, quod id velimus. Quemadmodum vero, priore casu, causa isthac externa cum adpetitu, quem ingenerat, tantum voluptatis immisceri potest, quantum pro suo arbitrio vult: ita fieri etiam potest, ut nobis mirifice tum placeant voluntatis nostræ (licet non a nobis excitati) nisus. Non persentiscimus, id si contigerit, coactionem: salua quoque manebit regula: voluntas non potest cogi. Annon concipimus clarissime, galli effigiem tempestatis nuntiam, quam venti impetus in certam plagam dirigit, persuasam fore, si sui conscientia tangeretur, motusque impressi priorita cum adpetitu eius conueniret, sponte sua se ferri in desiderii sui complementum? Fingamus, nescir gallum, quod existant venti; quodque causa externa & mutati situs & mutati desiderii nisusque rationem in se contineat, annon futurum esset, et sibi ipsi actionum illarum fontem, sed falso, vendicaret? Atqui nos homines miselli galli huius conditionem referimus ipsissimam. Profecto nos latet, numquid causa externa præstet, ut in nobis alia desideria aliis succedant, nec ne? Quocirca
 pronu*

ronum est, per errorem homines induci, ut cre-
lant, ipsos suarum actionum auctores esse, cum reue-
a decipiantur. Cum ergo mutationum, quæ in ho-
nine contingunt, explicandarum duæ solùm, nec
lures hypotheses sint, quarum altera nobis vires
gendi, altera meram externos instinctus recipien-
li potentiam adscribit: profecto tam diu prima
ecunda anteponi nequit, quam diu nihil allegare
ossumus pro ea, quam argumenta sensationum:
nsationes enim istæ eadem forent, si vel maxime
principio externo accederent, adpetitus, quos li-
eros vocamus, ingeneraturo.

(319) Verba sunt Bælii latine versa. Vid. *reponse aux
questions d'un provincial. chap. 140.*

§. 189.

Quod nunc pro tuenda libertate consilium *Responsio.*
bibimus? Num succensebimus auctori, indignas,
uæ solvantur responsione, eius argutias pro-
untiaturi? Num dicemus, baculis tales erudi-
ndos, non verbis? an in querelas deprauati
nundi effundemur, omissa responsione? Non
sset id philosophi, sed pædagogi. Philosophi
st, advertere ad omnia, etiam ad argutias an-
agonistarum. Libertatem complures defende-
unt (320) argumento ab experientia, & sensu
ius intimo, quo imbuimur, petito. For-
gitur dicere licet: sentire nos utique, quod ve-
imus, quod libere adpetamus, non esse propterea
audiendum, qui sensui huic repugnet. At pace
ua dixerim: experimur nos velle; sed an volun-
tis adpetitus aliunde a principio externo inditus
sit,

fit, nec ne? id non experimur. Id enim simile Bælii, a gallo desumptum, innuit. Quando in conuersione, vt loquuntur theologi, *Deus ingenerat & velle & operari*, Philipp. II. 13. nonne sub initium, progressum & finem homo recipit instinctus aliorum? an agit quidquam? Quis dixerit mihi, aut quo argumento iam probare licet non esse eandem conditionem vitæ naturalis per omnia durandi momenta? Vnde cognoscimus non inspirari a DEO adpetitus quosuis bonos, & a diabolo malos, seu, vt magis philosophice loquar, a principio quouis externo? Animum subit quorundam ex reformatis sententia, prædeterminationem statuentium. (321) *Est ea, ex auctorum mente, præmotio, qua Deus applicat causam secundam ad agendum in singulis occasionibus antecedenter ad omnem operationem creaturæ, seiprius natura & ratione, quam creatura operatur*

An creata res, hac sententia stante, non similis est gallo Bæliano, qui etiam præmotus a vento efficitur? quid interest inter vtrumque? Nihil profecto, quam hoc, quod ex mente horum reformatorum homo *præmoueatur*; gallus autem Bælianus a vento tantum *moueatur*, id est, quod illinc agendi vires quidem supponantur, sed nunquam exercendæ, nisi prius ab externo agent excitatæ: hinc autem in gallo prorsus nullæ præsto esse videantur. Atqui nihil procliuius est quam vt aduersarius etiam istas vires neget, qua sine sublimiori virtute præmouente inutiles & velut mortuæ sunt. Dicit enim aduersarius: *cu bono sunt vires, qua non nisi acta agunt? entia non sunt*

ant multiplicanda &c. Sufficit, Deum omnia operari, ac adpetitus quoque elicere, quos vocamus liberos. Sed, quæso, quantum tum libertati periculum imminet? Quo pacto igitur & contra Bæium, & contra reformatos istos probabimus, *distinguendam esse a lubentia libertatem?* quas res li confundunt. Quæ enim voluntas præmouetur ad adpetendum, ea, siue vires præmotricibus subiectas habeat, siue non habeat, ad instar galli Cæliani, lubens quidem est, libera non est. Patet autem exemplo hominis, nauis, secundo vento, in portum deuecti non sine animi lætitia, quantum intersit inter *lubentem, & liberum.* Lubens quidem is in portum defertur, sed absque libertate: non potest enim, si vellet, alio venire, quam quo nauis fertur. Fingamus ventum & nauis motum inferre, & nauis desiderium eo tendendi, quo vela aguntur; persuadebit sibi profecto nauta, se liberum esse, cum lubens tantum existat. Qua autem ratione intelligimus, nostram conditionem huius non esse similem? An ex experientiam? atqui nauta decipitur, si ita arguit; forsan falleris & tu? Num affirmabimus, *ventire quemlibet, quod possit iam agere hoc, iam agere illud?* Atqui id aleæ plenum est. Si ventus in plagam nullam nauim ageret, quam in eam, quo & abeundi desiderium inspiraret nauis, *anon hic existimaret, se posse agere, quod vult?* nihil enim venti opera fit, nisi quod vult. Annon nauis afflaretur, se posse ferri huc, ferri & alio, si vellet, id est, si ventus adpetitum menti, & nauis motum suo afflatu inferret. Quis hanc libertatem agnouerit?

(320) Scriptores de libertate complures, in vtramque diuisos partem, recenset Pfaffius T. I. histor. litter. p. 327. seqq. Interim, vtrum argumentum ab experientia nude sine supplementis recentiorum desumptum valeat? disputatum est. Nam & qui ad experientiam prouocant, difficilem esse doctrinam de libertate concedunt. Vid. l'exposition des 39. articles. de l'eglise Anglicane, episcopo Salibur. edente p. 117. 127. King. de origine mali p. 91. 127. vid. Collin. recherch. sur la libert. T. I. Rec. p. 263. seqq. Concedit Episcopus, & necessitatis patronos ex sua parte stantem habere experientiam oper. T. I. p. 200. Hinc factum, vt scelestiores gentes criminum suorum culpas transferrent in Deos, quoniam cuiusdam necessitatis experientiam finxerunt. *Plutarchus de audiendis poetis: eheu! malum mortalibus diuinitus venit, vt bonum videant, non vtantur tamen.* p. 33. Hinc nonnulli, imo plures libertatem inficiabantur. Non loquar de priscis, quorum integræ sectæ tatum, vel & atheismum stabilientes hanc doctrinam conculcabant: dicam de Bælio, qui in commentar. philos. T. II. cap. 6. p. 383. 423. libertatem quidem defendit, *postea vero in lexic. historic. crit. disputat aduersus eam*: refutatus a Iacquelotio in conform. fidei & rat. p. 251 in examine theologiæ Bælii P. II. c. 7. p. 271. Collinus contra argumentum *de experientia* pronuntiat ob tot eruditorum diuortia, quæ non forent existura, si experientia omnium tam clara foret p. 262. ait: *Mais comme tout cela peut arriver dans un fait si clair, & qu'on suppose que chacun éprouve en lui-même*: cui vero, referente Walchio in lexic. philosoph. p. 1055. Io. Eberh. Rösler Tub. occurrit duabus dissertationibus.

(321) Vid. Turrett. theol. elencht. T. I. p. 558. de prouid. vbi prædeterminationem ita describit. *Premotio est, qua DEVS ciet & adplicat causam secundam ad agendum, adeoque antecedenter ad omnem operationem creaturæ, seu prius natura & ratione, quam creatura operatur, eam realiter & efficaciter mouet ad agendum in singulis actionibus, adeo ut sine hac præmotione causa secunda operari non possit, ea vero posita, impossibile sit in sensu composito, causam secundam non illud idem agere,*

agere, ad quod a prima causa præmouetur. Ceterum de prædeterminatione ita pronuntiat Bayle dictionnaire. Tous ceux qui ont peu de penetration, voient clairement, que sur la matiere de la liberté il n'y a que ces deux parties à prendre l'une est de dire que toutes les causes distinctes de l'ame qui concourent avec elle, lui laissent la force d'agir & de n'agir pas, l'autre est de dire qu'elles la determinent de telle sorte à agir, qu'elle ne sauroit s'en defendre. Le premier parti est celui des Molinistes, l'autre est celui des Thomistes & des Jansenistes & des protestans de la confession de Geneve. Fugiebat vero virum, summa eruditionis laude florentem, priorem partem in duos abire ramos: aut enim causæ, ad agendum concurrentes, relinquunt indifferentem & facultatem agendi, & exercitium actionis; tum indifferentia oritur perfecti æquilibrii, quam Kingius & scholastici complures tuebantur: aut causæ illæ exercitium determinant, non ipsam facultatem agendi, id est, præstant, ut certissime ita sis acturus, non vero, ut aliter agere non possis; tum oritur indifferentia actiuitatis, quæ Leibniti, nec non aliorum Augustanæ confessionis non variatæ asseclarum sententia fuit. Hæc sententia media est inter utramque extremam. Nec enim actiones hominum liberæ casui cæco tribuit, quasi sine ratione omnimoda exortas; nec fato libertati inimico eas subiicit, quæ prædeterminantium causarum siue physice, siue moraliter, efficacia est. In sententia media res creatæ propriis viribus se determinant; in Thomistarum viribus DEI physice præmouentis, & in Iansenii aliorumque, moraliter præexcitantis. Ex eorum mente, si consentanea docent, facultas agendi aliud tollitur, siue per physicam præmotionem, siue per moralem; in horum autem, qui Augustanæ confessioni adstipulantur, non tollitur per causas, agendi aliud potentia, dirigitur modo, per certas rationes, exercitium eius. Illinc igitur necessitas, siue physica siue moralis, introducitur; hinc non item, manet quippe salua libertas.

*Aditus ad
ulterio-
rem resp.*

*Quæ tandem medicina huic morbo adhibenda est? Non nisi ea, quæ ex recentiorum promptuario desumitur. Nam si euiceris, præsto esse in anima vim agendi; liberaueris te a dubio Bæliano, ac hominis cum vexillo similitudinæ: namque hoc non agit, homo autem, probata vi agendi, spontaneitatem habet. Age autem, fac periculum, num argumentis idoneis animæ speciatim, nec vna ceteris substantiis, agendi vim vendicare possis? Non exstat meo iudicio ratiocinium tale, quod vim agendi adiudicaret menti nostræ, exclusis ceteris substantiis. Substantia omnis, opinor, res simplex est: corpora enim & res compositæ, non sunt substantiæ, sed substantiarum plurium cumuli. *Aut hæc etiam vim agendi (322) habent, aut anima non habet. Quid ita, inquis, dixi ad experientiam de libertate tuenda prouocari non posse, nisi suppleantur ratiocinia quædam ex philosophiæ tam exosæ penu. (323) Dicis, animam sentire vim agendi: solue, inquam, prius dubium Bælii. Instas, cum Clarkio, non posse non animam esse liberam: (324) agens enim necessarium phrasin esse contradictoriam, quod agat, non impelli, id est, necessitate non affici ab alio. Proba, quod anima agat. Nullum datur, quod iamiam monui, pro animæ viribus agendi argumentum particulare; datur tamen generale pro vi agendi substantiarum omnium, quod ad tuendam libertatem sufficit. Atqui hanc veritatem recentiores explicatiorem (325) reddiderunt.**

(322) Ad-

(322) Aduertit Leibnitius, omni substantiæ, quæ non esse potest, nisi simplex, vim tribuendam agendi. vid. æta erudit. ad ann. 1698. p. 439. *cum id, quod non agit, quod vi actiua caret, quod discriminibilitate, quod denique omni subsistendi ratione ac fundamento spoliatur, substantia esse nullo modo possit.* Ita quoque sentit Wolf. metaph. §. 115. p. 49. ed. prim. Caue interim credas, elementa rerum esse atomos, figura, situ, magnitudine præditas. Forent enim materiales particulæ: cumque materia omnis recipiendis, non edendis, motibus apra sit, exularet hinc vis agendi omnis. *Materiales res phænomena sunt, sed bene fundata.* vid. Recueil. T. II. p. 133. *Les substances simples sont les seules veritables substances, & les choses materielles, ne sont que des phenomenes, mais bien fondez & bien liez.* Non est igitur, si corpora, uti colores, phænomena sunt, cur dicas: *quomodo ex eo, quod est non-materia, coire potest materia?* Quid responderes ei, qui de oraculo Iudic. IX. 37. differens quæreret: *an ex militibus umbra fieri potest?*

(323) Anima per doctrinam influxus vexillo Bæliano non absimilis euadit. Quemadmodum ventus suo afflatu vltro citroque vertit signum, altissimis turribus impositum: ita motus corporei per organa sensuum physice animam afficiunt, iam ad has, iam alias res considerandas excitatum. Scio, alteram partem actionum animæ, quæ in liberis adpetitibus ponuntur, non deriuari ab influxu corporis, ne prorsus *passiua* reddatur anima; sed cum & adpetitus liberi occasione sensationum orientur, facilis videri potest a sensationum necessitate, ad horum necessitatem transitus: perinde ac si quis caussaretur: vexillum in quibusdam quidem occasionibus a vento huc & illuc rapi, in ceteris autem ferri hac illac sua sponte, si fingamus, quod conscientia sui præditum sit.

(324) Vid resp. Clarkii ad Collini recherches sur la liberté Recueil. T. I. p. 386.

(325) An elementa sint vi agendi prædita, non hodie demum disquisitum fuit. Cicero de natura Deor. L. I. p. 180. *Democritus, ait, censet, imagines diuinitate præditas inesse vniuersitati rerum: tum principia men-*

tesque, quæ sunt in eodem uniuerso Deos esse dicit. Augustin. epist. 56. Democritus, inquit, hoc distare in naturalibus questionibus ab Epicuro dicitur: quod iste sentit inesse concursui atomorum vim quandam animalem & spiritalem. Non male! licet in eo errauerit, quod atomos finxerit elementa, quæ tamen & ipsæ adhuc in partes diuidi possunt. Superiori seculo de viribus elementorum disputari cœptum fuit. Boyle in dissert. quæ inscribitur: *libera in receptam naturæ notionem disquisitionis 1686.* abrogatam volebat naturæ vocem, substituta mechanisimi significatione. Inuenit assentientem Sturmium in dissert. de nat. idolo, cui se opposuit Schellhammer, de natura sibi & medicis vindicata, respondente Sturmio, de natura sibi in cassum vindicata. Quo scripto elicuit ab aduersario naturæ vindicata vindicationem. Confer ill. Bilfinger. de harm. præstab. ed. prim. p. 75. Vim originariam agendi rebus inditam crediderunt D. Stair in physiologia noua experimentalis 1686. du Hamel in physic. gen. tract. II. diss. II. cap. 2. p. 159. Honorat. Fabri vero scient. phys. tract. II. L. I. prop. X. XI. contrarium sentit: cum quo faciunt Malebranchii & Sturmii affectæ, omnem morum a Deo immediate, (*immediatione virtutis*) deriuantes. De principio hylarchico, & vi plastica nonnullorum nihil nunc dicemus.

§. 191.

Continua-
tur re-
sponsio.

Non deerunt forte, qui libertatem, absque subtili, de viribus rerum creaturarum agendi, controuersia probari posse autumabunt, prouocaturi ad argumenta a posteriori, id est, a *pœnarum, premiorum, consultationis &c. inutilitate desumpta.* Non refragabor, si cetera sint paria. At ubi nondum vim agendi propriam animæ vindicaueris, superuacuum erit labor tuus. Necessarius enim tum erit animi motus, necessaria pœna, necessaria consultatio; eadem causa externa, quæ te excitauit ad agendum, impellet quoque
ad

d consultandum, pœnitentiam, aliaque reliqua. Non erunt superflua hæc, sed necessaria x æquo, physico certe, si non morali, nexu conuectura. Quid ergo tandem? Distinguo in libertate certa momenta. Alia per experientiam & respectus morales probari possunt; vnum eorum non potest. En quinque libertatis requisita! Primo præsto esse debet *agendi vis*: post *excludenda est necessitas metaphysica*; cuius oppositum contradictionem inuoluit, qualem Spinoza (326) introduxisse videtur: tum arcenda est *necessitas physica*, cuius oppositum in miraculis ponitur. Sic ignis necessario vrit, sol mouetur, nisi portento diuino aliud statuatur, in quam parte Thomistarum schola, physicam prædeterminationem adoptantium, propendebat; certe quidem Malebranche, Sturmus, alique, qui vim in rebus creatis omnem DEO soli tribuunt, perpetua miracula fingentes hanc necessitatem physicam ex (327) corporibus tollunt. Præterea a libertate remouenda est *necessitas moralis*, qua homo per certa motiua ad hoc, aut illud, ta non inclinatur modo, sed rapitur, vt videat meliora probetque, deterioraque sequatur. Huius contrarium est *supernaturalis idearum* fortius afficientium in animum immissio. Sic in rebus, ad comparandam vitam æternam pertinentibus, homo destituitur libero arbitrio, non potest non peccare *necessitate morali*. Sed absit, vt eandem mortalium conditionem statuamus in negotiis civilibus, naturalibus. Qui tamen prædeterminationem moraliter irresistibilem stabiliunt,

(328) huic classi adscribendi sunt. Postremo ad libertatem accedat necesse est *cognitio actionis, & iudicium*. *Anne hæc non sufficiunt ad libertatem plene cognoscendam?* Prima necessitas contingentiam omnem excludit, & afficit rerum essentias, quæ metaphysico sensu necessariae sunt. Alterum genus contingentiam absolutam non excludit, pertinetque ad mechanismum corporum, causasque efficientes a finalibus seiunctas, excludit tamen libertatem. Tertium genus cum eadem contingentia amice componi potest, ita tamen, ut causas afficiat finales, & libertatem sufflaminet. Vbi hæc triplex necessitas pulsa sit, libertas duobus ceteris paribus adinuenire locum potest. Ex quo intelligitur, cum libertate amico consensu copulari *determinationem actionum moralem*, qua homo per certa motiva ad hoc, aut illud, non rapitur, sed inclinatur, *quia meliora non videt*, salua manente facultate aliter agendi. Huius determinationis oppositum est *naturalis* ideæ fortius afficientis in animum aditus. Vides, quantum hæc a necessitate morali distet, quæ cum libertate componi nequit.

(326) Spinozam talem rebus necessitatem imposuisse, cuius contrarium inuolueret contradictionem, peruulgatum est. Ita enim ille ethic. P. I. schol. prop. 17. p. 17. *ridet eos, qui contendunt, fieri posse, ut quæ in DEI potestate sunt, non fiant siue ab ipso non producantur, quod idem esse ait, ac si dicerent, DEVM posse efficere, ut ex natura trianguli non sequatur æquales esse duobus rectis tres eius angulos*. Quæ ipsissima metaphysicæ necessitatis definitio est. Nam quis dubitat contradictionem emerisuram, si quis tres angulos non æquales fingeret duobus rectis?

(327) Ita

(327) Ita Malebranchius de inuestigatione veritat. eiusque illustration. seu eclaircissement p. m. 112. *Multa, inquit, sunt rationes, cur causis secundis seu naturalibus, nullam vim, potentiam aut efficaciam quidquam producendi tribuam. - - Nullam potentiam cognoscam, nisi in voluntate entis infinite perfecti.* Ceterum Thomistas, Augustinum secutos, physicam docuisse prædeterminationem, certum est, quæ causa est, quare Bagnag. histoire de la religion des eglises reformées T. II. p. m. 452. probat, concilium Tridentinum præmotionem physicam reiiciendo, Augustinum damnasse. De præmotione physica egit auctor quidam anonymus gallico idiomate, a Malebranchio refutatus.

(328) Iansenistæ namque moraliter irresistibilem volunt DEI in creaturas operationem. Vid. Leydeker in vita & morte Iansenii.

§. 192.

His ita præmissis, dicam, quæ mihi circa libertatem sententia placeat? Nimirum per experientiam non cognoscimus omnia libertatis requisita, sed nonnulla tantum. Quod attinet primo ad vim agendi seu ad spontaneitatem, non arbitror, eam nos *immediate* experiri. *Immediate* non experimur, nisi animi desideriorum & appetituum vicissitudines; vtrum autem a nobis proficiscantur ipsæ, seu, an aliunde inferantur, hætenus obscurum est. Mirum id haud videri debet. Nulla autem facultas *immediate* sentitur, sed per actiones suas medias cognoscitur. Experientia omnis ad facta pertinet. Nisi aliunde igitur innotescat, quod facultas interna sit, id est, propria huius subiecti; non potest id ex solis factis cognosci. Hinc fuerunt Malebranchiani, qui omnem creaturis vim agendi denega-

*Expositio
sententiæ.*

negabant, nihil moti actionibus earum, quæ solæ in oculos sensusque incurrunt. Quoniam igitur ex philosophia recentiori probari potest, *animam esse ornatam spontaneitate*; simile istud, a vexillo desumptum, nos non pungit, quippe alienum; illos vrit, qui ex sola conscientia spontaneitatem probant. Faciant periculum respondendi dubio Bæliano, si credere nolint. Euiçta aliunde spontaneitate, cetera, ad libertatem concurrentia, per experientiam animaduertimus. Sentio v. g. a meis actionibus abesse necessitatem metaphysicam: quod enim h. m. necessarium est, nunquam mutatur, vt de rerum essentiis constat; atqui appetitus meus non est vnicus possibilis, succedunt subinde innumeri, teste experientia. Exulat etiam a meis actionibus necessitas physica, quæ ad solas causas efficientes spectat: quis enim sibi non conscius est, se intuitu finium agere, non per cæcum, & cognitione vacuum mechanismi tactum & impulsum? Liberam porro voluntatem video a necessitate morali, non sumus semper mancipia affectuum, qui in transuersum inuitos rapiunt, dummodo sapimus: frequenter suscipimus actiones, quas vel vnus ideæ naturali interuentu omissemus lubentissime. Accedit denique, quod omnes (329) sciant, & sentiant se iudicare, ratiocinari, cognoscere, quæ quarta libertatis conditio fuit.

(329) Ne quis dicat, non fuisse hanc recentiorum de libertate sententiam, nunquam tot necessitates istos auctores exclusisse; quod si facturi fuissent, immunes

eos ab accusationibus fuisse futuros: respondet: atqui hæc est genuina eorum mens. Sic v. g. Wolfius excludit manifestissime necessitatem metaphysicam a libertate §. 515. *Wir finden, daß die Handlungen, welche wir frey nennen, nicht schlechterdings nothwendig, indem dasienige, was ihnen entgegen gesetzt wird, eben so wohl möglich.* Secundo ardet necessitatem physicam. Qui enim omnes penitus corporum in animas actiones & impulsus tanquam a causis externis & efficientibus profectos negant, non possunt mechanismo animam subiicere. Mechanismus enim non habet locum nisi in compositis. Tertio etiam separat Wolfius necessitatem moralem, meo sensu dictam, a libertate. Metaph. §. 516. ait: *Die Beweggründ lassen die Beschaffenheit der Sach, und das Vermögen sie auszuführen (ecce determinationem non ipsius agendi facultatis, sed exercitii in agendo!) einmal wie das andere, und können darinn keine Aenderung machen.* Dixi necessitatem moralem esse eam, qua motiua rapiunt, non inclinant, ut eorum efficacia tolli non possit, nisi per supernaturalem Dei operationem. Talem necessitatem libertati non imponit Wolfius. Vid. metaph. §. 524. ubi concedit, posse noua agendi motiua, naturali & ordinario modo accedentia, hominem alio flectere, ut non agat, quod agendum instituit. *Wer durch neue Vorstellungen, inquit, seinen Willen ändert, wird nicht gezwungen.* Quocirca dum vocabulo necessitatis moralis utitur in doctrina de libertate, nihil per id intelligit, quam determinationem moralem, paulo ante a nobis definitam, placibilem cum libertate. Talem & theologi & philosophi statuunt: dum aliquid, aiunt, futurum est, non potest esse non futurum. §. 575. *nothwendig unter einer Bedingung ist, was in Ansehung eines andern nothwendig wird, und den Grund der Nothwendigkeit ausser sich hat.* Quasi diceret, quod posita certa hypothesi non potest non fieri.

§. 193.

Sed nunc de viribus agendi dispiciendum, ut solæ per experientiam immediate cognosci

De viribus elementorum agendi.

non

non possunt. Res est altissimæ indaginis : summam complectar quædam. Quicquid existit, id vel agit, vel patitur, seu actiones recipit, vel exhibet vtrumque simul. Non poteris quidquam rerum existentium allegare, quod nec agat, nec actiones recipiat. Substantiæ sunt res simplices, (330) & existunt reuera: ergo illis tribuenda vel agendi vis, vel patiendi facultas. Non dissentiunt hætenus atomistæ: suas enim atomos potentia passiva, seu recipiendi impulsu, prædicas affirmant. Sed an internus atomorum status plane passivus est? (externus enim in figura & situ & magnitudine ponitur) si plane passivus est, nec virium agendi quidquam complectitur, tum prorsus non existit. *Bona, inquis, verba quaeso: noli uno ictu prosternere Malebranchii, de rebus materialibus mere passivis, & atomistarum opinionem.* Non prosternam: sponte ruet: audi, si placet. Si atomi ceu minutissima materiæ particulae sunt prorsus *passivæ*, tum plane non existunt: passivum non est res, sed limitatio rei, non existit positivo actu, sed res existentes maiori existendi virtute priuat. Per omnia exempla rerum, qua passivæ sunt, non poteris refragari. Quies in corpore, quid aliud est, quam defectus motus? Suppone, in atomo nihil esse prorsus, nisi quietem; merus aderit defectus, id est, nihil. Dicis: *atqui præsto est materiæ molecula*; atqui si ea materiæ particula mere passiva est, redit ratiocinium idem; si non est, habebit virium agendi nonnihil, quod volumus. Regeris: *adsunt figura, situs, magnitudo*

udines atomorum. quid est *figura*, quam *terminus* quantitatis? id est, priuatio. quid est *magnitudo*, quam *multitudo partium*? nihil in rerum natura ponens, nisi quid partes ponant: iam vero partes passiuas, id est, motum absorbentes, & priuationes, & nihilum statuis. Quoquoque verteris, ostendere haud potes, atomos mere passiuas, esse aliquid, nec vero priuationes. Nam limitationes non existunt sine re limitata; tu vero nullam rem limitatam, id est, nullum motum, sed meram limitationem motus, id est, quietem adesse contendis. An etiam existunt in arithmetica meræ subtractiones sine vlllo numero? Status atomorum externus, figura, magnitudo, in limitatione ponitur: iam & interum in *passiuitate*, id est, limitatione mera collocas: an ex meris limitationibus aliquid conatur? Perinde ac si quis ex meris & continuis tenebris lucem, ex tarditatibus multis motum, & nihilo pluries repetito aliquid elicere vellet. *Quid igitur, ais, est materia? an est prorsus nihil?* atomos enim pro nihilo reputas sine viribus: ergo idem iudicas de materia. (331) Materia est quiddam minus completum, quo repræsentatur id, quod in rebus limitatum & finitum est: nimirum *extensio* & *molis inertia*. *Extensio* est distinctio rerum aliarum extra alias, eoque, qualis, indicat plurium rerum distinctionem, & limitationem; si res ipsæ extra se mutuo positæ non sint aliquid, ipsa multitudo, & diuersitas nihil inferet: *nihilum millies aliud extra aliud cogitatum nunquam constabit vere aliquid*: idem

sentiendum de inertia, seu reactione, qua materiam concipimus vt motui resistentem. Vis agendi est aliquid: quod igitur his viribus derogat, id priuationis loco habendum. Ergo, si atomos materiales mere tales concipimus, nihil concipimus; atqui si elementa mere passiuia sunt plane non existunt, quod erat demonstrandum competit propterea elementis omnibus, seu substantiis vere talibus, vis agendi.

(330) Dominus profess. Creiling, in exam. principiorum philos. Leibnit. p. 5. de simplicibus adnotat: *id forte metaphysici adhuc desiderabunt, vt explicetur distinctius, quales intelligentur partes, quae in monadibus Leibnitianis negantur? an omnes omnino? an certi tantum generis? qualisue sit illa compositio, cui hac simplicitas opponitur, & qua monades carent? An saltem physica? an vero etiam metaphysica, & omnimoda? Nam cum Leibnitius diserte aiat, se vim motricem, quatenus primitiuia est, & cum materia substantiam vere vnam constituit, pro eo habere, quod monadem appellet, monadem compositam fore, non amplius simplicem. Sed in vado res est, vt & eximius auctor eodem loco sperauit considerat enim Leibnitius monadem iam in se, iam in coniunctione cum quodam corpore, cui praest. Vis actiuia in se est simplex: prout vero constituit corpus vis agendi animatum vna cum materia, monas est, seu componens, non composita: sicuti & anima, corpori copulata humano simplex manet, etiamsi hominem constituat: non enim eo facto fit composita, sed componens.*

(331) Vid. Recueil T. II. p. 7. *La matiere même n'est pas une substance, mais seulement substantiatum, un phénomène bien fondé, & qui ne trompe point, quand on procede en raisonnant suivant les loix ideales de l'arithmetique & de la geometrie & de la dynamique.*

§. 194.

Applicatio
ad dubium
Balii.

Cum omnibus substantiis vis agendi competit §. 193. competit etiam animæ; quascunque igitur

gitur mutationes in anima ordinario cursu naturæ animaduertere licet, eæ omnes manant a fonte domestico, id est, arguunt spontaneitatem. si nullam vim agendi haberet anima, foret nihil; quod est absurdum. Itaque spontaneitatem nimæ *immediate* non experior, experior tamen interuentu ratiociniorum præsto esse vim percipiendi. Vim ipsam cognosco ex ratiociniis, non ex sensibus; specialem autem virium animæ conditionem, quod nimirum sint *perceptiua*, non notrices, mea ipsius conscientia edoceor. Quemadmodum ex altera parte per experientiam noui, vim corporum motricem esse, quia motus video, cum tamen ipsam vim generatim non nisi argumento philosophico detegere potuerim. sic ratio succurrit experientiæ: sic Bæliano dubio satisfieri potest: sic & spontaneitas, & omnia cetera, quibus libertas absoluitur, inconcusso nituntur argumento, ut ne tantillum athei habeant, quod possint oggannire. Intelligitur tiam, quid de occasionalistarum sententia habendum, omnem rebus creatis efficaciam abiuricantium. Nimirum per agendi vim, siue percipiendi, siue mouendi, res existunt, & substantiarum induunt naturam; accidentia autem sunt virium limitationes, plus minus tales: quod igitur nullæ rebus creatis vires competunt, tum plane non existunt, Deusque est omnia fontis, *reclusa Spinozismi porta.*

§. 195.

Adeo disciplinæ omnes connectuntur, ut
et sine doctrina de substantiis recte explicata,

libertas hominis consistere nequeat. Non indignabimur igitur recentioribus, qui hæc talia moment. Superest, ut exponamus, quid hodierni philosophi in demonstranda animæ immortalitate præstiterint? Non exiguum enim ea veritas theologiæ adiumentum affert. Sequar cogitata cuiusdam viri docti, (332) subiunctis hinc inde meditationibus propriis. Tribus notionibus distinctis, quod antehac non factum, recentiores animæ immortalitatem complectuntur, *ut primo post mortem perseueret ex sua natura in perpetuum.* Opponitur hæc idea iis, qui animam pro subtili flatu habuerunt, (333) in auras post mortem abituro. Secunda notio, *ne perseuerantia animæ absque conscientia sui fingatur, poscit statum idearum non obscurarum, quarum nulla tangimur conscientia, sed omnino distinctarum, quæ reflectendi potestatem post obitum relinquit.* Hac positione eorum sententia damnatur, qui animas post mortem dormientes & olim & hodie crediderunt. (334) Tertia immortalitatis idea complectitur nexum status præteriti cum futuro, ut homo post mortem sentiat, se eundem esse, qui antehac in vita mortali hoc aut illud boni maliue perpetraverit. Oppugnat hæc thesis Aristotelem, qui immortalitatem quidem principii cuiusdam externi, intelligentiam homini ingenerantis, concessit, sed ita, ut post obitum ψυχή intereat, vsq̄ autem intelligendi donum retractet, nullo huius nexu cum intermortuo posthac manente. (335)

(332) Sequor quoad summa rerum capita cl. virum, Lud. Phil. Thümmigium in dissert. de animæ immortalitate.

(333) Horum numero venit Lucretius de rerum natura L. III. p. 86. seqq. vbi haud obscure innuit, animam conflatam ex minutiis, ipso fumo, nebula, humore tenuioribus. item L. III. vers. 437. p. 155.

Et nebula ac fumus, quoniam discedit in auras,
 Crede animam quoque diffundi multoque perire
 Ocyus & citius dissolui corpora prima.

Cum semel omnibus e membris ablata recessit.

In eandem sententiam iuerunt quoque Epicurei, & alii eorum similes.

(334) Seculo post Christum tertio nota fuit hæresis Arabicorum, qui animas post mortem mori vel & dormire dicebant, resuscitandas olim cum corporibus. Vid. programma Buddei de *Arabicorum hæresi in syntagm. dissert. academic.* p. 738. quem errorem reuocauit Covvardus, supra allegat, it. Bucherus, *der auctor des vertrauten Briefwechsels.* vid. D. Pfaff hist. eccles. vbi Arabicos citat. p. 170. sub not. (f)

(335) Magna exorta fuit controuersia, quid senserit Aristoteles de immortalitate animæ. Perrus Pomponatius in libro de *animæ immortalitate* negasse Aristotelem hanc veritatem scribit. Cui adstipulatur la Mothe le Vayer de l'immortalité de l'ame, vbi p. 139. ait: *le plus celebre de tous ses interpretes & tant autres apres lui comme deux saints Gregoires, Lescot, Cajetan, & Simon Portius ont avoué, que la mortalite de l'ame etoit du tout necessaire par la doctrine de ce philosophe p. 139.* Vid. auctor obseruat. Halens. Tom. VIII. obseru. 10. §. 16. Bayle in diction. Adde eos, quos Voetius T. I. selectar. disp. p. 198. citauit. Inter quos fuerunt Augustinus Niphus aliique. Vid. Pfanner systema theol. gentil. p. 402. Contrarium sentiunt, quos Walchius nominauit in le-xico philosophico p. 2316.

§. 196.

Cum singulæ immortalitatis notiones sin-gulis, iisdemque grauissimis erroribus opponan-tur: laude potius quam vituperio digni sunt, qui leam eius per partes seorsim enuclearunt. Erant

Conti-nuatio.

viri docti, qui immortalitatem animæ omnium optime ex scriptura erui putabant. (336) Quoniam vero empæctæ auctoritatem sacrarum litterarum non reuerentur: eo maior erit argumentorum pro hac veritate efficacia, quo sublimiorem verosimilitudinis, vel & demonstrationis gradum attingunt, (337) rectæ rationis ductu. Quid? quod scripturæ oracula non morituram quidem animam, peracta hac vita significant, (338) mortalem vero, id est, ex propria natura perennaturam non indicent. Itaque non est prorsus negligenda in hoc genere philosophiæ opera.

(336) Ita v. g. Charron de la sagesse L. I. chap. VII. edit Paris. 1604. *L'immortalité de l'ame la plus utilimement creüe, aucunement assez prouuée, mais proprement & mieux etablie par le ressort de la religion, que par tout autre moyen.* Pomponatius de immortalitate anima cap. ult. p. 126. *Hæc sola via inconcussa & stabilis est. cetera vero sunt fluctuantes.* Intelligit viam S. scripturæ. Scaliger aduersus Cardanum exercit. 307. c. 33 p. 990. idem sentit, quum dicit: *ceterum esse, alterum esse, ab hoc esse, adeo nescimus, ut quotidianis vel suspicionibus, vel persuasionibus, res etiamnum sit controuersa. sola fide agatur.* Vid. les Oeuvres de Patru dans la vie d'Ablancourt p. 355.

(337) Vtrum argumenta pro immortalitate animæ apodictica sint, an probabilia? disquisitum fuit. *Digbæus toto tractatu, Morneus de veritate relig. christiana.* Grotius de veritate rel. christ. conati sunt istud dogma probare ex instituto. Alii autem, inter quos Walchius in lexic. philos. p. 2304. fluctuant, non decedentes, quantum certi gradum argumenta illa assequantur?

(338) Hanc obseruationem lege apud ill. Bilfinger. dilucid. §. 358.

§. 197.

Argumenta pro immortalitate animæ con-
 uncta pondus habent, disiuncta ab aduersariis
 eleuantur. Copulabimus ea ergo maioris effica-
 ciæ caussa. *Primo animam ex sua natura immor-
 alem probabimus; tum id euincemus ex conside-
 ratione natura DEI.* Post obitum animam non
 corrumpi, nec vt flatum dissipari in auris, patet
 ex eius natura minime composita. Nihil potest
 sui conscientia tangi, nisi quod est simplex: ita-
 que, cum anima sui conscia sit, simplex, eoque
 interitus expers esse debet. Sic notio immortali-
 tatis prima adstruitur, destructo errore (339)
 contrario. Alterum multo difficilius est: an, si
 post mortem anima perseueret, non dormitura,
 sed sui conscia futura sit? Hoc distincte nemo
 euoluit, nisi recentiorum cohors. Affirmatur
 quæstio ob sequentia ratiocinia. (340) Cuius
 nulla excogitari potest ratio, id futurum non est:
 atqui, vt post obitum hominis, animæ conscientia
 sui cesset, nulla præsto est ratio. E. Cum enim
 in systemate harmoniæ (341) præstabilite ani-
 ma non obnoxia esse queat corporum actionibus,
 domesticum agendi omnia fontem nata; nihil
 adest, ex quo intelligitur, cur eius actiones,
 speciatim vero conscientia sui, extinguere debeat.
 Alterum ab analogia desumptum ratiocinium non
 vrgeo, *quamuis dicant, quod generatim res na-
 tura in vicissitudinibus suis extantioribus perfici-
 antur potius, quam destruantur, comprobante id
 generationis exemplo, quo altius sit euecta anima,
 non depressa profundius: non vrgeo, inquam,*

hæc, ne quis senum defectus, ægrotorum deliria, ad mortem usque non extirpanda, obiiciat Tertium huc spectat. Præsto est ratio, ut animus perseveret: status enim consequens pendet e statu antecedenti: atqui in statu antecedenti erat distinctarum idearum & conscientiæ fons vberri- mus; cur igitur protinus exaresceret? sic animus sui conscia post obitum existit, ut etiam eandem se agnitura sit, quæ antehac fuerit in vita mor- tali. Consequentes enim fluunt ex præcedenti- bus. Phantasiæ regula (342) poscit, ut, quo- ties idea offertur, quæ quid commune habet cum alia, olim in diuersa serie obseruata, totius præ- teriti status memoria animum subeat. Cum igi- tur in anima separata plures oriantur notiones e- antecedentibus consecutæ, quæ non possunt non aliquid cum illis habere commune; sentie- profecto anima, se eandem esse, quæ fuit ant- mortem. Hæc tertia fuit immortalitatis notio- nunc iam probata.

(339) Plerique enim veteres animam corpoream credi- derunt vna cum Diis. vid. Diog. Laert. L. I. num. 27
Cicero de natura Deorum L. III. p. m. 625.

(340) Adeatur præter Thümmigium ill. Bilfing. dilucid
§. 361.

(341) Ita sentit dn. Buddeus *in der bescheidenen Antwort auf Herrn Wolfens Anmerkung*. p. 91. *ein vernünftige. philosophus wird das systema harmoniæ præstabilitæ nicht so bald verwerfen, sondern siehet diese vorher bestimmt harmonie, wenn solche in einem unanstößigen Sinn ge- nommen wird, daß die Seele ihre Freyheit dabey nicht verlieret, ebenfalls als eine Sache, die seyn kann, an- und wenn er dieses systema gegen das systema influxus hält. so erwählt er dasienige vor dem andern, bey dem er die wenigste Schwürigkeiten angetroffen zu haben vermey- net.*

net. Eine andere Beschaffenheit hat es mit dem systemate, wie es Herr Wolf vorgetragen. Adde bescheidene Erweis, daß das Buddeische Bedenken &c. p. 193.

(342) Vid. de regula phantasiæ Wolfium, metaph. §. 238.

§. 198.

Non diffiteor tamen, huic argumento, a re-
 entioribus adlato, obuerti posse dubium multo
 peciosissimum. Quid enim de brutorum ani-
 mabus sentiendum est? num & illæ immortales
 sunt? Ratione præditas olim a pluribus habitas,
 (343) criticissimum est. Si nulla est in homine
 ut alibi ratio, quare post mortem eius ideæ ces-
 sent; nulla etiam erit, ut post interitum bruto-
 rum sensiones penitus extinguantur. Imo quem-
 dmodum diximus, statum antecedentem parere
 consequentem, superstitem igitur, post mor-
 tem, & sibi consciam, fore animam, quia an-
 te hæc fuerit: ita idem prorsus de animantibus
 brutis videtur sentiendum. Caue, isthanc animam
 materialem dicas. Si materia eo usque euehi
 potest, ut aliquid sentiat cum conscientia sui,
 idque fieri in brutis potest: cur non ulterius pos-
 set promoueri ad considerandas paulo distinctius
 ideæ sensuales, id est, ad impetrandum intelle-
 ctum? tum vero reuocabitur materialismus ma-
 nifestissime, a tot eruditis nunquam non explo-
 us. Aut igitur anima brutorum differt ab hu-
 mana, ut gradus a gradu, aut ut substantia ab
 alia substantia: sin illud dixeris, mortalis haud-
 quaquam erit, qua bruta reguntur anima. In-
 terior cognitionis gradus ea ratione perseuerare
 post mortem debet, (344) qua durare probatur

*Dubium
 aduersus
 argumen-
 tum.*

gradus sublimior. Sin affirmaueris autem hoc deficiet idoneum argumentum. licet enim brutorum animæ non nisi afficiantur eiusmodi ideis quæ per sensus offeruntur; tamen id argumentum non est, tantum esse hinc & illinc interuallum aliter & infantum animæ mirifice different a se ipsis, ætate prouectis, quoniam in prima infantiae ætate vix ea sentiunt, quæ bruta sentire possunt.

(343) Plutarchus *de solertia animalium* p. 961. Καλοσ τετραλων γε τς φυσικς λογς εσιν αποδεικνυουωσ εδ αισανεισαι το ωδραπαν ανευ τς νοειν υπαρχει
 Vid. Virgil. georg. L. IV. vers. 219. Clemens Alexandrinus Strom. L. V. p. 590. *Xenocrates*, inquit, *Cartthaginienfis non abiicit omnem spem, quin etiam in rationis expertibus sit Dei notitia.* Plinius elephantum plurimum tribuit L. VIII. cap. 1. Laur. Valla bruta rationi prædita etiam contendebat. apud Vossium de orig. & progress. idolo. L. III. c. 41. p. 940.

(344) Plura euolue apud *Pardies de la connoissance des bêtes num. 49. p. 100.* Certum est, quod Cartesianorum sententia, bruta pro machinis habentium, valde fauca argumentis pro immortalitate animæ hominis adlata Malebranch. in illustration. L. VI. p. m. 130. propterea negat bruta habere animas, id est, materiæ expertes *Sed cum sententia, que statuit bestias habere animam aut dolorem, ubi percutiuntur, sentire, præiudiciis sit conformis, quippe nullus est pater, qui id non credat, merito iudicare possumus Augustinum de his adcommodate ad sermonem vulgi esse loquutum. &c.* Argumentum defumitur ab eximia Dei iustitia, *per quam fieri non possit, ut dolorem perpetiatur, quod crimine vacuum est, eoquod bruta criminis expertia dolorem non persentiscant animabus destituta.* Vid. nouvelles de la republique de lettres Mars 1684. p. 26. 27. Addendum eo, quod caussentur, eos, qui brutis animas tribuant, occasionem præbere empæctis, aut denegandi animabus hominum immortalitatem, aut eam concedendi etiam brutis.

§. 199.

Animas brutorum machinas esse non posse *Responsio.*
 345) concedimus, nihiloque secius ad ea re-
 spondebimus, quæ in contrariam prolata sunt par-
 tem eius argumenti, quo immortalitatem animæ
 humanæ stabilivimus. Damnamus sententiam
 de materiali brutorum anima ob rationem §. 198.
 ritatam. Adoptamus alteram, qua materiæ ex-
 ters creditur. Nullo autem inde nexu concludi
 lebet, vel quod brutorum anima immortalis sit,
 vel quod humana mens non sit. Non interire
 ost mortem brutorum animas largior; immor-
 ales tamen esse nego. Simplex est brutorum
 nima, eoque ab interitu immunis, immortalis
 amen continuo non est. *Quid ita?* inquis.
 Quia nimirum immunitas ab interitu nondum
 integram immortalitatis ideam absoluit, sed in-
 ocat modo, ad quam quippe *tria concurrere ani-*
maduertimus. Hic est fons difficultatum
 omnium, quod non omnia tria hætenus sint
 onsiderata distincte: hinc figmentum scholasti-
 orum de anima brutorum vere sentiente, mate-
 iali tamen, ne scilicet a materia immunis, mor-
 alitatem supergrediatur. Atqui non sequitur:
uratur anima post mortem: ergo est immortalis.
 otuissent tuti ab hoc metu esse: hinc sententiæ
 ortentum de brutis mere machinis a Cartesio
 rofectum. Nam cum materiæ ad imitationem
 cholasticorum vim sentiendi in brutis tribuere
 ollet, idque ne capax ceterorum, quæ ad intel-
 gendum pertinent, videretur; cum discrimen
 nimi a corpore in vi cogitandi & sentiendi po-
 neret

neret materiæ non communicanda: eo deuenit, vt bruta meras machinas crederet: sed cur? Parum aduertit, dari tertium, posse animas esse, & materiæ expertes, nec tamen continuo immortales, intelligentes, aut ab anima rationali non distinctas: plus enim ad immortalitatem & intelligentiam requiritur, quam immunitas ab interitu, aut facultas sentiendi.

(345) Thomas Willis de anima brutorum P. I. c. 2. p. 9. animam brutorum ex mechanismo explicaturus, his inter alia verbis utitur: *ita quidem anima, tenuissima licet, corporea, corporis quasi spectrum, siue larua umbratilis videtur* &c.

§. 200.

At enim: *si anima bruti vere sentit, non solum post mortem perseuerabit, sed ex eadem causa quoque, qua mens hominis suas continuabiles ideas, post mortem quoque sentiet, imaginabitur, vel & forsan ultra prouehetur: quis paradisus? que sedes tum animantibus destinata erit: Consequentem enim statum ex priori pendere diximus, nullam rationem, quare filum idearum post mortem abrumpatur in homine, concedentes: ergo vel idem de brutis indicandum, vel ratiocinium isthoc exhibendum erit.* Sed salua res est: nondum impetras animæ brutorum immortalitatem: omittis tertium immortalitatis requisitum, a recentioribus distincte euolutum, eoque neglectu in priores difficultatum abyssos relaberis, queis demersi iacebant omnes prope modum philosophorum, ante hæc tempora, chori. Poscimus tertio, vt, qui immortalis euadat, *post obitum aduertat, se eundem esse, qui fuit*

Obiectio
ad resp.

Responsio.

fuit antea. Fac igitur, animas brutorum etiam
 post mortem quædam adhuc sentire, intellectu-
 as tamen probare non potes; atqui immortalitatis est, etiam post obitum intelligere. Quid
 quod dubium sit, *an se brutorum anima post in-*
eritum corporis pro iisdem sint agitura, quæ
uerunt antehac? Competit brutis facultas rati-
 oni analogâ, quæ in expectatione similium (346)
 casum ponitur: nam quoties duæ sensationes in
 is simul existerunt, redit altera, ubi prima fue-
 rit exorta denuo. At intellectus, id est, per-
 picientia nexus veritatum in bruta non cadit.
 Habent igitur *memoriam præteritorum, a sensu-*
us coortam, non ab intellectu, id est, non re-
 ordantur præteritorum, nisi afficiantur sensa-
 tione, quæ olim, non logice, sed physice sociata
 fuit cum ea, cuius reminiscuntur: ut si canis
 conspecto domini baculo in memoriam verberum
 redeat. Ex aduerso memoria ab ipsis aliena
 est, quæ ab intellectu proficiscitur. Neque
 enim possunt exorta præsentis sensatione logicum
 cuius nexum cum alia percepta detegere, & v. g.
 ex plagis nunc toleratis argumento legitimo in-
 terre turpitudinem criminum olim commissorum;
 quia nimirum nexus hic physicus non est,
 nec plagarum sensio cum perpetratis olim sceleribus
 coniuncta fuit. Cum igitur bruti anima
 hoc, quod iam regit, corpus post mortem de-
 donat; fieri non potest, ut posthac talibus sensa-
 tionibus afficiatur, quæ in memoriam reuocarent
 ante gesta: corpore enim destructo prorsus
 dissimiles oriuntur sensationes. At homo potest
 in

in priorum memoriam redire, qui quippe olim potis erit, eorum in hac vita reminisci, quæcumque cum experientia post mortem logico nexu cohærent: ex præfenti gaudio v. g. cogitabunt virtutem vitæ prioris, per legitimam consequentiam; si vel maxime nec virtus, nec cœlestis lætitia vnquam in hac vita, fensione simultanea perceptæ fuerint. Etiamfi enim fensiones hominis post mortem præfentibus sint diffimillimæ non sunt tamen adeo diuersæ, vt non logico saltem nexu cohæreant cum iis, queis nunc afficimur. Itaque dubium est, an anima bruti agnitura sit post mortem pro ea, quæ nunc existit: ergo & immortalis dici nequit.

(346) Vid. metaph. §. 870. seqq.

§. 201.

*Continuat
tur re-
sponso.*

Consequentia etiam illa hiatu laborat, quam aduersarii dictitabant: *etiamfi brutorum animæ non afficiantur nisi sensationibus, non esse tamen id argumento, quod inter hominis brutique animam tantum iaceat interuallum: nam & infantes primum plus non sentire quam bruta, nec tamen ab adultis, nisi gradu cognitionis differunt.* Premit hæc difficultas patronos doctrinæ de influxu animæ & corporis mutuo, non philosophiæ recentioris sententiam. Secundum systema influxus anima indifferens est, ad recipiendas corpore sensationes omnes, nec stamina futurarum idearum in eadem sepulta iacent, olim sponte euoluenda: fieri igitur potest, vt brutorum anima ideo maiorem cognitionis gradum non assequatur, quia corpus habet non satis ac-

comme

*De influ-
xu anime
& corpo-
ris.*

commodatum; cum contra infans valde idone-
 um corpus gestet sublimioribus posthac ideis im-
 primendis: at vero in systemate recentiorum
 determinatæ iam sunt in proprio animæ fundo fu-
 turarum sensationum evolutiones. Itaque anima
 tiam infantis longissime distat ab anima bruti:
 iamque illa rationem sufficientem omnium olim
 ormandarum notionum iam tum in tenella æta-
 te complectitur; anima bruti nil tale complecti-
 tur. Illa plura & sublimiora in se inuoluit, ad
 instar cepæ tuliparum; hæ autem viliora & in-
 igniora comprehendit more cepæ communis:
 et venia similitudini, ultra tertium non exten-
 endæ. Determinatio autem antecedanea non
 best libertati, quoniam nihil impedit, teste ex-
 perientia, quo minus vnus subinde liber adpeti-
 us pariat alterum, alter tertium, & sic porro, vt
 xemplo iam templum frequentantis, iam biblia
 uoluentis, iam meditantis &c. constat, quæ
 actio temporis elapso quodam spatio iterum tan-
 uam semen in terra occultum novos fructus
 protrudit, ita vt semper actio alia aliam, sed li-
 errimo motu, dirigat, determinet. Hoc igitur
 dubium palpabile discrimen præstat inter
 sum, quem doctrina influxus, & harmoniæ
 restabilitæ in probanda animæ immortalitate
 ræbet. Illinc anima est indifferens, determi-
 anda a corpore: non igitur exploratum est, an
 anima bruti corpore humano vestita foret, ali-
 er afficiente, quam suum afficit, annon, inquam,
 d instar infantis maiorem cognitionis gradum
 attingere posset. Hinc autem in dogmate harm.
 præstab.

præstab. id fieri nullo modo potest, quoniam hominis anima inde ab initio semina futurarum idearum habet in se recondita, qualia bruti anima non habet.

§. 202.

*Alterum
argumen-
tum pro
anime
immorta-
litate.*

Recentiorum igitur prima pro animæ immortalitate ratio inconcussa stat, non minuenda contrario brutorum exemplo. Altera ratio ad iustitiam Dei (347) prouocat. Præstructa animi humani post mortem in viuendo, vel in existendo generatim, perseuerantia ex rationibus naturalibus rectissime in subsidium vocantur rationes morales ad probandum, *quomodo* perseueratura sit mens hominis post mortem? *quo statu? qua conditione?* utar verbis viri cuiusdam docti. *Anima post mortem non solum durat in eo stat, qui naturaliter ea presenti sequitur, sed &, qui ex eo sequitur moraliter. Moralia actionum consequentia sunt premia & pœnæ: premia & pœnæ morales supponunt conscientiam sui & memoriam præteritorum* (348) *Igitur cum perseueret anima (ob indestructibilitatem) in æternum, perseuerabit ita, ut consequens status semper respondeat antecedenti, (non naturaliter solum, sed &) moraliter: suppositus igitur semel status moralitatis capaci, quem in hac vita experimur, numquam ille amplius cessabit. Creatura enim moralitatis capax numquam est sine lege: nunquam igitur sine merito vel demerito: nunquam igitur sine nouo argumento, per diuinam bonitatem aut iustitiam perseuerandi ob premia aut pœnas promeritas, in statu conscientie sui & memorie præteritorum.*

(347) Hoc argumento vitur Leibnitius in epist. de principiis Pufendorfianis p. 10. Plutarchus in tractat. de sacra Numinis vindicta: vtuntur eo & alii innumeri.

(348) Verba sunt ill. Bilfingeri dilucidat. §. 362. confer inprimis Leibnit. theod. §. 89.

§. 203.

Obstant huic argumento quædam dubia, *Soluuntur*
 endae medio. Si, inquit, *iustitia DEI con-* *dubia.*

ulenda: cur non ex eadem resurrectionem corporis probamus, quæ omnium consensu ad solam revelationem pertinet, nam & corpori reddendum est secundum opera? Annotarunt recentiores, se tolle, vt ipsa animæ perennitas ex iustitia DEI probetur, sed status & conditio perennandi. (349) Adde, si placet, hoc. In omni pœna exsequenda, præmioque distribuendo, maxime respicitur mens & animus, non vero corporis motus. Si quem a tergo stantem imprudens securi percussisset, occidisti hominem motu corporis, pœnas amen non fers. Itaque corpus per se imputationis non capax, nisi quatenus per corporis nembra ipsam animam affligere constitutum est. Atqui destructo corpore, nil attinet propter pœnam id vel resuscitare vel conseruare, ob allegatas causas. Regerunt, *posse animam interire post mortem, & tum demum restitui, quum reuonabitur corpus, salua manente iustitia DEI.* Non potest id fieri; anima quippe est interitui non obnoxia, quod ex prioribus intelligitur. *Instant, ex iustitia non sequi animæ post mortem perseuerantiam aternam, sufficere ad præmia & pœnas immittendas longum tempus.* Creata res,

fuit, erit & in altera : status enim ex statu sequitur. Erit intellectu prædita & voluntate *semper*; alias res simplex periret : ergo & *semper* capax legis, eoque meriti & demeriti, præmii & pœnæ, idque *semper*. Nunquam conuenit creaturæ rationali, vt uiuat exlex (350). *Non omnium crimina heic impunita manent, ne omnium bene facta semper vacant præmio : ergo non obstante iustitia anima post mortem deleri potest, saltim anima nonnullorum.* Plenissima & accuratissima compensatio existit nunquam. Nemo hominum existit vnquam, cuius non vecogitationes prauæ quædam impunitæ mansissent vel consilia & destinationes bonæ præmio caruissent. Adde, quod anima post mortem voluntate & intellectu prædita duret, eoque legis capax, & inde nouorum meritorum aut demeritorum mater euadat.

(349) Vid. ill. Bilfinger. dilucid. §. 362.

(350) Vid. Pufendorf de O. H. & C. Cap. 2. §. 1.

§. 204.

Conclusio.

Ita tandem intelligimus, quid ceterorum laudatissimis circa hanc doctrinam meditati recetiores addiderint. Tria nimirum in immortalitate probe distinguendo, effecerunt, vt euaderemus ternos circum scopulos. Cum animarum demum immortalitatis titulo honorandar dicerent, quum non solum post mortem perseueraret, sed & in statu distinctarum permanere idearum; armarunt nos contra scholasticorum errorem, qui immortalitatem in sola post mortem perennitate collocantes, animam brutorum, n

ipforu

osorum sensu immortalis euaderet, materialem & post mortem interituram docebant. Quanquam sic derogabant animæ naturæ spirituali ex altera parte. Nam si brutorum mens materialis sentire potest, imaginari, &c. facilis videtur ad cetera adscensus, quo ipso materialismus statuminatur. Eadem opera, distinctis scilicet tribus in immortalitate momentis, obstiterunt recentiores, ne opus sit, bruta machinas fingere meras; ea enim res vim agendi a brutis tollit, & a Spinozismo haud procul abest, vt supra paucis indicatum fuit. Tandem nulla nobis necessitas imponitur, quod nonnulli tertio loco fecerunt, animas brutorum ratione & immortalitate ornatas dicendi: namque inter sensum & immunitatem ab interitu, ex vna parte, nec non inter vim intelligendi & immortalitatem ex altera, magnum *χασμα* interiectum est.

CAPVT V.

OPPORTVNITATEM PHILOSOPHIÆ RECENTIORIS IN ARTICVLO DE PECCATO ORIGINALI SISTENS.

§. 205.

PEccati, quod omnibus hominibus connatum est, originem & naturam philosophi (351) *Accessus ad materiam de mali natura.* iuxta cum ignarissimis ignorant. Cum autem veritas veritati semper consentiat: nihil impedit, quo minus in philosophia nunc generales notiones exhibeantur, quæ ad fidei capita adplicari

nequeant, nunc vero etiam aliæ præstruantur quæ exponendis sacrorum articulis peraccommodatæ sint. Illa methodus corruptam, hæc autem genuinam arguit philosophiam. Mali naturam cum acutissimis ex omnium temporum philosophis recentiores priuatione sola (352) contineri dicunt. Est illa notio eiusmodi, v. complures errores caueat, (353) intricatissimis que quæstionibus euoluendis inseruiat: non videtur itaque hoc loco prætermittenda.

(351) Adeo quidem, vt ne mali quidem generatim considerati originem cognouerint. Cicero de nat. Deor. L. III. p. 709. *At subuenire certe potuit Deus & conseruare vrbes tantas & tales - - Materia vniuersa reëctricem & moderatricem dicitis esse prouidentiam diuinam: itaque aut nescit, quid possit, aut negligit res humanas, aut quid sit optimum, non potest iudicare.* Si perspectam habuisset Tullius generis humani deprauationem originariam pariter, ac vltro contractam, auctamque, plagas insignes & strages commeritam, non erupisset in hæc verba. Hinc nonnulli originem mali ad Deum retulerunt, id est, ad Iouem, quod Plutarchus Stoicis exprobrat *aduersus Stoicos* p. 1075. in *morales* de Plutarquo d'Amior. pag. 707. alii ad casum, vt Epicurus ad Laëtant. de ira Dei c. 13. p. 548. *aut Deus non vult, aut non potest, tollere mala, aut vult & potest.* *Si primum est inuidus: si secundum, est imbecillus: si tertium, cur mala fiunt?* Loquor autem de philosophis gentium namque, quin christiani originem mali & generatim, & speciatim inter homines existentis, ortum inquisierint & detexerint, dubium nullum est. *Illum ortum extratione, hunc ex reuelatione.* Cetera mirum non est; gentes peccatum originale ignorasse, cum quoque nesciuerint, quod nosse potuissent, id est, ortum mali in genere. Senserunt mala infinita, criminum horrendam multitudinem, ortum vero eorum non animaduertunt. Vid. Tob. Pfanner. *system. theol. gentil. purior.* c. 9. §. 7. pag. 259. vbi gentium de peccatis querelæ recenset. Vid. *libr. symbolic.* p. 639. *Præterea quid &*
quantum

quantum sit hoc ingens hereditarium malum, id nulla humana ratio indagare aut agnoscere potest; id quod in apologia his capitibus comprehenditur. Vid. quid Augustin. L. IV. contra Iulian. c. 12. T. X. oper. p. 404. de Cicerone sentiat.

(352) Ita Leibnitiuss theod. §. 20. *Formale, inquit, peccati ponitur in priuatione, in eo, quod causa efficiens non agit, id est, quod agendum prætermittit. Sententia est philosophorum communis. vid. Slenogt in dissert. acad. dissert. 31. p. 785. Scherzer system. th. loc. VII. §. 6. p. 145. Non male Dionysius Areopagita libr. de diuin. nominibus: malum, inquit, carere tum essentia, tum sine, tum efficiente. Augustinus L. XII. de ciu. DEI c. 7. monet, mali causam non tam efficientem, quam deficientem querendam esse, quod Thomas L. III. contra gentes cap. 10. ita effert: causa per se defectus non est aliquid posituum, sed alius defectus: qualis enim causa per se, talis & effectus.*

(353) *Si malum non est rei defectus, sed res, non priuatio, sed aliquid, quod in rerum natura ponitur: aut erit a DEO, aut non. Si prius; DEVS erit causa mali: (peccati) si posterius; existet res a DEO non pendens. Vid. ill. Bilhng. de orig. mali. §. 244. Patet ex definitione mali, non posse existere principium mali supremum, id est, Deum quendam peruersum &c. qualem finxerunt Manichæi. Quid enim quæso esset defectus summus? nihil in rerum natura ponens. Quod enim est aliquid, id malum non dicendum. An dari potest infinita priuatio? id est, infinitum nihil? quod sit, utpote principium, & non sit, utpote malum & defectus? Absurde! Inferuit definitio extricandæ quæstioni, de origine mali.*

§. 206.

Difficultas tamen non exigua huic definitioni obesse videtur. Peccatum originale describitur a sacris auctoribus ut efficacissimum, ut ugnans, supplantans, captiuans, Rom. VII. alibi, quæ actiones ex solo priuationum defectuumque fonte promanare non videntur. Quo accedit

Difficultas.

dit librorum symbolicorum (354) sententia qua diserte non in sola priuatione hoc peccatum collocatur. Concupiscendi enim ea, quæ leg improbantur, vehementes nisus, totum, quantum quantus est, hominem occupantes, non continentur ex confessorum mente nuda primitiua iustitiæ absentia, sed habitu maligno, quo in omnia crimina feruntur miseri mortales. Quocirca nemo negauerit, nisi qui cum pontificiis peccatum originalis alteram, vt ita loquar, partem, scilicet concupiscendi vim, culpa vacuum, aut omnino hoc peccatum cum hæreticis (355) figmentum esse calumniatur.

(354) Libr. symbol. de peccato orig. hæc verba sunt *peccatum originis habet priuationem originalis iustitiæ & cum hoc inordinatam dispositionem partium animæ unde non est priuatio, sed quidam habitus corruptus - Hæc consentiunt cum scripturis: nam Paulus interdum expresse nominat defectum vt, I. Cor. II. Animalis homo non percipit &c. alibi concupiscentiam nominat efficacem in membris &c. p. 55.*

(355) Famosissima est hæresis Pelagianorum, qui peccatum negarunt originis. Vid. confessio Mopsuestini in symbol. Pelag. apud Garnerium *in dissertat. de libellis fidei scriptis ab auctoribus & præcipuis defensoribus hæreseos Pelagianæ dissertat. V. extat T. XII. operum Augustini p. 189.* Mopsuestinus enim inter prodromos Pelagii numeratur. Vid. Garnerius l. c. diss. I. cap. II. p. 62 Vossii & Norisii historię Pelag. notissimæ sunt.

§. 207.

Gradus priuat. quomodo concupiscentia mala?

Vt itaque philosophiæ circa hanc definitionem cum theologia non consensum modo, sed & usum exponamus, mentio discriminis, quo priuationes discernuntur, iniicienda est. Quod primo in genere rerum defectus rei est, id in genere

morum

norum (356) non nudam absentiam, sed ve-
ram *entis moralis* (357) præsentiam arguere po-
est. Hoc sensu non est adscribendum priuatio-
nibus peccatum originale. *In genere morum, esse*
aliquid, significat schesin exhibere rei, actionis,
personæ cum legibus. Nullum dubium est, quin
habitus a corrupta natura nobis inditi leges DEI
respiciant, ingenti reatu contracto (358). At
alia ratio est considerandi peccatum in genere re-
rum, in quo si peccatum est, *non res, sed rei*
defectus est. In viribus prava concupiscendi,
quas libri symbb. peccato originis complectun-
tur, tanquam habitum, non tanquam nudam
iustitiæ primæ absentiam consideratas, possunt
adlendi duo, *vel vires ipsæ, vel earum* in denega-
ta per legem *directio.* Ipsæ vires sunt res; dire-
ctio autem eius rei, est limitatio. Vires concu-
piscendi continentur animæ substantia, quæ con-
dita fuit a DEO, sed perpetua virium concupi-
scendi in malum directio culpam habet. Cur au-
tem habet? non quia vis concupiscendi est, in-
dita quippe a DEO, sed quia vis concupiscendi
est alio flexa, quam quo deberet, alio detorta,
quam quo oporteret esse intentam. Atqui hoc
ipsum limes, & absentia melioris directionis est,
non res, non vis ipsa. Habes hic explicationem
distinctionis inter peccati *formam & materiam.*
Hactenus dixi communia, omnium forsan calculo
adprobanda.

(356) Vid. ill. Bilsingeri dilucid. §.478. seqq. in nota sub-
iunct.

(357) Entia moralia a Pufend. op. mai. de I. N. & G. ita
definiuntur: *sunt modi quidam, rebus aut motibus physicis*

superadditi ab entibus intelligentibus, ad dirigendam potissimum & temperandam libertatem actuum hominis voluntariorum, & ordinem aliquem ac decorem vitæ humane conciliandum. L.I. cap. 1. de varietate entium moral. p. 3. Neruosius puto h. m. definienda: rerum ad leges respectus, & vicissim, sunt entia moralia. Quicquid hac proluxa definitione inculcatur, cogitur hic in arctum.

(358) Errant enim pontificii, concupiscentiam a peccato eximentes, refutati ab innumeris nostratibus v. g. Io. Gerhard. de peccat. act. cap. 10. p. 166. nec errare non possunt ex huius philosophiæ thesibus. *Appetitus enim sensitivus oritur ex minus distincta rerum corporearum representatione. vid. metaph. Wolf. §. 434. ex innumeris notionibus minoribus composita: est igitur nihil aliud, quam ipsa voluntas, quatenus limitata minus bonum anteponit maiori: atqui id nunquam crimine vacat. Vid. Buddeum in theol. dogmat. p. 494. sub nota * idem sentientem. Verum est, sæpe vitio carere hunc appetitum, ubi meliora non postponuntur. Sic cibi & potus desiderium crimine vacat; at quoties his ita indulgetur, ut negligatur, quod vnice necessarium est? Non poterit igitur concupiscentia omnino liberari a culpa, si vel maxime verbum DEI taceret. At enim non semper accedit consensus voluntatis: iniquiunt pontificii. Quod maiori bono derogat mentis desiderium, in vitio ponitur, siue consentiat voluntas, siue dissentiat; aliter ex mala consuetudine perpetrata sine deliberatione excusanda forent.*

§. 208.

Dubium.

Sed an ipsorum defectuum alter non est in absentia boni, alter autem in pugna mali præsentis collocatus? Annon ipsa concupiscendi res pravas vis plus arguit, quam merus iustitiæ primitivæ defectus? Ita est, sane! *Cur ergo dicis, peccatum omne contineri in rerum defectu? Quia id cum ratione coniunctum est. Generatim ita habe: ex recentiorum philosophia imperfectio-*

es tum *privatiue*, tum *contrarie* dictas, referri ad classes defectuum in rebus, non rerum ipsarum. *Constat*, utor verbis viri docti, *unum contrarium equipollere duobus defectibus*. Nimirum *ubi contrarium perfectionis adest, ibi primo best perfectio: habes defectum primum*. Deinde *ubi contrarium est: ibi reducendo contrarium ad medium negationis (359) impendenda est una perfectio: habes igitur secundum*. Dicam ego *larius: imperfectio contrarie dicta est duplicata privatio*; privatiue accepta, est una. Detegitur in peccato originali primo simplicem iustitiæ primitivæ absentiam; tum perspicere licet concupiscendi mala vim, quæ duobus defectibus equipollet: ubi est vis mala desiderandi, ibi primo locum habet absentia desiderii, in bonum tenentis, secundo etiam præsto est desiderium malitiae, que primo caremus amore DEI, uti bruta animantia ceteræque res inanimæ; hic est defectus vnus: secundo accedit odium, seu directio irium in contrariam partem; hic est defectus secundus, priorem supponens. Ponamus, vires concupiscendi id, quod probatur DEO, esse neutras, uti sunt in brutis animantibus; emerget prima absentia, quæ DEI amorem submouet. Hac porro, vires istas non solum neutras, sed & contrariæ parti addictas, iterum duplicato errore longius a primo scopo, qui ad amorem DEI pertinet, aberrasti. Quid igitur est concupiscentia prava, quam duorum defectuum concursus? Absit, ut quisquam in vi quadam *positiva* eam conueniat: similis ratio est oppositorum *contrarie*

omnium, quæ ab oppositis *privatiue* adpellatis non aliter differunt, nisi tanquam numerus binarius a monade.

(359) Verba sunt ill. Bilfingeri in l. de orig. mali §. 117.

§. 209.

*Gradus
privatio-
num.*

Perस्पicuitatis maioris ratio poscit, vt privationum gradus designem, alium alio profundiorum deteriorumque, vt, quid de concupiscentia peccati originalis habendum sit, distinctissime peruideatur. Privationum gradus numero quinque. *Prima* defectuum classis significat absentiam perfectionis a re minus capaci. Sic solida litterarum cognitio abest a brutis, quæ tamen earum capacia non sunt. *Secunda* classis complectitur perfectionum defectus in re capaci quidem, quæ tamen iis ornari non debebat. Sic eruditionis præstantioris concinnitas a mercatore, opifice &c. abest, qua tamen vt excellat, nullo adstringitur debito. *Tertia* classis exhibet perfectionum a rebus absentiam, quibus excellere & poterant & debebant, hoc tamen euentu, vt absentia isthæc ceteris, quæ in re iam præsto sunt, perfectionibus nihil deroget. Ignorantia sæpe viciat hominem, qui litteris præclare instructus & esse posset & deberet, eo euentu, vt ceteris opportunitatibus nihil decedat, id est, vt lautissimis tamen admoueat muneribus. Has classes imperfectiones *privatiue* dictas includere arbitror. Sequitur nunc *quarta*, in imperfectionum, *contrarie* dictarum, ordine primum locum occupans. Fieri enim solet, vt per-

perfectiones a re absint, quibus ornari potuisset & debuisset, quarumque absentia plurimum detrahit ornamentis ceteris, quæ rem digniorem præstitissent. Turpis ignorantia animi dotium defectus, in eo homine, qui litterarum studia proficitur, sæpe detrahit lautioris fortunæ spei, qua frui alias licuisset. Ecce duorum defectuum, vel & plurium, infelices concursus! Quodsi quinto his omnibus accedat tantorum defectuum sensus, id est, dolor, ægritudo animi, corporisque vel diuturna, vel brevis, vel grauis, vel tolerabilior &c. *quinta classis* defectuum constituitur, quæ omnium est funestissima.

§. 210.

Peccatum originale duabus partibus absoluitur, (360) absentia imaginis primæuæ, tum *Applicatio.* prauis, queis stimulamur, adpetitibus. Absentiam imaginis primæuæ consideratam in se, si cogitando tristes concupiscendi mala effectus separaueris, refero ad classem tertiam. Vim autem adpetendi praua, adscribo quartæ, pœnasque huic dictatas, imminentesque quinta classe collocandas puto. Aut, si maui, perpende peccatum originis summatim, erit tum pro defectu habendum in quarta & quinta classe. Est enim inopia imaginis primæuæ, qua fulgere homo poterat & debebat; sed plurimum etiam derogat ceteris animæ facultatibus: præstat enim ea absentia non solum, ut nude deficiat summum animi decus, sed ut naturales quoque mentis facultates, quæ in intelligendo & adpetendo versantur, prorsus corrumpantur, id est, ut intellectus

lectus non solum ignorantia laboret, sed erroribus etiam pernicissime inhæreat, ut voluntas non solum circa DEI amorem aut odium neutra sit, sed ut grauissime DEO oblectetur. Itaque concupiscendi vis quatenus mala est, nihil in rerum natura ponit, sed duorum pluriumue defectuum concursus præstat. Si quis vestibus latrone, hyberno tempore, in eremo spoliatus frigore pereat nudus, duplex priuatio concurrit quarum altera alteram parit: *vestium defectus & vitæ extinctio*. Similis ratio est virium prauæ concupiscendi, sublata DEI imagine introductarum. *Sapere quæ carni blandiuntur Rom. VIII. 8. ipsa morte deterius est*: iniqua autem hæc sapientia, cum retractato imaginis primæuæ ornamento exorta sit, morti similis est, quam vestimenti spoliū intulit. Aut ita explicari debet, quod de concupiscentia theologi docent, aut plane nihil sani pro eo interpretando potest afferri.

(360) Vid. Ioannes Gerhard. loc. theol. de peccato origin. p. 137. Cap. 5. num. 70. *Peccatum originale est priuatio iustitiæ originalis. num. 72. nec vero per lapsum natura humana solummodo spoliata est, sed & misere corrupta, quæ corruptio successit in locum imaginis diuinæ &c.*

§. 211.

Qui mali naturam in perfectionis absentia quæsiuimus, longe absumus a theologi cuiusdam Rostochiensis sententia, qui duos omnium fontes, vna æternos, *DEVM* rerum bonarum, *NILHIL* rerum malarum esse contendit. (361) Intel-
ligit enim hic auctor nihilum *negatiuum*, quod non est limitatio rerum, vti *nihilum priuatiuum*,

*Damnat-
tur erro-
nea sen-
tentia.*

num, sed rerum potius negatio omnimoda. Quomodo hæc æterna esse potest? Non entis sunt nullæ proprietates. Non possum, quin has metaphysicas notiones interspergam. Erraret igitur, qui nobis hanc sententiam tribueret, a qua sumus longe alienissimi.

(361) Sententia fuit Eilhardi Lubini, theologi Rostochiensis, de prima causa & natura mali. Docebat quippe peculiari scripto, hypermetaphysica dicto: nihil negatiuum ante creationem, esse principium malum, bono synchronon; peccatum vero dici tendentiam ad illud nihilum: idque necessarium fuisse, ut natura boni posset cognosci. Et quæ philosophus de materia prima habet, nihilo isti negatiuo adcommodat. Vid. Carol. memorab. seculi XVII. p. 110. Gravverus in centur. 1. illustrium disput. 9. quæst. 3. p. 235. vsque 246. auctorem refutat his verbis: inueniuntur, qui docere non ventur, malum esse a NIHILO negatiue sic dicto, & duo fuisse ante omnia, tanquam initia contraria, nempe ens & nihil. Hinc nonnemo scribit (Lubinus), si quis ex me querat: quis malum fecit? vere respondebo, malum NIHIL fecit. Si quis querat, quid malum sit? recte respondebo, malum NIHIL est &c. respondit Gravvero Lubinus in apologico, quo Alberti Graveri calumniis occurratur anno 1600. quo factò se Gravverus defendit edito Magdeburgi 1606. anti Lubino, siue elencho paradoxorum Lubini & emblematum Calvinisticorum &c. Cumque eo nonnisi responsio contineretur ad phosphorum Lubini, addit etiam ad tuendam suam personam adpendicis loco respons. ad elumbem Lubini apologeticum. Contra emittit Lubinus tractationem theologicam de causa peccati, ad theologos Augustana confessionis. Vid. Baillet. au 1. tom. des Ant. p. 397.

§. 212.

Originis peccatum substantiam non esse, contra Illyrium Flacium vnanimi theologorum consensu decretum est. (362) Peccatum igitur hoc pro accidenti habendum. Quid autem est accidens,

Peccatum
originis
est prima-
tio.

dens, nisi limitatio substantiæ finitæ? infinit enim accidentibus (363) caret: non igitur malum est res, sed rei priuatio, nisi forte fuerit vt Flacii sententiam reuocare, & summa imi miscere velis. Si ipsam vim concupiscendi malam dixeris, non eius directionem in sinistran partem; quæro, *quid per vim intelligas?* Nun actionum fontem, quo sensu recentiores vocen accipiunt, a natura hominis distinctum? tum au erit accidens, aut substantia. Si substantiam dixe ris, incidisti in Flacii errorem reprobatum: si ac cidens adpellaueris fontem illum, *fonti fons inha rebit*: quod est absurdum. Nam anima est fon actionum siue bonarum siue malarum: constitu to igitur operationum malarum peculiari fonte discerpetur anima in principia duo. Fons, prin cipium est primum, quod alteri non inhæret aliter esset riuus, vt ita loquar. Sin autem cor cupiscendi vim, quatenus mala est, in deui tione ad obiecta praua colloces, facis nobiscun suscepto ad nostra castra transitu, qui quippe i virium sinistra directione, id est, limitatio malum omne quærimus.

(362) Vid. Budd. theol. dogm. p. 785. *Illyrius Flaci cum Victor. Strigelio* de viribus liberi arbitrii disputat coram duce Sax. Vinariensi. vid. Micræl. syntagm. h stor. eccles. p. 827. eo deuenit, vt *peccatum diceret su stantiam*. Lege Spondan. ad ann. 1560. num. 32. Ad disputationis multis sessionibus continuatæ prodieru cum præfat. Musæi. Vid. Micræl. cit. loc. p. 827. 828.

(363) *Deum accidentibus vestitum*, inepta Conr. Vorl sententia est in *disput. decem de natura & attributis D diuerso tempore Steinfurt. publice hab.* nec alienus plai videtur Episcopus ob decretorum in DEO contingetiam. Nostri instituti non est, hæc persequi.

§. 213.

Liberum lectori relinquo iudicium, num in explicanda peccati originalis propagatione Leibnizii sententia opportunitatem habeat (364) de *animalium praeformatione*, ab Adamo usque ad hominis generationem per gradus lineæ descendentis ordine delatorum? Ita enim intelligitur, quomodo in protoplasto potuerit corrumpi, quod iam secundum prima stamina existit: ita traducem non statuendo suspicionem diuiduæ animæ, perinde ac si quid decerperetur, euitamus: ita creationem animæ reprobando, in Deum culpam peccati cum anima admissi non transferimus: ita omnium optime explicatur, quomodo nondum nati in parentum lumbis esse, & ab vno morali capite repræsentari queant Hebr. VII. 10. sicut v. g. mater in vtero iam *formatum infan-*tem in foro, vtpote iam certo futurum, repræsentare potest: cum contra eorum syndici non constituantur, quorum natiuitas incerta, & *existentia* nondum prorsus vlla putatur. Si vero anima per traducem propagatur, eo demum tempore, vbi homo gignitur, cur in lumbis parentum esse dicitur? *At enim tam difficilis res scrutanda non est: cur in tenebris querimus lucem?* Quæ verba quæso! Non scrutamur iusto curiosus, sed conciliamus scripturas, ne opiniones queantur cum S. codice implacabiles. Quid hoc criminis est? Cur me lucifugam malle, quam tenebrarum osorem? *Scilicet quod tunc non adrobas, nec excogitabas*, id loco tenebrarum habendum est. Quæ contra sententiam de animalium

*De præ-
formatio-
ne.*

lium

lium præformatione proposita dubia, isthæc medio dudum sustulit vir eruditus. (365)

(364) Sententiam de præformatione dilucide proponit Leibnitijs theod. §. 90. 91. Existisse suo modo animarum ante natiuitatem suspicatas sunt gentes ita, ut suspicionem extenderent nimis, & cum Pythagora transmigrations, nec non admittenda ante peccata crederent. Inuehitur in Ciceronem *Lactantius diuin. institut. L. II. c. 18. p. 197. Quid, inquit, Ciceroni faciemus? quicquid in principio consolationis sue dixisset luendorum scelerum causa nasci homines, iteravit id ipsum postea quasi obiurgans eum, qui vitam pœnam non esse putet.*

(365) Vid. ill. Bilfinger. dilucid. §. 114. Adde Georg. Meyer. in pneumat. p. 538. 539. Aut semen animatum est, aut non est. Illud arguit præformationem; hoc aut creationem animæ, semini postea concepto inderdæ, aut decerptionem ex anima parentis. Caue alleges luminis de lumine factam accensionem. Luminis enim partes diuidi, nemo temere dubitat. Exstat integer tractatus Goclenii prof. Marpurg. *de ortu animæ* ubi variorum super hac doctrina dissertationes collegit Vultei, Fr. Iunii, Io. Iac. Coleri, Caspar. Peuceri & Sanior hæc est docendi methodus, quam Poiretiana, quæ animam a DEO emanasse contendit. *Oec. diuin. L. c. 10. §. 2. p. 134.* Differt hæc de animalis præformatione sententia a Platoniorum opinione, præexistentiæ animarum tuente, de qua vid. Henric. Mor. in operibus philos. T. II. p. 365. Hæc pauca adde iis, quæ Walchius in lexic. philos. p. 2333. de ortu animæ historicè tradidit. Augustini tractat. sub ann. 419. 420. emissus de anima eiusque origine nemini est ignotus. Euolu. Burkard. Gotthelf. Struu. in biblioth. philosoph. c. 5. p. 79. §. 10. seqq.

§. 214.

De actionibus gentium.

Num gentium, a nostris sacris alienarum actiones, virtutesque splendida fuerint peccata semper in ecclesia disceptatum est, affirmantibus quæstionem his, negantibus illis. (366) Arbitror autem: (quanquam meum non sit arbitrar

ed modeste indicare sententiam) Puto igitur, si mali a nobis exhibita notio distincte animo obseruetur, non difficile futurum iudicium. (367) Peccatum positum est in absentia perfectionis: perfectio arguit in varietate consensum: dissensum igitur parit legis violatio. Nunc dispiciendum est, cum quamquam norma actio culpam declinata consentire debeat? In promptu est responsio, normam illius perfectionis seu consensus nullam esse nisi legem. Legem eandem dico vel naturalem, vel diuinam, prout vel ipso naturæ ferum ordine vel DEI adprobatione continetur. (368) Veneror porro legem reuelatam: suspicio denique vim & efficaciam Spiritus S. in ordinibus operantis fidelium, quæ sensu metaph. appellatur lex Rom. VIII. 2. His præmissis dico, quid mihi videatur.

(366) Libri symbolici quæstionem affirm. p. 700. *Est opera, quæ ad conseruandam externam disciplinam faciunt, qualia etiam ab infidelibus fiunt, & requiruntur, suam coram mundo dignitatem & laudem habent, & temporalibus quibusdam præmiis in hoc mundo a Deo ornantur: attamen cum non ex vera fide proficiantur, reuera coram DEO sunt peccata, hoc est, peccatis contaminata, & a DEO pro peccatis & immunditia reputantur, propter naturæ humanæ corruptionem, & quia persona cum DEO non est reconciliata.* Quæ patrum de doctrina & vita ethnicorum sententia fuerit? opere amplo & erudito Baltus ostendit, nuperus scriptor, Iesuitarum societati adnumeratus. Opus inscribitur: *Fugemens des saints peres sur la morale de la philosophie payenne, anno 1719.* Argentor. vbi operose probare annititur, non omnes actiones philosophorum gentilium esse peccata. Wolfii de hac quæst. iudicium legitur in orac. de Sinarum philosophia practic. notis illustrat. p. 95. not. 182. Leibniti Augustini, *virtutes gentium splendida*

didapeccata vocantis, non omni ratione adprobat effatum. Locus iam non succurrit.

(367) Pertinet huc Mart. Lutheri iudicium, quod virtutes gentium peccata sint, a Balto L. I. C. I. p. 6. acriter exagitarum. add. & eiusd. Balti alium loc. L. III. c. 6. p. 423. vbi idem agit. Nisi cum grano salis hoc effatum accipiatur, pontificiorum ludibrio exponimur. Dicunt, *perinde esse, si boni quid facias, siue mali, quia omnes virtutes nondum emendati sint peccata: regerent, omnia sic peccata equalia fore.* Noui, quid respondeant nostrates, sed sine positionibus, nunc iam in textu enarrandis eorum responsio locum habet nullum: hinc ipsi libri symbol. obseruant, *actiones gentium bonas peccata aut peccatis contaminatas esse.* Relinquunt igitur boni quiddam, licet contaminatum, nec mera peccata ethnicorum virtutes esse credunt.

(368) Acriter super hac re disputatum est, in scriptis eristicis inter celeberr. viros dn. Buddeum & Wolfium vltro citroque reciprocatis, cum alter legem diuinam: naturali distingueret. Sed salua res est. Cogitatione duntaxat separatur lex naturalis a diuina, non re ipsa. Quatenus impulsu me ipsum aliosque conseruandi, totius immo vniuersi perfectionem criminibus non deturbandi, sed virtute ornandi, honestatem sequor, leguducor *mere naturali*: hæc enim motiua ex ordine desumuntur naturæ. Contra si propterea in bonum feror, quoniam DEVS hæc motiua adprobat, iubet, & suis perfectionibus immensum pondus addit recta agendi, legis *oritur diuinæ* efficacia. Est igitur naturalis diuina distincta, sicut vnus rei respectus ab altero eadem honestas *ex duplici motiuo* amari potest, *vel alterutro tantum.* Nihil mali his inest.

§. 215.

Gentium actiones non sunt mere peccata.

Docuisse, & ita vixisse quosdam ex gentibus prudentiores, vt existimarent, *non sufficere externi actus cum lege conuenientiam, sed requiri etiam conformitatem destinationis internæ, intentionis, iudicii & adpetitus,* (369) manifestum est. Decorauit igitur eorum actiones saltim quidam

nam cum lege consensus. Consensus cum lege bonitas est moralis: itaque non est prorsus talis iudicanda gentium virtutibus. Nisi forte fuerit, ut meros hypocritas iudices, & ne vni quidem sinceram mentis destinationem, hoc aut illud honestum sequendi, adscribas. Quæ dura foret sententia. In quantum præsto fuit cum lege consensus, in tantum vera virtus. *At enim, cur DEO improbantur actiones gentium etiam audatissima?* Non quia cum quadam norma inferiori (de qua §. 214.) consentiebant, sed quoniam dissentiebant ceteris, nec accommodatæ fuerunt legi reuelatæ, nec profectæ a lege, id est, impulsu spiritus. Laudatur ex parte consensus, culpatur dissensus *in toto*. Honestatem in mare cum gentibus, quia est honestas, præclare actum; at non ob amorem Christi Seruatoris, non ob ductum diu. Spiritus, hiatus arguit & horrendum dissensum. Non igitur gentium virtutes prorsus damnandæ; damnandi sunt defectus. Non damnamus incessum claudi, quia incessus, sed quia impeditus est: non adpellamus meram quietem. Dices: *at gentes mortuis in bono sequendo similes; sunt sane, si bonum metiaris ex pleno cum normis omnibus consensu; non sunt, si id æstimes ex consensu cum norma inferiori.* Annon hunc consensum aliquando suis viribus præstant? *sunt mortuis similes, si bonum iudicaueris ex consensu actionum cum lege naturali perpetuo, omnibus absoluto gradibus; non sunt vero tales, si tantus in æstimando consensu rigor non adhibeatur.* Habes igitur in gentilium

virtutibus dissentum, eundemque duplicem, qui & a supremis gradibus, & a sublimiori norma recedit: non tollitur tamen omnis consensus cum lege, in quo vera virtus moralis posita est. *Te autem iudice hæc bonitas ad forum duntaxat humanum pertinet, nunquam ad diuinum.* Sed quæso, an DEVS consensum iudicat dissentum? Pertinet igitur etiam bonitas isthæc ad forum DEI, licet vt parum sufficiens damnetur, defectu per accuratissimum DEI iudicium profundus obseruato, quam per humanum quoduis. Dic igitur posthac cum confessoribus, *virtutes gentium non mera peccata, sed actiones bonas, defectibus tamen contaminatas.*

(369) Vid. orat. Wolf. de philos. Sin. pract. not. illustr. p. 96. *Agnouit Confucius, non sufficere externi actus cum lege conuenientiam; sed requiri quoque conformitatem actus interni, iudicii nempe, adpetitus & intentionis, vt scilicet iudicantes, actionem esse legi conformem, non fallamur, vt eandem adpetamus, qui legi conformis, & vt eam propter istam rationem adpetamus, ob quam lege imperatur.*

CAPVT VI.

DE

PROVIDENTIA ET MALI PERMISSIONE.

§. 216.

*Doctrinæ
grauitas.*

ARdua est, omnium consensu, de prouidentia DEI quæstio (370), in qua aduersus empæctarum insultus solide decidenda aut recentiores plurimum adiumenti adtulerunt, aut ne-

no. *Thraſoniſmos rides, & militem comici gloſioſum renixiſſe indicas.* Dignus ludibriis fuero, quamprimum tu de permissione mali ſententiam excogitaueris, & a Leibnitiana diuerſam, & eam longe accommodatiorem. Quodſi in eo ræſtando ſpem ſefelleris, nullus dubito, quin & materia ridendi, & exprobrandi thraſoniſmos occaſio defecerit,

(370) Perplacuit, quod litteratiſſimus politiciffimusque vir Stolle in hiſt. litt. ed. ſec. p. 489. ait: *Die Vorſehung Gottes iſt ein Meer, auf welchem die Vernunft ſehr behutſam ſchiffen muß.* idque ex Lipſio deſumptum.

§. 217.

Tot & tanta vltrocitroque de permissione & origine mali noſtris temporibus diſputata ſunt, *Quæſtio de mali permissione.* & nulla vnquam lis maiori videatur agitata fuiſſe: nec ardore animi, nec ſcriptorum copia. Si hac re prolixos diſcurſus ſectarer, non abſimilis forem ei, qui magno molimine aquas generaret in Oceanum. Quo minus autem rerum diſcurſarum apicem oſtendam, aut, in quam capitalem quæſtionem fuſiſſime diſputata (371) tantum erumpant, commonſtrem, nihil video, quod obſtet. Tot vndique nos malis obſeptos, & eorum nullus iniri numerus queat, triſti dolemur experientia: Deum rerum omnium arbitrum eſſe, tam verum eſt, quam quod veriſſimum: & que non ſine cauſſa inueſtigarunt, (372) *qui ſolum permittere poſſit Deus, qui immenſo in æternallo a malis ſeiunctus eſt.*

(371) Quem fugiunt ſententiarum de origine & permissione mali inde ab antiquiſſimis temporibus exorta diſſortia? Forſan iam in gente Iudaica culpam peccati

nonnulli transtulerunt in DEVM. vid. ecclesiast. XV. 11. 12. Hinc Deum excusat Iacobus epist. I. 13. Id a gentibus quoque factum fuit: vid. Pfanner. syst. theol. gent. purior. c. 9. §. 3. p. 251. Alii in materiam peccatorum originem cadere dictitabant: vid. Wolf. in Manichæism. ante Manich. sect. II. §. 28. p. 164. Quid Chaldæi senserint de peccati origine, legitur in philosophumenis, quæ sub Origenis nomine circumferuntur, a I. C. Wolf. editis p. 39. *Lucem scilicet boni, & caliginem mali causam esse pronuntiabant.* Contra Persæ, licet duo principia boni & mali agnoscerent, tamen hoc posterius creatum agnouisse constat. conf. Thom. Hyd. histor. relig. vet. Persar. c. 9. p. 161. seq. Zoroastræ sententiam examinat Bayle in dict. hist. crit. sub hoc titulo p. 3079. vid. de Persarum dualismo Budd. hist. eccles. V. T. T. II. ad per. II. sect. VI. §. 13. p. 1053. De Ægyptiorum sententia ex instituto Plutarchus de Iside & Osiride T. II. op. p. 376. Græcorum poetæ in eandem dualismi sententiam sunt ingressi. vid. Plutarch. de Iside & Osiride p. 370. De Ionicorum Græc. philosoph. sententia leg. theses de atheism. & superstit. Buddei C. I. §. 10. p. 20. Schola Eleatica unam tantum substantiam admittit: Pythagoræ duo principia describit Plutarchus de Is. & Osir. p. 370. Plato eiusdem opinionis duo principia tuentis patronus fuit. vid. Plutarch. l. c. p. 370. apud Budd. in thes. de atheismo & superstit. c. 1. §. 13. p. 31. adde Wolf in Manich. ante Manich. sect. II. §. 32. p. 128. *De Aristotelis circa boni maliue originem sententia lege eos*, quos Budd. in thes. ath. & superst. c. 1. §. 15. p. 41. citat. Lucem dabunt vltiorem philos. Origenis edente Wolf. p. 140. Stoicos duo principia statuisse, Deum seu rationem, atque materiam, Seneca innuit epist. 65. A gentibus ad christianos error dimanavit. De Simone mago Epiphanius hæres. XXI. p. 58. idem dogma narrat. Confer. Iacob. Thomasi schediasm. de definitione philos. in not. ad §. 34. sequuti sunt Menander Saturninus Carpocrates &c. vt ex Irenæo L. I. de hæres. c. 21. constat. Valentinus hæresiarcha eiusdem erroris accusatur ab Origene L. IV. *πρωτης αρχης* c. 7. Hieronymo in proëm. epist. ad Phil. T. II. op. p. 311. *Nunquam autem Valentinus materiam*

DEO coaternam statuerit, disceptatur. vid. dissert. Buddei de hæres. Valentinian. ad §. 9. p. 590. I. C. Wolf. in Man. &c. sect. II. §. 47. p. 93. *Manichei vero perniciosum errorem ad fastigium euexerunt.* Horum primipilus erat Cubricus, natione Persa, qui a magis venenum hocce hausit. Epiphanius hæres. 66. p. 618. memorix prodidit, Scythianum quendam, e Saracenis oriundum, hanc doctrinam certis libris completum, quos sibi Terebinthus vindicauerit, a quo Manes tandem acceperit. Nostris temporibus Manichæorum dubia mirifice extulit P. Bayle in dict. hist. crit. sub art. *Manich. & Pauliciens.* Expertus est aduersarios, Clericum, Iaquelotium, Iurixum, Placettium &c. de scriptis vltro citroque emissis vid. apud Wolf. in Manich. ante Manich. sect. II. §. 18. Fabricium in delectu argumentorum & syllab. scriptorum, qui veritatem religionis christianæ asseruerunt p. 383. Clerici aduersus Bælium prima pugna, edito libro *Defense de la providence contre les Manichéens, dont les raisons ont été proposées par Mr. Bayle dans son diction. critique*, commissa fuit. Quem librum tom. I. Parrhas. p. 303. inseruit. Cui respondit Bayle in secunda edit. diction. Non sibi defuit Clericus tom. VII. biblioth. choisie p. 330. vbi Origeniani auditoris causam defendit, aduersus dubia Bælii. Sed Bayle in *reponse à un provincial T. III. p. 172. 173.* acriter respondit, quo facto Clericus zelo inflammatus *atheismi patronum Bælium declarauit*, biblioth. choisie T. IX. art. 3. & 13. Ex aduerso emisit Bælius *reponse à Mr. le Clerc. au sujet du 3. & 13. articles du IX. tom. de la bibl. chois.* ne sic quidem lite sopita Clericus T. X. biblioth. chois. artic. VIII. p. 394. *Ad iudicium academiæ de Bælio prouocauit.* Cum amarulentissimis verbis Bælius responsurus esset, morte fuit extinctus. Longum foret, cetera scripta enarrare, quæ Iaquelotius alique ediderunt. v. g. *Conformité de la foi &c.* Examen de la theologie de Mr. Bayle &c. quibus Bælius tom. III. repons. aux quest. d'un prov. ch. 128. item in entretiens de Maxime & Themiste occurrit. Anno 1710. edidit Leibnitius theodixam Amstel. vid. *den Bücheraal in der 18. und 20. Oeffnung* art. 1. quo pacto vir illustris his litibus immixtus fuerit, narrat ipse in prologo. Anno 1712. celeberr.

celeberr. Buddeus disputat. edidit *de origine mali*, theod. Leibnitii oppositam. Secutus est Chr. Wolfius, qui in metaph. cap. de DEO Leibnitii sententiam adoptabat. Peculiari tractatu eam explicuit ill. Bilfinger. vid. Io. Albert. Fabric. in delectu argumentor. & syllabo &c p. 385. Adgressus est ill. Bilfingerum D. Weismann. in schediasm. academ. anno 1725. emissis. Addatur iudicium Pfaffii in dissert. de morte nat. p. 17. Post actum in exilium Wolfio, gravissimæ lites exortæ. Quibus occasionem dedit *primo caussa DEI asserta*, curante Io. Ioach. Langio. Secuta est commentatio Wolfii *luxulenta. de differentia nexus stoici & sapientis*, quam resp. loco excepit, *modesta disquisitio &c.* auctore Langio quæ elicit *monitum ad commentationem*, refutatun & ipsum in *placidis vindiciis modestæ disquis.* Pulse Hala Saxonum, nescio quorum instinctu, Wolfio res erupit in neruum, publici iuris facta modesta dete. ctione, f. *bescheidene Entdeckung der schädlichen Wolfischen Philosophie.* Dicitur vix potest, quot ab illo tempore animorum motus exorti inter celeberrimos viros, Buddeum & Wolfium, quorum scripta eristica omnium manibus teruntur, non iam h. l. recensenda.

(372) Inquisiuit in eam rem Bælius in suo iudicio.

§. 218.

Quid veteres de ea senserint.

Antequam decretorium pro usu sententia Leibnitianæ in hoc articulo theologico argumentum afferamus, aliorum prius placita audiemus, eo potissimum consilio, ut, si solida credantur, quantum a Leibnitii decisione abeant, aut non abeant, intelligi, & iudicari possit. Allegamus quorundam ex patribus ecclesiæ iudicia. *Concedimus, inquit non nemo, meliorem esse naturam, quæ omnino peccare nolit, concedant vicissim & ipsi, non esse malam, quæ talis facta est, ut posset non peccare, si vellet, & iuste punitam, quæ voluntate, non necessitate, peccavit.* Cum

ergo

ergo utraque bona (angelorum & hominum):
 et illam solam, Et non utramque, DEVS fecit,
 et uberius laudaretur de utraque? (373) Alius
 quidam ecclesiæ primæ doctor his verbis utitur:
 et ministros tuos non habes pro fidelibus Et frugi-
 bus, si compedibus aut vinculis conclusi id
 erant, quod iubes, sed si sponte Et libere, quod
 tibi munus est, strenue faciant: ita DEO acce-
 ptum minime, quod coactum, Et violentia qua-
 rum expressum, sed quod ex vera virtute profi-
 scitur. (374) Addantur hæc ab Hipponensi
 (375) dicta. Quia omnipotens, posset, pecca-
 tum impedire) cur non fecit? quia noluit. Cur
 noluit? Ipse noluit. Non debemus plus sapere
 quam oportet. Puto autem, non parvi boni esse
 rationalem creaturam, quæ malorum compara-
 tione cauet malum.

(373) Verba sunt Augustini II. de Gen. ad lit. c. 7.

(374) Verba sunt Athanasii serm. de incarnat. T. I. p.
 39. edit. Commelin.

(375) Ita Augustinus II. de Gen. ad lit. c. 10.

§. 219.

Prostant alia testimonia patrum. Hipponen-^{Patrum}
 s ait, quod rationes reddi possint, cur DEVS ^{sententia}
 permiserit malum: requisivisse id ipsum primo ^{plures.}
 DEI omnipotentiam, cum magis pertineat ad
 omnipotentissimam ipsius bonitatem de malis bene-
 ficere, quam mala non esse sinere. (376) Nisi
 hæc omnia fallunt, aut hæc ceteraque verba in
 Ambrosii sententiam inclinant significatu, aut ita
 verba sunt, ut admitti nequeant. Sententia viri
 illustris est: malum ideo a DEO in hoc systemate

permissum: quia collatis ceteris systematis omnibus conuenientius fuerit in hoc mundo malum permittere, quam eo absolute impedito aliud efficere rerum systema. (377) Iam Hipponensis ait, requisuisse bonitatem DEI, ut malum permitteretur: quicquid requirit bonitas DEI, id conuenientius, id melius altero est. Quomodo differt hoc effatum a decisione viri illustris? Nullo pacto, nisi forte in eo, quod verba episcopi huius duriora placita innuant, *peccatum mouisse Deum, ut malum permitteret, quo nimirum illud condonando benefacere possit, quæ a viri illustris mente aliena sunt: non enim iuxta eum peccatum Numen impulit, ut hunc eligeret mundum sed mundi in ceteris rebus prærogatiua induxit ut hunc, licet cum crimine coniunctum, ob cetera præualentia, quibus reliquis systematibus præstitit, bona, anteponeret omnibus.* Alio loco Hipponensis præsul ita differit, (378) *mouisse DEVM ad permittenda mala iustitiam & misericordiam, cum hominis lapsu ad misericordiam in electis & iustitiam in reprobis declarandam se uti posse viderit.* Aut misericordiæ & iustitiæ declaratio cumulate compensat maius euentum, aut non compensat. Si illud; malum in hoc mundo, maiori bono compensatum, mundum non reddit alio quouis systemate deterio- rem: si non compensat, absurda est præsulis responsio: elige vtrumuis. Porro sentit idem (379) *uniuersi pulcritudinem, cum aliquis ornatus mundo decederet, si nulla esset anima, que peccando miserareret, DEVM induxisse, ut ma-*

lum

immitteret. Expendat benevolus lector hanc
 responſionem. Si nulla, inquit præſul, peccas-
 et anima, vel quod idem ſonat, verbis Leibni-
 ii, ſi malum deeſſet in hoc mundo, ornatus dece-
 ret, id eſt, tam bonus, aut optimus non foret.
 Dic, amabo, quomodo ab hæreſi Leibnitiana Au-
 uſtinum exſoluere velis? In quo differt præſul
 bill. viro, niſi in eo, quod præſul minus cau-
 e ipſum peccatum putat pulcritudinem mundo
 ddere, quo malo impedito, & ornatus deeſſet;
 x aduerſo noſter ornamentum mundi non in
 eccato quærit, ſed in eius ſyſtematis, quod pec-
 ato contaminatum, reliquis perfectionibus: ita
 t ſi peccatum impediretur, ſyſtema mutaretur,
 uod eſt optimum. Non autem eſt optimum,
 uia eſt peccato inquinatum, ſed id, quod inqui-
 atum peccato, optimum dicitur.

(376) Auguſt. de corrupt. & grat. c. 10.

(377) Vid. Leibnit. theod. p. m. 312. §. 114.

(378) Auguſt. de corrupt. & grat. c. 10.

(379) Auguſt. L. III. de L. arbitr. c. 9.

§. 220.

Permiſſi mali alias quoque rationes adfert
 vener. præſul. Denique, inquit, cum occasione ^{Lutheri}
 tranſgreſſionis iſtius Chriſtus nobis donatus, per ^{ſententiæ.}
 uam plura, quam in Adamo ſunt amiſſa, rece-
 imus (380), Lutherus ita ſentit: DEus permi-
 it peccatum, quia ipſi placuit, ut periclitaretur
 Adamum, & exerceret ipſius vires, ſicut hodie
 um baptizati & in regnum Chriſti tranſlati ſu-
 nus, Deus non vult nos otioſos, ſed vult exer-
 eri per verbum & dona ſua, ideo permittit nos
 infirmos

infirmos a Satana cribrari. (381) Et hæc ratio permiffi mali nititur argumento maioris conuenientiae, qua mundus hic optabilior euadit ceteris. Alius quidam theologus, solidiffima ornatus doctrina, de mali permiffione h. m. (382) iudicat: *ideo permiffit Deus hominem tentari, non ut ex malis bonum eliciendi occasionem haberet sed quia liberam ab homine obedientiam sibi præstari voluit, quia ex lapsu hominis bonum elicer nouit.* Aut illa bonitas ex malo elicienda, cuius intuitu hoc permiffum est, vna cum ceteris præsentis mundi perfectionibus maior fuit quam perfectiones alterius mundi, peccato vacui, aut non maior fuit. Sin illud agnoscas: adoptasti Leibnitii sententiam de superpondio perfectionum huius systematis præ ceteris possibilibus cunctis: si bonitas illa, ex malo elicienda, vna cum ceteris huius mundi perfectionibus maior non fuit, quam ceterorum systematum excellentiae: tum hæc ratio summi theologi vana & nulla est. Aut igitur in Leibnitii sententiam resoluitur, quod doctores respondent, aut neruo caret & fundamento.

(380) August. 14. de ciu. Dei. cap. 27.

(381) Lutherus in genes. cap. 3.

(382) Gerhardus in loc. theolog. de peccato orig. cap. 1. num. 16. sub fin. p. 125.

§. 221.

Theologorum quorundam sententia.

Vt penitus cognoscatur, responsiones de permiffione peccati, seu mali generatim, omnes, aut nihil proficere, aut resolui in recentiorum fundamenta, citabimus etiam aliorum cogitata. Celeberrimi cuiusdam viri verba hæc sunt: (383) *ad permiffionem peccati quod adtinet, si quis actio-*

nem

em quandam impedire non tantum possit, sed & debeat, idque non faciat, & hac ratione eam permittat, is quidem pro causa istius actionis recte habetur. Deum vero, etsi actiones malas quaslibet, si secundum omnipotentiam suam agere velit, impedire possit, nemo tamen dixerit, hoc eum potestatem facere debere. Imo non debere, inde patet, quod ipsa natura libere agentium hoc postulet, ut potestas illis concedatur, secundum facultatem, naturæ illorum convenientem, agendi. (384) Fieri non potest, ut aliter hæc verba intelligantur, quam sensu recentiorum. Deus, inquit vir celeberrimus, non debet peccatum impedire. Ergo ubi absolute impedit, contra debitum, id est, contra suam perfectionum dignitatem agit: hoc enim solo debito adstringitur Deus. Itaque aliud systema, impedito per miracula peccato, conditurus minus conueniens opus præstitisset; si cetera autem minus conuenientia & contra debitum conlita fuissent, nihil superest, quam ut hoc conuenientissimum habeatur, quod nunc existit; id autem recentiores contendunt.

(383) Vid. Budd. theol. dogmat. L. III. Cap. 2. §. 10. p. 769.

(384) Permissionem h. l. eo sensu accipimus, quo ill. Bilsinger. de orig. mali §. 260. ubi eam ita definit: *permissio est suspensio, vel negatio alicuius efficientiæ, qua opposita factum ab agente non eliceretur.* Dicitur ergo permittere, & qui hætenus oppositis suis viribus aliud agens impediuit suspensio nunc impedimento, & ille, qui hætenus plane agentis viribus non restitit.

§. 222.

Animum quoque subit theologi alterius iudicium, (385) qui, fundamentum, inquit, istius per-

*Iudicium
theologi
alterius,*

per-

permissio est tum libertas arbitrii, quam creatura rationali contulit DEVS creator, & cuius usum creatura isti adimi non patitur constanti datoris: tum infinita eius potentia & sapientia qua potest ex malo bonum elicere. Etiam atque etiam rogo beneu. lectorem, ut perpendat, a hæc responsio vel sufficiat, vel, si sufficit, a vi illustri decisione aliena sit? *An ideo permittendum malum, inquiet aduersarius, quia bonum elici potest? atqui non sunt facienda aut permittenda mala, ut inde eueniant bona; turpius eicitur, quam non admittitur hospes.* Quid heic respondendum est? num in obiurgationes aduersariorum effundemur? *eorum non esse rimari vi. Dei, earundemque rationes.* Atqui non scrutantur rationes Dei speciales, sed disquirunt modum an generatim potior fuerit ratio peccati permittendi, quam non permittendi: si potioem concedas, conuenientius fuit admittere mundum peccato inquinatum, quam alium quemuis. Si magistratus, qui subditorum peccata non impedit, quia bonum elici posse existimat; num tunc eum excusandum putas? atqui ita excusant theologo Deum. Aut igitur hæc excusatio irrita, a Leibnitiano sensu explicanda est: *Deum simile esse magistratui, qui peccata permittat, non eliciendi tantum boni causa: posset enim bonum nec compensare mala; sed ne impedito malo grauius incommodum oriatur, id est, quia omnibus circumstantiis computatis conuenientissimum, se optimum est, malis non obstare.* Responsio igitur theologorum, quam pro mali permissio-

legant, nititur Leibnitiana. *Deus mala permisit.*
 ar? Theologi docent, *quia elicere bonum potuit,*
 i theologi intelligunt bonum minus, quod per-
 issimum malum abundantissime non compenset?
 oc non innuunt; alias Deum arguerent, quod
 aius malum permittat propter bonum minus:
 go alterum volunt, bonum scilicet ex malo eli-
 endum innumeris modis maius fuisse, eoque
 alo non obstante mundum hunc manere opti-
 um, quæ ipsissima Leibnitii sententia est.

385) Vid. I. W. Iæger. compend. in L. de providentia
 Dei p. 122.

§. 223.

Per mundum cum recentioribus (386) in-
 lligo seriem omnium rerum conditarum, inde
 prima creatione existentium, durantiumque
 r omnia seculorum secula. Complector itaque
 beo vocabulo vitam æternam, felicem, & in-
 licem &c. quicquid præter Deum existit, aut
 isthac existet. Nunc peremptorio, ni fallor,
 gumento Leibnitii sententiam stabilire licet.
 ut hæc rerum existentium series, quæ suis de-
 ctibus laborat, illustrandæ Dei gloriæ præ ce-
 ris aliis possibilibus inferuire potuit, aut non
 tuit, aut denique aliæ possibiles rerum series
 rfectissime æqualem gloriæ Dei illustratæ effe-
 um præstitissent. Quartum non datur. Si prius
 optaueris: habes rationem permittendi mali
 ibnitianam, ex eo pendentem, quia hic mun-
 is gloriam Dei optime promouet, atque con-
 nientissimus Deo est. Si dixeris, *presentem*
rum seriem non tantum inferuire Dei gloria,
quana

*Argumen-
 tum præ-
 cipuum.*

quam aliae possibiles inseruiissent ; DEVS sibi ipse defuit, penes quem stetit, meliora exhibere: De igitur non est Deus. Si tertium placuerit, aliarum rerum series possibiles, nec inferiores, nec melior hac, quae nunc existit, fuisse, sed perfecte aequales ; tribues manifestissime Deo & imperfectionem, & peccati originem. Imperfectionem quidem: nam series, quas DEI intellectus perfecte aequales iudicat, voluntas eius ut minus aequaliter tractat, alteram alteri per creationem anteponeudo ; ita oritur in Deo dissensus ; dissensus autem est imperfectio. Tum & peccati originem seculpam Deo affinxeris: nam si aliarum rerum series possibiles ex aequo fecissent ad gloriam Dei illustrandam, uti facit series nunc iam existens: cur Deus eas ex statu possibilium non transuexit in statum existentiae? cur non elegit ex iis talem seriem, a qua malum abfuiisset? cur hanc antetulit, in qua tantum est malitiae? Num, qui seruos habere potest integros vitae, scelerisque puros: quique malignos tamen cooptat, vitiorum rursus familiari per eos illatorum culpam non gestat? Toties iam ad rauim usque clamasti, *stante hoc mundo tanquam optimo sententia, DEVM necessario optimum malo infectum condidisse, eoque malorum fieri auctorem.* Fingam, quod falsissimum est, necessitatem summam eligentem optimi DEO impositam ; tum ea necessitas potius excusat, quam accusat: ea enim, ut iuribus naturalis doctores inculcant, non imputantur quae, quo minus fiant, penes auctorem non stat quae quis necessario agit. At ubi alii munc

tiam finguntur optimi perfecteque æquales, ubi liberum locum habet arbitrium, quod malo contaminata opera præfert vitio vacuis; tum culpam contrahit, qui vitiosum opus ceteris anteponebat. Responde nunc, si placet, ad ratiocinium; videbitur, quantum æra distent lupinis.

(386) Nescio, qui factum, ut viri longe doctissimi ita potuerint arguere: *si Deus necessario optimum condidisset, futurum mali, quod eo continetur, auctorem.* Plane non cogitasse videntur, vel prima moralis disciplinæ axiomata reclamare. vid. Pufendorf de O. H. & C. cap. 1. §. 17. *Qualibet actio, quam penes aliquem est fieri vel non fieri, potest ei imputari.*

§. 224.

Addatur huic argumento aliud: aut convenientius fuit peccatum permittere, quam miraculo impedire, aut non fuit. Si prius: vera est recentiorum sententia, convenientiorem fuisse mundum a quo malum non absolute sufflaminatum fuerit: non fuit convenientius; tum Deus permittendo peccatum, parum congrue fecit: quod est blasphemum. Vis aliter inflexum? accipe: aut dignior fuit priorum series (mundus), in qua peccatum declinandi motiva pro intelligentibus creaturis fortiora erant, aut series illa præstantior fuit, in qua erant (ut in præsentia fiebat) non fortiora. Sin illud; Deus posterioris generis seriem condendo indigne fecit, quod est impium: si posterius; habent recentiores, quod volunt. Loquor autem de fortioribus peccatum committendi rationibus, non de dignioribus. Fortiores in Adamo peccandi rationes fuisse concedo; digniores nego. Aut ita, si libet: mundus, in quo stultissimæ peccandi ra-

Aliud ratiocinium.

tiones fortius primum violatorem afficiebant, aut præstantior fuit ceteris omnibus, in quibus non afficiebant fortiter, aut non fuit. Sin illud dixeris mundus ille erit optimus, licet peccato contaminatus: sin hoc; Deus minorem præstantiam ante posuit maiori, quod est improbum dictu.

§. 225.

*Judicium
de argu-
mento.*

Existimo, has rationes esse omni dubio maiores. Puto, eas phari loco habendas, ad quas in tanto fluctuantium animorum mari respiciendum sit semper. Si vel mille effugia adhibuerint, querelas effuderint, distinctiones applicauerint, vix perplexum temet & ancipitem præstent: cogita quæso has rationes, examina, an perspicue & distincte non nihil dixerint, quod ad eas soluenda fecerit: nihil eiusmodi fieri posse egomet præstabo. Redi in memoriam eorum, quæ in articulo de scriptur. § 155. 156. diximus: intelliges, observationem ibi insertam grauissimo hoc exemplo confirmari. Facile est, ad sententiam recentiorum ex hypothese vaga, & sine ratione sufficienti adoptata, distinctiones petere, elusu certissimis ratiociniis: querentes recentiorum antagonistas audies, problema facillimum intricantes, varia miscentes: iam dicent, *fatum inferri rationem optimi: iam plura fieri sine ratione contendent*, manifestissimo veritatum grauissimarum periculo, imo spe Epicurei triumpho de fortuito atomorum concursu: *iam libertatem a sapientia distinguunt non solum, sed & diuident*, vt sine sapientia & ratione a Deo quid fieri posse doceant: iam alias minus recte intellectas obiici doctri-

doctrinas animaduertes. His omnibus occurritur
ationibus §. anteced. allegatis: posce tantum, vt
contrariæ sententiæ patroni directe respondeant:
aut tecum sentient, aut facient manifesto cum
Poireto, vt Numen plane absque vlla ratione,
mo nec intuitu gloriæ mundum creasse sint in-
culcaturi; quod quam a vero alienum sit, nemo
est, quin videat.

§. 226.

Qui manifestissimis rationibus his §. 224. in- Continua-
licatis non mouentur, eos vehementer rogo, vt tur.
liter thesin suam de permissione peccati probent,
c Leibnitius fecit: sumant dubia Bælii examinanda
x suis meditati: cooptent responsionem theolo-
orum, *malum ideo permixtum, quia boni quid
otuerit elici*: caueant, ne hæc dicta Leibnitii im-
nisceant: quod si tum vel sibi ipsis, vel aliis sa-
iffecerint, victas egomet manus dederō. Faci-
ius est, aliorum positiones impugnare, vago
vocalorum significatu, quam propriam stabi-
ire thesin argumentis, determinate probantibus.
Nondum ego quemquam legi vel audiui ante
Leibnitium, qui doctrinam *de permissione mali
x instituto persecutus fuisset*. Si facile negotium
st, cur id non suscipimus ex instituto? cur sen-
entiæ Leibnitianæ patronos non melius instrui-
nus? spondeo fore, vt primus in eam sententiam
im iturus. Nihil enim desidero, quam vt mis-
is, quæ contra recentiores adferunt, dubiis,
thesin probent suam *de permissione peccati*. *Ar-
gumenta pro thesi animum figunt: dubia autem
aliis obuersa, præsertim ratione munitis, mirifice*

conturbant animos debiliores. Quisquis autem thesin serio demonstrandam susceperit, cognoscat, aliter eam probari non (387) posse, quam more Leibnitiano.

(387) Dispiciamus v. g. quo casu doctores malum per mitti debere statuunt. Sin illi casus non exhibeant eam nonem, qui ad Deum translatus Leibnitii sententiam referat, cedam arena ultro. Ill. Thomasius in fund. I. N. & G. p. 267. edit. 4. permittendorum a magistratu lupanarium nullam causam adfert, quam curam evitandi mali maioris. Atqui hæc ipsissima est Leibnitii decisio. *Summatim*, inquit vir illustris, *lupanaria non sunt toleranda, nisi ad evitandum maius malum in regionibus calidioribus.* Qui metus maiori mali cum regulariter non adsit in regionibus septentrionalibus; vix est, ut prudenter faciat magistratus lupanaria tolerans. Nec est, quod dicas electionem minoris mali saltem procedere in naturalibus, non in moralibus; neque enim facienda esse mala, ut inde eveniat bonum: ut enim alterius loci est disquirere de falsa huius loci & explicatione & applicatione in se verissimi: ita tamen ex iis, quæ supra de differente natura honesti, iusti & decori diximus, patet, malum iniustum non admittere electionem, at vero indecori & inhonesti non eandem esse rationem, præprimis intuitu non eius, qui perpetrat indecora aut inhonestia, sed eius, qui cum non possit impedire utrumque, tolera saltem minus, quæ omnia communiter miscentur in communi applicatione regula: non esse facienda mala, ut &c. Canon celeberrimi viri hic est: *permittendum est malum, quoties maius ex ipsius impedimento oriretur.* Atqui hæc est ratio Leibnitii, quare a DEO malum permissum: quia minus conveniens fuisset, seu maius incommodum ortum esset, si absolute obstitisset: eoque hic mundus, in quo permittitur malum, convenientior est, non ob mala, sed ob incommodorum, cum aliis comparatorum, in diversis systematibus, paucitatem. *Monstrent saltem adversarii casum, quo malum permittere licet: intelligent eo contineri regulam Leibnitii.* Si nolint ita Leibnitium refutare, aut hanc examinare causam: si non inquisi-

uerint in rationes, quibus permittere malum licet; in-
 dicio id erit infirmæ causæ. Plura non addo, quod
 integri in hanc materiam scripti libri me arbitro suffi-
 cere possunt. Non autem hæc superflua erant, quo-
 niam cum theologorum disertis verbis, & sententiis
 de præsentī causâ nemo hætenus Leibnitii cogitatâ
 contendit.

CAPVT VII.

DE

APPLICATIONE PHILOSOPHIÆ SECUNDVM ACCESSIONES &c. IN CA- PITE DE CHRISTO ET QUIDEM SPE- CIATIM DE OMNIPRÆSENTIA HVMANÆ EIVS NA- TVRÆ.

§. 227.

AD considerandum hoc mysterium summa ve-
 neratione, precibus ardentissimis præmissis,
 cedamus oportet, vt nobis natura caligantibus
 celestem affundat lucem supremum in cœlis Nu-
 men (388). Quot scriptis, in vtramque partem
 actis, de omnipræsentia Christi vt hominis de-
 certatum fuerit, nemo, nisi litterarum plane ex-
 perts, ignorat. Nostrum est indicare, an vsus in
 lite præstet recentiorum doctrina philos. nec
 ? Præstruenda vero quædam ante sunt, quam
 ipsum institutum pergamus.

*Accessus
 ad mate-
 riam.*

388) Controuersiæ huius historiam omnium plenissime
 tradit rev. dn. Pfaffius, cancell. Tub. in hist. litter.
 T. II. L. III. p. 420. seqq. vbi &, *quid Chemnitius de
 omnipræsentia carnis Christi senserit*, indicatur. Addi
 potest Dauid. Paræi methodus vbiq̄uitaræ controuersiæ
 contra Albertum Gravverum. Confer. Adrian Baillet
des satyres personelles &c. T. I. p. 361.

V 3

§. 228.

Quæstio. Quæstio est grauissima, *an corpus Christi queat esse omnipræsens?* Celeberrimi reformato-
rum doctores pariter ac formulæ concordiæ pro-
machi, in eo consentiunt, *tantum humana Chri-
sti nature a λογω tributum esse, quantum sine con-
tradictione fieri potuit, & res creata ad summum
capax fuit.* Tum vero in diuersa abeunt, quum
quæstio est: num contradictionem inuoluat,
unum corpus esse præsens multis aut omnibus locis,
affirmantibus quæstionem dñn. reformatis, negan-
tibus formulæ concordiæ doctissimis patronis.
(389) Quod si igitur paulo distinctius per do-
ctrinam recentiorum ostenderis, nullam habere
locum contradictionem, si vel maxime corpus
quoddam multis præsens locis statuatur: intel-
liges, huius philosophiæ non plane nullum esse
vsum.

(389) Ratio enim dñn. reformatorum, cur negent,
posse corpus esse omnipræsens, non est, quia DEVS no-
luerit Christum hominem vterius euehere; sed quia id
contradictorium putant, *ut finitum corpus ubique præ-
sto sit.* Edidit Turrett. vltra dn. Pfaffium dissertat. qua
ostendit, *contradictoria non debere credi,* eo inter-
pretans cancellarii huius dicta, ac si per *ακατάληπτα*
contradictoria intelligeret. Respondit vero vir celeb.
in dissertat. *Num contradictoria proprie loquendo pos-
sint credi?* Accessit dn. Dan. Maichelii *examen succinctum
dissert. ab Alph. Turrett. scriptæ contra dn. Pfaffium &c.*
Sum interim in ea sententia, vt credam, solutionem
huius quæstionis ad philosophiam pertinere. Sermo
enim, *num quid inuoluat contradictionem?* rationis
est: numquid vero vt existens reuera credi debeat,
pertinet ad theologiam. Illa quæstio præliminaris;
hæc theologica & capitalis. Vid. Menzerus in breui
confid. theol. Photinianæ p. 345. Non igitur princi-
pia

pia rationis immiscetur revelationi, vbi docetur ex philosophia, hoc aut illud non esse absolute impossibile; sed consensus tantum ostenditur philosophiæ cum theologia. Quodsi ita arguerem: *corpus esse omnipræsens sine contradictione potest: ergo reuera est omnipræsens*; tum *μεταβασιν εις αλλο γενε* admitterem. Cum ex omnium mente *theologia non sit contra rationem, sed supra eandem*: quoties in applicatione huius thesæ generalis ad speciales casus quæstio incidit, num hoc dogma rationi aduersetur, id est, contradictionem inuoluat? necessarium est, vt ostendam ex ratione, quantus eiusdem cum theologia, seu an consensus locum habeat? Si ex theologia decisionem petas, semper caussa duntur antagonistiæ, ipsas oraculorum citatorum interpretationes esse contradictorias, te petere principium &c. posse eodem iure credi, Deum esse proprie leonem, cum ita in sacris adpelleretur &c. Nunquam proficies quidquam, nisi te contuleris ad examen rationis, quid contradictorium sit, aut non sit? nisi docueris, contradictionem non pertinere nisi ad idem, secundum idem, aut eodem modo &c.

§. 229.

Qui, num corpori *πολυτοπια* competere queat? *Αναλυσις*
 disputaturi sunt, eos lex methodi iubet, vt in- *questio-*
 quirant (390), quid præsentia sit? quid denique *nis, quid*
 corpus? tum explicato vtrinq; subiecto & præ- *sit existe-*
 dicato, iudicari poterit, an istæ ideæ prorsus ini- *re?*
 micis cornibus pugnent, nec ne? Cogitari sine
existentia præsentia nequit: est enim *præsentia*
 nihil aliud, quam existentis ad aliud existens
 proximus respectus: de præsentia igitur sermo-
 nem facturis definienda est *existentia*. Ea autem
 ita a recentioribus describitur. (391) *Existentia*
est status essentia, quo apta est ad agendum, vel
patiendum. Quicquid existit, hoc caractere
 continetur; & vicissim, quicquid hunc chara-

terem habet, illud reuera existit. Definitio itaque est genuina, cum definitionis nominalis sit, exhibere characterem, vni, soli rei, & semper competentem. (392) Id quod neminem, logicæ præceptis vel obiter initiatum, fugit.

(390) Vid. Leibnitii discurs. de harm. ration. & reuelat. §. 20. vbi monet, accurate prius decidendum esse, in quonam corporis natura ponatur, si de possibili eius *πολυπικία* quid statuere in animum induxerimus.

(391) Vid. ill. Billing. dilucid. §. 270. ne quis autem huic definitioni Scheiblerianam anteponat, qua id existere docet, *quod sit positum extra causas* libr. I. cap. 15. §. 2. *Existencia est actus, secundum quem res ponitur extra causas.* p. 184. velim obseruetur, non facile patere hanc definitionem: Deus enim existit, nec tamen extra vllas ponitur causas. Itaque nostra definitio præferenda est, maxime, quod nihil allegari possit, quod existeret, nec tamen vel pati quid posset, vel agere. Tuto igitur huic superstruere licet.

(392) Mathematicæ methodo assueti distinguunt inter definitionem nominalem, & talem, alio sensu, ac auctor artis cogitandi, & Clericus in log. operibus philos. præmissa P. II. cap. 12. p. 111. vbi ait: *definitionem rei exponere, quæ rei natura sit; nominalem vero, quam significationem nomini cuiquam tribuamus.* Contra Leibnitius & Wolfius, mathematicos secuti, v. g. in log. cap. 1. §. 38. p. m. 28. nominalem dicunt definitionem, quæ characteres exhibeat, *quibus res definita ab aliis semper & in omni statu distingui possit; realem vero definitionem adpellant eam, quæ rei genesin & ortum exprimat, qua aliquid possibile sit.* Nullus igitur dubito, quin definitio existentia genuina sit.

§. 230.

Cum in definitione existentia actionis & passionis sit facta mentio: non alienum est, ad notionem explicatiorem præstandam indicare, *quid*

Quid sit agere & pati?

quid sit agere? quid pati? agere dicitur A. in se ipso, quando ratio alicuius B. in A. observandi neque ad huius essentiam pertinentis, est in ipso A. Si v. g. ratio desiderii, quod in anima existit, est in ipsa anima; tum dicitur hæc agere, *actione immanente*. Contra agere dicitur A. in aliud C. si ratio alicuius, quod B. vocabimus, & ad essentiam C. non pertinet, continetur in A. Sic Deus in creatas res agit, quia mutatio in illis operationem habet in DEO. Pati contra dicitur C. cum ratio alicuius B. in ipso C. observandi, nec ad eius essentiam referendi, continetur in A. Non est, ut regeas, hæc definitiones parum sufficientes esse, quia in causa finali sit ratio, cur effectus producat, nec tamen causam finalem in effectum convertere, nisi forte fuerit, ut causam efficientem confundere cum finali velimus: nam causa finalis non agit accurate loquendo, sed representatio eius: eoque hoc dubium ad rhombum facit nihil. (393)

(393) Vid. Wolf. metaph. §. 104. Eine Veränderung, davon der Grund in der Sache anzutreffen, die verändert wird, heisset man das Thun; hingegen eine Veränderung, davon der Grund in einer andern Sache, als die verändert wird, anzutreffen, heisset man eine Leidenschaft. Nota tamen, hanc definitionem solum pertinere ad res creatas; nostram, in textu, ad omnes.

§. 231.

Expendimus, quid sit existentia? Præmouimus quoque, præsentiam nihil aliud esse, quam *Definitio presentia.* proximum respectum existentis ad existens: non ergo poterit, mea tenui sententia, aliter præsentia definiri,

definiri, quam hoc modo: *præsentia rei ad rem est status, cuius gratia res in rem aut agit, aut agere potest, res a re patitur, aut pati potest, vel immediate, sine interuentu ullius rei alterius, vel sine intercurſu saltim plurium.* Demonstratio ita habet. Existentia est status agendi vel patendi; præsentia vero est respectus existentis ad existens: ergo ipsa quoque est status, quo res in rem vel agere, vel ab ea sine interuentu plurium pati potest. Sub operationis vocabulo completor illum quoque respectum, quo quædam res alias repræsentant. Vbi enim est status aliud repræsentandi, seu in id operandi immediate, vel operationes ab eo recipiendi; ibi est duarum rerum mutua præsentia. Qui aliter definiunt, (394) infinitis implicantur difficultatibus. (395)

(394) Alii præsentiam definiunt barbara voce, *per ad-essentiam in loco s. spatio, siue per modum, secundum quem res dicitur in spatio.* Vid. Suarez. disput. 51 Sect. I. num. 14. Non possum enim, quin tam exosos etiam scholasticos in controuersia maxime metaphysica citem. Sed quid est spatium? *an est receptaculum, immensa ratione extensum, in quo res omne collocentur?* Profecto talis conceptus, si quisquam alius, rationi summopere repugnat: quod primus animaduertit Leibnitiuſ in epistol. V. ad Clark. T. I. Recueil. p. 119. §. 62. seqq. Si enim in duas v. g. partes perfecte æquales mente diuidam tale receptaculum; altera pars alteri erit perfecte similis, nec vlllo momento discernenda: erunt igitur ambæ res vna, iterato conceptu repræsentata. De ista vna parte simile valet ratiocinium, & sine fine quidem, vt tandem spatium illud, seu receptaculum ad punctum mathematicum indiuiduum reuocetur, eoque nonnisi figmentum reperiatur mentis. Spatium igitur, aliter cum Leibnitio definiendum, *est ordo rerum, quatenus existunt simul: vbi nihil existit, ibi nullus ordo, nullum spatium.*

Vid.

Vid. Recueil T. II. p. 139. Dum igitur veteres *praesentiam* adpellant *modum*, secundum quem res est in *spatio*: falluntur, receptaculum extensum ab omni re abstractum inuenientes: sensus ergo definitionis eorum, si quis sit, hic nec alius esse potest: *praesentia est modus*, secundum quem res est in *spatio*, id est, *ordine rerum simul existentium*. Et quoniam res propterea existunt, quia possunt operari, aut pati; praesentia erit peculiaris modus, secundum quem res existit, id est, pati aut agere potest, in ordine rerum simul existentium, id est, quae pariter operari & pati possunt. Sic resoluitur veterum definitio in nostram, quae Wolfii est *physic. de finibus* §. 27.

395) Qui praesentiam concipiunt per *αδιαστοιαν* in spatio; illi rem praesentem ut spatio coextensam non possunt non concipere: erit enim res praesens vel spatii extensi punctum mathematicum, id est, *nihil nisi conceptus mentis*, vel physicum, id est, *extensum minimum*. Inde fontes omnium difficultatum in compositione continui, & hac quoque materia obuiarum, oriuntur, quod spatii ideam formamus, tanquam extensi receptaculi partibus mere similibus constantis; quod est absurdum. Noui, theologos *αδιαστοιαν* ab operatione discretam praesentiae conceptui tribuere v. g. *Gerhard. loc. theol. de nat. Dei* p. 70. num. 115. ex reformatis *Turret. theol. elenctic. Loc. III. quaest. 9. §. 8. p. m. 218.* ex scholasticis *Fons. L. V. metaph. c. 15. quaest. 9. S. 4. Suarez. disput. 30. sect. 7. n. 14. disp. 51. Sect. 4. 11. Scaliger. exercit. 359. &c.* Sed noui etiam, ubi ad caput rei peruentum est, theologos praesentiam Dei expansiuam negare, adeoque arcere conceptum spatii, quo euitato nulla *αδιαστοια*, quam quae in operatione ponitur, superest: noui scholasticorum argumenta aliter sentientium nullo nixa esse fundamento. *Scaliger. v. g. exercit. 359. frustra obiicit: non posse praesentiam consistere in operatione, namque rem esse posse, etsi non operetur*: petit enim principium. Accedit, quod, si res non operetur, aliquid obstat, quo minus id fiat, eoque facto saltem patiat, quem alterum existentiae characterem in creatis rebus dixi. Non potest igitur fieri neutrum, ubi
reuera

reuera quid existit. Pergit vir subtilissimus: Si angelus esset in suo ubi per operationem, non posset in eodem ubi aliam exercere operationem, sed variata operatione, variaretur ubi. At hoc est absurdum, quia angelus sine mutatione loci varia agere potest. E. Facilis est responsio: alia in angelo operatione immanente exorta, præsentia eius ad res externas non variatur: neque enim præsentiam statu operandi immanenti ratione contineri diximus; sed ubi alia operatio ab angelo in rem aliam suscipitur, nec in vnam rem operationes continuantur, fieri non potest, quin præsentiam mutet suam. Quocirca Deus nullibi absens esse potest, quia nusquam non in res creatas operatur. Fruolum est, quod vir acutus subiicit: Deum esse in spatiis infinitis extra cælum, nec tamen ibidem operari: præsentiam ergo operandi statu, saltim si Deum spectes, non absolui. Spatium extra cælos effectum est nihil: Deus vero non est in nihilo. Actuosissimus est in se, si vel maxime nulla res adesset: itaque vere absque mundo existit; non tamen est vere præsens sine mundo.

§. 232.

Examinantur
verba.
definitionis
ordinaria.

Qua definitione obseruata duo extrema euitari possunt: alterum eorum, qui præsentiæ conceptu præter repræsentionem, agendique & patiendi in & ab aliis rebus statum, nescio quam *αδιασασίαν* distinctam complectuntur, cum *αδιασασία* per illas notiones demum accurate & distincte cogitetur: alterum viri cuiusdam eruditi Berolinensis, (396) qui præsentiæ rei actualem eius ex propriis notis agnitionem esse docuit: multa enim corpora sunt vna, quorum neutrum distinguit alterum, multo minus ab altero agnoscitur. Generatim obseruandum, quod potissima metaphysicæ scholasticæ incommoda in eo ponantur, vt ex copia diuisionum laboret, fecundarum autem definitionum inopia maxime pre-
matur.

natur. Sunt enim pleræque synonymis formatae verbis, aut obscuris, nihilque sonantibus. Prioris nœui exemplum est *præsentia definitio*. Dicunt auctores, *eam esse adessentiam rei in loco*. Sed adessentia est barbarum vocis puræ (præsentia) synonymum. Cur igitur fumos vendunt scholastici? Cur synonyma obtrudunt, res difficillimas definituri? *adessentia* deriuatur ab *adesse*. Quæ autem, quæso, synonyma sunt, si *adesse* & *præsentem esse* non synonyma sunt? Similis ratio est vocis *αδιασασιας*, quod idem sonat; ac *non distare*, *prope alterum stare*. Noua video vocabula: rem ipsam, caractere certo declaratam, non video. Est hæc opportunitas philosophiæ recentioris, ut res ipsas rimetur, tortici vocabulorum non inhæreat. Non id agimus, ut in philosophando copiam impetremus vocabulorum; sed ut rerum, vocibus designatarum, caracteres distinguamus. Qui igitur affirmat, præsentiam esse *αδιασασιαν* ille vocabulo aliud synonymum substituit, rem ipsam non indicat aut exponit. Quocirca si quis vrget, ut in præsentia conceptu præter statum in aliud vel operandi, vel ab eo operationem recipiendi, *αδιασασιαν* complectar; is perinde agit, ac si postularet, ut præter citatos caracteres in definienda præsentia etiam ceu distinctam considerarem ipsam præsentiam: non enim præsentia differt ab *αδιασασια* nisi sono. Accedit, quod *αδιασασιας* vocabulum tacite notionem extensi conceptaculi, in quo res vna stant, animo offert: qua idea ad conturbandos in hac doctrina animos

318 *Cap. VII. De applicatione philos. recent.*
animos nihil est accommodatius, pestilenti-
que nihil.

(396) Intellego Christian. Gabriel. Vischerum, prof. pl.
extraord. in dissert. *an spiritus sint in loco?* p. 3. &
satis ob intempestive pro palata Leibnitii dogmata
felicem. Maximum eruditi orbis decus, Buddeus
theol. dogmat. p. 1054. existimat, *humanam naturam*
Christi non per solam operationem, & scientiam,
est, prout omnia cognoscit, & omnia ubique operatur
esse presentem: improprie enim presentem esse, qui
saltim presens sit, nec cum communicatione naturarum
hoc conciliari posse; quin potius Christi humanam
turam in se, & qua ipsam substantiam spectatam, om-
bus rebus creatis actu presentem esse. Sed si calcu-
recte subduco; in substantia corporis cuiuslibet,
que etiam corporis Christi, non nisi duo, aut tria ad-
di possunt: vis agendi, de qua in anteced. extensio,
αὐτιτυπία, seu vis inertiae. Extensionem si specta-
ris; non esse potest secundum eam corpus Chri-
omnipresens, fatente id integro theologorum cho-
qui expansivam presentiam negant, & pernega-
αὐτιτυπίας est ratio similis: neque enim ubique ref-
corporibus ceteris gloria caelesti vestitum Christi c-
pus. Ergo in substantia corporis Christi nihil ret-
net, quam vis agendi, quae cum diuina τὸ ἀ-
personaliter unita ubique est, quia omnia in omni
operatur. Qui ergo quoad immediatam operationem
presens undique est; is & quoad substantiam vere pr-
sens est: vna alteram inuoluit.

§. 233.

Non da-
tur actio
indistans. *Existentia est status essentia, quo quid ag-*
re aut pati potest. Presentia autem est duorum
pluriumve existentium status, quorum alterum
in alterum sine intercurso aliorum, saltim pl-
rium, agere potest, vel & pati: ergo ab oper-
tione ad presentiam non praebet transitus lo-
gus. (397) Errant propterea, qui actionem da-
puta

utant in loca distantia: (398) eorum sententia distincte euoluta tam rationi dissentanea est, ac si quis contenderet, posse eandem rem vno eodemque respectu & tempore agere, & non agere: agere quidem ob hypothesein, quam fingunt, operationis in distantiam; non agere vero, ob hypothesein absentiae, seu negatae praesentiae, id est, illius status, quo quid in alterum sine alio interuentu operari solet. Quod si haec idea etmet ipsam non destruat, non intelligo, quid eandem contradictionem inuoluat. Cognoscitur ex definitione porro, quomodo alterum altero propius, aut, ut ita loquar, praesentius sit? Quod maiora aut plura intercurrunt, ut vnum possit aliud agere; eo propius aut remotius alterum est ab altero. Si vnum agat immediate in alterum, alterum in tertium, tertium in quartum: tum quartum non tam praesens est primo, aut vicissim, ac primo quidem solet esse secundum. Ne dicas, *posse vinctum catenis in carcere non agere carnificem, licet praesentem*: tenue esset hoc obuium: qui enim agere in carnificem non potest, pati tamen potest: ut omittam, radios a corpore vincti reflexos carnificis oculos afficere, fluuia, e corpore captiui exeuntia, protrudere erem, hunc autem in carnificis corpus actum contingere &c.

(397) Quae Leibnitii observatio est in discurs. de harm. rat. & reuelat. §. 19.

(398) Ita sentit Nevvton. vid. Recueil T. I. pag. 79. 144. §. 118. p. 196. Animum forte subit: *si inter duo corpora, vnum duntaxat passum distantia, omnia alia tollerentur, per quae alterum in alterum agere posset, praesen-*

praesentiam quidem utriusque mutuam remansuram, ne tamen mutua actione aut reactione. Sed absurda hypothesin, quæ nexum creaturarum interrumpit, ineptam conclusionem parere, mirum non est. Quicquid quod eo casu vis certe agendi, aut patiendi facultas sine interuentu plurium, locum habitura esset, licet exercitium eius maiore vi sufflaminaretur: id vero in stabilendam praesentiam sufficit.

§. 234.

*Praesentia
species.*

Cum praesentia sit status rerum, quo in mutuo agere possunt, aut pati sine aliarum interuentu: facile intelligitur, quomodo reliquæ species aut classes praesentiae definiiri possint. *Omnia praesentia est status, quo ens supremum omnino res repraesentat, easdemque potentissimum concursu animat, dirigit, moderatur, gubernat. Quæ actio DEI in res omnes longe consummatissima est, nulla reactione creaturarum limitata, nulla passione interpolata: quem existendi modum scholastici vocant actum purissimum. Succedit alia praesentia classis, quæ spiritibus competit: illi enim praesentes dicuntur, ubi operantur operatio autem eis nulla alia competit, quam intelligendi, & adpetendi: sunt igitur praesentes (si nulla corpora regunt) illis rebus, quas distincte repraesentant, intelligunt, & circa quaerendo & volendo versantur. Noli ideas adiasurias immiscere, ne idem per idem expectes, quasi diceres: spiritus praesentes sunt, ubi adiasurati, id est, ubi praesentes. Ita Paulus: quanquam, inquit, corpore non sum praesens, animo tamen vestris rebus intersum, non sine levitate considerans & ordinem sacrorum, & fidem*

Chi

Christum Coloss. II. 5. Non est, cur hanc præsentiam improprie adpellatam accuses: quod si enim angelos animasque post mortem ab omnibus plane corporibus separatos statuas; nulla in eos præsentia cadere potest, quam talis. At alia ratio est, ubi & angeli subtilissimis corporibus regundis (399) præsentunt.

(399) Ita certe sentit Leibnitius Recueil. T. I. p. 119. §. 61. & alibi.

§. 235.

Naturali præsentia porro ibi præsto esse dicimur, ubi res repræsentant sensus nostri, *Præsentia naturalis.* *auditus, visio, tactus, gustus & olfactus*, atque etiam ubi a rebus adficiuntur: vno verbo, *ubi sensus verentur s. patiuntur.* Intelligitur ergo, quomodo quis corpore possit esse his rebus præsens, animo autem absens, uti de se Paulus loquitur Cor. V. 3. Illis nimirum rebus corpore interimus, quas sensus repræsentant, quibusque afficiuntur; illis autem animo, de quibus cogitamus, non clare tantum, sed & distincte, seu, si malis, quas intelligimus & meditamur per partes. Præsentia beatorum post resurrectionem posita erit in sensuum, gloria cælesti vestitorum, repræsentatione, ex quo decidere litem possumus: *um vita aeterna locum certum arguat, an tantummodo statum?* (400) quod ulterius explorarem, si instituti ratio posceret.

(400) Quid inter nonnullos scholasticos & theologos quoque de hac re disputatum sit, neminem temere præterit. Becanus pontif. *cælum empyreum vite aeternae locum esse docet*: de purgat. Calvin. in append. c. 1.

n. 3. p. 44. Lampad. cens. vbiquit. pag. 76. idem sentit magister sentent. L. II. distinct. 2. Vrsinus in compend. doctr. christ. p. 345. Sohn. disp. de creat. T. I. op. p. 114. vel vnica loci distincta notio lites omnes sustulisset. Sed manum de tabula.

§. 236.

*Gradus
diuinae
praesentiae.*

Diuina praesentia suis gradibus distinguitur. *Primus* gradus est praesentiae generalis, per quam DEVS omnia regit, moderatur in caelo & terra Hebr. I. 3. *Secundus* gradus est praesentiae gratiosae, per quam DEVS in cordibus credentium habitat, id est, nouos motus accendit Io. XIV. 23. *Tertius* gradus est praesentiae gloriosae, ot quam angelis & electis suam DEVS gloriam conspiciendam praebet Io. XVII. 24. *Quartus* denique gradus praesentiae hypostaticae, per quam totum diuinitatis πληρωμα in Christo homini habitat, id est, ineffabili modo cum carne Spiritatoris vnitum per & in ea omnia in rebus creatis agit, conseruat, dirigit & arbitratur *Quot sunt (401) diuinarum operationum species; tot gradus praesentiae DEI constitui possunt.*

(401) Verba sunt Io. Gerhardi *loc. theol. de nat. DEI* num. 119. p. 71.

§. 237.

Confectarium.

Cum ea sit praesentiae natura, vt operandi & patiendi statu contineatur: perspicuum est quam necessarium sit, vt hinc spatii cuiusdam extensi, praesentibus rebus substrati, notio longissime arceatur, nec distantiae cuiusdam fieri (402) mentio, in qua res rei vel adpropinquatur, vel ab eadem remouetur: namque is conceptus

ceptus ad res diuinas translatus receptaculi, in quo res præsens sit, expansi ideam animo offert, uæ innumeros cogitandi labyrinthos recludit. Hac inducti ratione saniores theologi omnes in e a Christo nato ab his conceptibus abstinere iusserunt. Nescio tamen, qui fiat, ut hoc inaginationis phantasma, furca licet expulsum, in rauissimis tamen controuersis, vel nihil tale pinantibus obrepat? Digna sunt verba Augustini, quæ h. l. recenseantur: (403) *In eo, quo DEVS dicitur ubique diffusus, naturali resistentum est cogitationi, & mens a corporeis sensibus uocanda, ut quasi NB. spatiosa magnitudine opinemur DEVM per cuncta diffundi, sicut fumus, ut humor, aut aer, aut lux ista diffunditur: omnis enim huiusmodi magnitudo minor est in sui arte, quam in toto, sed ita potius, sicut est magna sapientia etiam in homine, cuius corpus est paruum, & duo si sint sapientes, quorum alter sit corpore grandior, non est illa in maiore maior, in minore minor, aut minor, in uno quam in duobus &c. tandem claudit: absit, ut, quod potest in se qualitas creati corporis, non possit in substantia creatoris.*

(402) *Distantia & ἀδιάσπαστα* sine spatio extenso cogitari nequeunt: animo enim offerunt longitudinem, quæ certis pedibus designata distantiam meretur. Longitudo autem omnium consensu extensionis modus aut species est. Hinc tam solícite curauit Leibnitius, ut, exsiccatís his difficultatum fontibus, aliam distinctionem spatii notionem exhiberet. Vellem, ut lectores haud grauate epistolas eius ad Clarkium cum summa attentione legerent: quæ enim ibi de spatio probauit, heic supponuntur. Sæpe miratus fui, cur his notionibus

bus in describenda DEI præsentia vterentur eruditi, nec tamen alia occasione in rectam viam non redeuntes ideam præsentia diuinæ expansiuam cauendam, rectissime & peropportune dicerent. Audiamus Braunium, in doctrina fœderum p. 160. §. 12. ita differentem non possumus concipere omnipræsentiam DEI, nisi per eius operationes, cum omnia creet, & conseruet, & quidem per essentiam, quandoquidem essentia DEI est maxime actiuosa, immo actus purissimus. Certissimum est, Deum in omnibus creaturis, siue sint spiritus, siue corpora, potenter operari. Cum autem operetur per voluntatem DEI, & voluntas sit ipsa essentia: sequitur, eum operari per essentiam, eoque rebus omnibus per essentiam esse præsentem. Multis etiam verbis antecedentibus disputat contra ideam extensionis, id est, distantia. Occupatur his verbis quoddam dubium. Erunt forsan, qui dicent: *stante hac sententia præsentem DEum futurum, non secundum substantiam, sed solum iuxta potentiam & operationem, quod sanior doctrinae repugnet.* Dixi autem in antecedentibus §. 233 inter operationem rei eiusdemque substantiam nullum ambigere interuallum: respondet hic etiam Braunius substantiam DEI nihil aliud esse, quam ens actuosissimum. Quodsi igitur per operationem præsens est præsto quoque est per substantiam: *ipsa enim eius substantia est infinita vis agendi.* Examina, quæso, qui in substantia distincte cogites, si a vi agendi immens cogitando discesseris: profecto nihil aliud quam *un, ne scai quoy.* Cur vocibus nihili delectamur, dudum a Clerico in arte critica explosis? Redi in memoriam definitionis, qua existentiam explicui: non poteri non fateri, per & propter operationem substantiar alicubi esse: est enim secundum recentiores *substantia nihil aliud, quam vis agendi, radix vitæ & actionum fons operandi, ex quo actiones deriuantur.*

(403) Verba sunt Augustini de præsentia DEI ad *Dardan.* c. 4. notionem igitur spatii in doctrina diuinæ præsentia summo improbat opere ven. præsul.

Disceptatum fuit inter summos theologos *Decontro-*
Saxones & Tubingenses : *an praesentia DEI ab uersa Sa-*
operatione eius seiungi queat? (404) potuerit ne xonum &
humana Christi natura ante statum gloria praesens Tubing.
locis omnibus esse, abdicata omni in res creatas
operatione, earumque regimine tantisper proro-
gato? Affirmantibus quaestionem Saxonibus, neg-
gantibus, qui Tubingensium Parnasso praesunt.
Si ea, qua par est, modestia, quid sentiam, ex-
ponere liceat: dicerem, operationem a praesentia
tam non posse diuelli, quam definitio a suo de-
finito separari nequit; alterum altero explicatur.
Praesentia a vi operandi in hoc aut illud, differt
vt *obscure cognitum a cognito distincte*, vt cha-
raeter a re charactere donata, vt definitio a re
definita. *In quodcumque aliquid operatur, ei*
etiam est praesens. Si praesentiam distinguendam
contendas a vi operandi, etiamsi non *materiali-*
ter, formaliter certe; charactere peculiari opus
est, qui in praesentiam cadat, non cadat in vim
operandi. Sic v. g. alius character est, quo di-
scerno Dei omniscientiam; alius, quo cogito
aeternitatem; alius, quo voluntatem &c. At-
qui nullum te allegaturum praestabo. Num pro-
uocabis ad *αδιαστοίαν*? Synonymum pro chara-
ctere obtrudes: verba dabis pro conceptibus.
Quomodo concipies ipsum, *quod non distat?* an
vt punctum in spatio? an vt magnitudinem ex-
tensam? credo, te eo non deuenturum. Num
foran *το αδιαστού* vt quoddam existens cogita-
bis? quaero ex te, *quid sit existere?* eo enim

explicato facilis coniectura erit, quid sit præsto existere, id est, esse præsentem. Non poteris sine grauissimo incommodo aliam definitionem existentiae adoptare nisi nostram, qua agnita, nobiscum præsentiam per vim operandi in hoc aut illud definies. Quod nullum peculiarem characterem præ altero habet; id ab eo distingui non debet, nec *formaliter* quidem. Cum igitur præsentia ita comparata sit, ut vim operandi in hoc aut illud, mente seiungentibus nullum ulteriorem characterem offerat: oppido intelligitur, (405) differre vim operandi a præsentia tanquam distincte cognitum ab eodem cognito obscure.

(404) Notissima est controuersia ante hos centum, & quod excurrit, annos agitata. Prostant Thummii in hoc negotio scripta, v. g. *assertio sana & orthodoxa doctrinae* 1621. *Kurzer Bericht etlicher streitiger Fragen über der Gegenwart des Menschen Christi* 1625. Amica admonitio super decisione Saxonorum. *Ex altera parte apologia Saxonum* Lips. 1625. & quæ primo loco fuisset nominanda, *decisio ita nominata* 1624.

(405) Ex male formata præsentiae diuinæ idea, cum distingueret præsentiam & *αδυσουσιαν* a vi in omnibus operandi, eo, elapsus est Heshusius, ut negaret, omnipræsentiam carnis Christi ex scriptura probari posse. Vid. Melchior Adam in vitis theol. p. 622. Micælius in syntagm. hist. eccles. p. 867. Quenstedt de patriis viror. illustr. p. 622. de Heshusio sequentia memoriae prodidit. *Ante librum concordia defendit omnipræsentiam carnis Christi, postmodum vero non tam ipsam in libro concordia de maiestate Christi hominis doctrinam, quam præconceptum cerebri sui idolum impugnavit, talem scilicet omnipræsentiam, qua substantia carnis Christi sit localiter, extensivæ, diffusivæ & obiectivæ in omnibus creaturis, cum qua portentosa ubiquitate nostris ecclesiis nihil quicquam fuit commercii.*

Vid.

Vid. Micræl. syntagm. hist. eccles. p. 758. De Melchiorre Adamo, qui Heshusii vitam dedit, vid. acta erudit. Lips. mense Iunio 1684. p. 288. Prono alueo illa consequentia, *quod omnipresentia Christi sit localis*, fluit ex distinctione inter *αΔιγασιαν*, & vim operandi. Nam prior, vbi a posteriori discesseris, nullo caractere discerni potest, nisi *vniuersali diffusione*, quæ a re nulla distat. Si hunc characterem non admiseris; nullum habes, eoque de re affirmas & negas aliquid, quam non nosti. Perinde ac si calculum subducere institueres ex numeris nondum perspectis. Cur negas præsentiam in operatione quærendam, cum præsentia qua talis peculiarem, diuersumque a vi operandi characterem allegare non possis, synonyma tantum obrudendo?

§. 234.

His præstructis propius ad ipsum institutum accedimus. Exposuimus, quid præsentia sit: mouimur, dari varios præsentiaæ modos aut gradus. 236. Intelligitur ergo, alium præsentiaæ modum non eueri ab alio. DEVS generali præsentia præsto est vbiq̄ue: conseruat enim res creatas omnes, ad earum actiones vniuersas & singulas concurrat &c. eoque sensu *metaphysico*, non *physico*, terram cœlumque replet. Ierem. XXIII. 24. Contra hac præsentia non obstante DEVS *determinate* hic potest esse, nec eo modo alibi, id est, singulari operatione, vt DEVS hanc rem creatam afficiat, nec aliam, nihil omnino impedit. Falleretur oppido, qui ita argueret: *qui alicubi est, nec alibi; is non potest esse vbiq̄ue: altera enim idea destruit alteram. Altera arguit finitam præsentiam, altera infinitam: non possunt itaque in idem subiectum cadere ambæ præsentia.* Erraret, inquam, qui ita ratiocinaretur:

*Vna res
potest esse
diuersis
modis
præsens.*

diuersitas enim modi dissipat nebulas, & metum contradictionis atrum. Nouimus, DEVM *in vento fuisse certa ratione, ut eadem non fuerit alibi* I Reg. XIX. 11. Nemo tamen dixerit DEVM eo casu defuisse esse omnipræsentem. Fuit igitur absens & præsens idem DEVS eodem tempore, sed intuitu diuerso, quo omnis idearum pugna amicissime componitur.

§. 240.

Quid sit corpus?

Expendimus, ni fallor, distinctius iudicandæ propositionis: *num corpus Christi possit esse omnipræsens*, prædicatum: nunc in eo est, & subiecti notiones præstemus explicatiores. Tria in quolibet corpore discernimus: *materia* (406), siue multitudinem, quæ componitur *essentiam* compositi, siue modum materiæ disponendæ, & varie formandæ; denique *naturam*, siue fontem mutationum, siue operatum, id est, vires motrices. Huc accedit *quarto determinatus modus ceteris rebus coexistendi*, qui *locus* (407) adpellatur. Vnum horum perfectionem arguit; tria reliqua perfectionis limitationem. Multitudo compositorum, seu materia, rerum finitarum indicium est; non enim cadit in substantiam immensam, quæ prorsum vnica, vti supra docuimus. Si quid perfectioni multitudo, qua talis, innueret; a DEO aliena non foret, quippe qui omnes omnino perfectiones complectitur. Similis ratio est *essentia* corporis, quæ in *modo compositionis partium* collocatur. Vbi partes; ibi res finitæ: vbi partes hoc aut illo modo dispositæ, hoc aut illo modo

viri

in se mutuo, mouendo, cohærendo
concurrentes; ibi oritur *determinatus reliquis re-
bus coexistendi modus*, id est, *locus*, eoque &
hic limitum in rebus filius est. Alia ratio est
terminum corporis motricium, quæ perfectionem
consequuntur, & per multitudinem seu distinctio-
nem, qua partes exhibent, limitantur. Ponunt
tamen vires aliquid in rerum natura, non limitant,
sed limitat multitudo partium, id est, materia,
compositio partium, id est, corporis essentia,
determinatus existendi modus, id est, locus.
*omnis autem perfectio in consensu variorum po-
tetur*: ergo hac parte nihil obstat, quo minus
res DEI immensæ cum his coniungantur, cor-
porisque, omnia per id operando in omnibus, si-
ant omnipræsens.

(406) Vid. Wolf. in metaph. cap. 4. §. 626. ill. Bil-
ling. de harmon. præstab. p. 30. sub nota (s) ed. prim.

(407) Ita locus a recentioribus definitur, v. g. Thü-
miglio p. 52. §. 50.

§. 241.

Admodum subtili discursu hætenus vten-
tum erat. Sed prima cognitionis humanæ sta-
mina, & lineamenta non referunt vnquam cras-
sè conceptus, ad instar funium naualium, vel
rusticis palpandos. (408) *Vnitas oritur, si A.
locum B. substituto ne tantillum quidem discrimi-
nis adparet.* (409) Vnio hinc adpellatur
status, seu status, quo alterum cum altero in ter-
o quodam vnitatem refert, aut vnum euadit.
(410) Sic corpus & anima humana vniuntur,
ita conflant vnum quoddam, scilicet homi-

*Quid sit
vnitas?*

nem: sic duo asseres conglutinati in tertio quodam vnitate exhibent, constituendo vnam mensuram: sic eruditio cum litterato coniuncta ideo est, quia sistit tertiam vnitatem, scilicet dicitur. Si tenuia hæc videntur, accipe exemplum graue. Sic λογος cum carne vnitur, quoniam in tertio quodam, id est, in persona λογος caelestis & diuina natura sunt vnum.

(408) Vid. præfationem Wolfii ad germanicam epistolam Leibnitii & Clarkii versionem a Köhlero editam, vbi obseruat, fundamenta cognitionis immanitatem in subtiliores conceptus resolui p. 2.

(409) Hæc est vnitatis definitio, a Wolfio in metaphysica tradita §. 17.

(410) λογος & caro vnuntur, quia in tertio quodam vnum sunt; tertium autem illud non demum per compositionem conflatur, vt ex anima & corpore fit quodam tertium, homo. Sed reuera idem est cum ipso λογος: neque enim Christus tertium quiddam est duabus suis naturis, nec personalitas eius demum, per corpus & animam, oritur, sed iam ante compositionem supponitur. Dico hæc propter Liberium sancti. amore in epistol. p. 4. vbi ita differit: *cum personalitas sit mera denominatio externa, si verbum se consideretur, utique persona est, quia ad nullius compositionem concurrat: sed si spectes, quatenus vnitur est cum humanitate, persona non est: quia ad personam θεανθρωπον constitutionem cum humanitate concurrat erit ergo, inquit, ens incompletum: fateor eo resistentem, nec id vllam diuinitati imperfectionem adspargentem.* Putat igitur, personam θεανθρωπον esse certum quid, resultans demum ex compositione; quod cum theologis recte improbat.

§. 242.

*Deciditur
questio.*

Nunc grauissima quæstio examinanda erit *an corpus Christi queat esse omnipræsens?* Corpus omne, quod paulo ante cognouimus, viri-
bu:

us agendi prædicitum est, sed limitatis per multitudinem, quæ phænomenon materiæ, & perariam determinationem, quæ phænomenon compositionis exhibet. *Omnipræsentia est status operandi omnia in omnibus creatis. Si corpus Ter omnipræsens; non haberet amplius vires operandi limitatas: quod est contradictorium. Quod enim in omnibus operatur, non operatur in hoc ut illo genere tantum.* Ita tibi videtur dnn. reformatorem sententiam secuto, mihi non ita, rationem ex antecedentibus contrarium elucescit. Non probavi, DEVM omnia operari in omnibus, eoque non obstante operari etiam singulari ratione tantum in quibusdam, exclusis ceteris, eoque *omnipræsentem esse, & uni tantum loco præsentem, diuerso respectu? An id impossibile foret? an contradictionem inuolueret? Atqui nihil est ratio corporis Christi: potest esse præsentem uni loco, limitata præsentia, quam habet ex humana naturæ vi, & tamen iterum omnibus* 411) locis præsens præsentia λογος, quam per rationem habet; eoque diuersus intuitus ideas, in rationem aduersas, amicissime conciliat. Quidquid hic dogmati obieceris; obiectum etiam esto prioris quod! ne tu quidem vocare in dubium audes.

411) Sententia de possibili omnipræsentia corporis Christi non Lutheri demum tempore, aut ab eius baptizatoribus fuit excogitata. Leo de incarnat. necess. serm. 8. *Vtrique naturæ, inquit, in suis proprietatibus permanenti tanta est unitatis facta communio, ut, quidquid est ibi DEI, non sit ab humanitate disiunctum; quidquid autem est hominis, non sit a Deitate diuisum.* Hugo de S. Victore L. II. de sacram. P. VIII. cap. 11.

Quomodo corpus Christi unum eodem tempore in diuersis

sis locis esse potest? hic est, ibi est, & totum utrobique est, & in multis locis similiter. Noli mirari, qui locum fecit, corpus fecit & locum in corpore, & corpus in loco. Qui, ut unum corpus in uno loco esset, fecit sicut voluit, & si voluisset, aliter facere potuisset. Ipse Forerius, acerrimus omnipræsentiae hostis, in bello ubi quit. p. 173. citat locum ex episcopo Roffensi: neque enim sequitur: potest per operationem DEI corpus aliud quod ubique esse: igitur ita est, de facto: neque enim Deus ad effectum producit, quidquid potest. At neque theologi ita colligunt. Ipsum factum ex sacris litteris probare instituunt; το δυνάτωρ autem testimoniis aliorum & rationibus probant. Adde, quæ apud Bellarminum L. III. de Christo c. 1. paragrapho, qui his incipit verbis (auctor huius &c.) Stapulensis in eandem sententiam disputat, citata etiam a Coccio T. I. thesaur. L. II. artic. 2. Pertinet huc suo modo sententia Poinetti, episcopi Angli, qui in Diallactic. fol. 81. his verbis utitur: vident substantiam a nobis præsentem affirmari, & communionem nostram cum Christo naturaliter, & ut ita dicam, substantialiter prædicari sed has voces ut theologi loquuntur, intelligi oportere. Ostendit etiam Io. Cosinus, episcopus Dunelmensis, histor. transubstant. papal. cap. II. num. 4. p. 9. sequi docuisse Poinettum, eucharistiam non solum figuram esse corporis Domini, sed etiam ipsam veritatem, naturam ac substantiam in se comprehendere.

§. 243.

*Explana-
tur ulter-
rius.*

Naturali præsentia homo illis rebus interest quas sensus siue ordinarii, siue gloria vestiti diuina repræsentant, & in quas agere solent: atque hæc præsentia non tollitur, etiamsi corpus per aliam vim personæ, qua sustentatur, immensam omnia repræsentet, & omnia operetur. Dicis omnia operari & repræsentare, & quedam operari ac repræsentare sunt αὐσατά. An est quæso αὐσατόν, ut DEVS in rebus creatis omnibus operetur, & tamen in solis etiam renatorum animis:

Non

Non est, inquis. Cur autem quæso? diuerso re-
betu diuersa DEO potest competere operatio, eo-
que præsentia. Tibi hoc, quæso, responsum pu-
tato. Corpus igitur & Christi per naturam suam
potest operari in quibusdam, sensibusque suis
repræsentare tantum aliqua, id est, actu nature
esse vni cælorum loco præsens: at etiam alio
respectu idem corpus per immensam λογῆς, cum
quo coniunctum est, vim, operari omnia, id est,
ex mea definitione esse omnipræsens. Vbi est
illa contradictio, quam tantopere vrgebas, ob
quam adeo aduersarios reprehendebas? Nondum
probasti vllam.

§. 244.

Nunquid in corpore est, cui omnipræsen- *Illustratur*
tia repugnet? tria allegaui. Quodnam illorum *porro.*
omnipræsentia repugnat? an vires agendi? atqui
æ perfectionis numero habentur; tu vero nosti,
nihil obstare, nisi forte limitationem, quo mi-
nus perfectio perfectioni exacte consentiat. *Hoc*
osum est, inquis, quod volo. Obstat igitur li-
mitatio virium agendi in corpore, quo minus
omnia in omnibus agere, eoque omnipræsens eua-
lere queat. Triumphas ante victoriam: si limi-
es corporis tollerentur, & ipsæ vires eius agen-
ti eueherentur in immensum, diuersa numero
sorta corporis præsentia; tum haberes, quod
exprobrares: duæ enim existerent omnipræsen-
tiæ; corpus desineret esse finitum, qua est corpus,
non sine absurditate summa. (412) At nosti,
non spectare sententiam, quam impugnas.
Corpus Sospitatoris omnipræsens est, non qua
corpus,

corpus, sed qua cum λογος persona coniunctum eadem numero omnipresentia. At enim sic non corpus tibi, sed λογος cum corpore omnipresentem videtur: ita in λογομαχίαν tandem litem tantas evanescere, non sine risu exclamas. Sed interpestiuo sane risu! lubeo te redire in memorias unitatis & unionis, quam consulto in antecedentibus definiui prælagiens hæcce effugia. A humana Christi natura persona est seorsum considerata? Non est, ais. Habetne igitur alienam sustentatur omnino, hoc enim verbo vteris (413) a persona τὸ λογος. Ergo caro unita est, quæ cum persona λογος vnum exhibet συνθετον. Qui autem est λογος, cum quo caro vna est personæ composita, quam immensa vis operandi? Non potest igitur hæc non in & per carnem semet exercere. Qui autem, inquis, vis loco alligata finito consisteret non absorpta cum immensa agendi? quæro & ex te, ratione simili: qui fieri potest, ut operatio DEI in omnibus rebus non absorbeat determinatam actionem in cordibus fidelium? id est, cur non gratiosam DEI præsentiam euerteret tam late per omnes res creatas patens præsentia? forte immensa illa præsentia est seiuncta a definita DEI in credentibus operatione: forte non DEVS, sed alia vis in corde credentis semet exercet saltem cum Deo? sequitur ratiocinando dubium tuum. Quis autem illud adprobauerit? Annon idem DEVS, qui in omnibus operatur, operatur & in quibusdam fidelibus, illinc ex natura, hinc ex singulari gratia. Cur vero non etiam idem corpus in omnibus possit

posset operari, nec tamen non etiam in aliquo
solis, illinc ex gratia unionis, hinc ex na-
tura corporis? Ecce instantiam, discursus tui
ororem, sed fratricidam!

(412) Plane incommoda est eorum sententia, qui di-
uersa numero omnipræsencia corpus Christi vbique esse
contendunt. Altera enim non posset non esse *expansiva*.
Vid. Budd. theol. dogm. L. IV. cap. 2. p. 1055.
vbi vir summus hanc sententiam improbat.

(413) Turretini verba in theol. elencht. loc. XIII.
quæst. 8. §. 24. p. 356. hæc sunt: *assumptio natura po-
test consistere absque communicatione hypostaseos; suffi-
cit sustentatio hypostatica, ut natura humana, qua in
se est ανυποστατος fiat ενυποστατος λογω & ab eo su-
stentetur.* Negant igitur communicationem hyposta-
seos, sustentationem duntaxat admittentes.

§. 245.

Non esse impedimentum, quod obstat, quo
minus corpus queat esse præsens omnibus locis,
intelligitur per modo explanata; non præter-
suntendum tamen est & hoc: omnipræsencia est
potentissima in omnibus rebus operatio, earun-
emque repræsenticatio distinctissima. Operari
dicitur A. (vt supra adnotatum §. 230.) in B. si
actio cuiusdam C. in B. obseruandi, nec ad huius
sententiam pertinentis, reperiatur in A. *Causa fi-
nalis igitur non agit, sed eius representatio.*
Quodsi Christi humana natura non est omnipræ-
sens, non operatur nisi in cœlo in certa obiecta,
vnde vis agendi extenditur. Cum ergo san-
guine humanæ Christi naturæ in regno gratiæ
redimi, emendari, mundari dicuntur homines;
actio istius rei non est in operatione sanguinis,
sed humanæ Sospitatoris naturæ, sed in diuina
sanguini-

*Argumen-
ta pro hac
sententia.*

sanguinis repræsentatione quærenda. Clarius *non ipsa actio sanguinis Christi nos mundat*: aliter enim, per definitionem, nobis foret præsens sed DEVS nos mundat, seruat, restituit, *intuit sanguinis & absentis humane nature Christi*. Quæ pacto sanguinis & Christi hominis præsentia non *realis*, sed *moralis* solum est, minime diuersa a V. T. modo præsentia, vbi Spiritus intuitu futuri sanguinis corda fidelium perpurabat. (414)

(414) Ne quis obiiciat, ex recentiorum mentem futurum, ut anima non sit præsens corpori, in quod physico influxu haud agat: rogo, ut beneu. lector actionis & passionis definitionem §. 236. traditam expendere intelliget hoc sensu & animam in corpus agere & efficacissimum, quod ad præsentiam constituendam & defendendam sufficit. Vid. monadol. §. 52. Adde, quod hoc de operatione DEI loquamur, quæ & corpus & animam omnium consensu potest afficere. *Alterius alterum actio idealis nititur natura; actio autem moralis cuiusdam absentis in rem, per aliud præsentia nititur consensu*. Enigmata loquor, pro iis, quæ curæ est hæc obiectio.

§. 246.

Qualem reformati præsentiam & vnionem statuere debeant?

Vnio moralis est, *cum plures sunt vni consensu ultroneo*. Ex ea fluit præsentia moralis cum non ipsum A. agit in B. sed quum C. agit in B. intuitu τ₈ A. Sic rex *moralis præsentia* præsto est subditis cunctis, per amplissimas terras diffusis, propter magistratus subordinato qui intuitu eius agunt omnes. Quem fug Clerici sententia, (415) qui vnionem *car-* carnis in Christo *mora-* moralem fecit? ita ille: *DE non potest aliter vniri cum spiritu creato, qua*

consensu unicum totum componendi cum eo, adeo
 ut utriusque proprietates & actiones & creaturae
 affectiones toti composito tribui possint. Credit igitur
 vir doctissimus, carnem Christi non operari
 in rebus creatis omnibus, sed λογος intuitu carnis,
 cum qua pactum iniit, ut quidquid ageret
 λογος, imputaretur carni. Necessarium igitur
 est, ut acutissimi dnm. reformati suam ab hac se-
 pararent causam, quæ nonnihil suspecta est: si dixe-
 rent, carnem & sanguinem Christi Io. VI 54. seqq.
 non operari ipsa in gratiæ regno huius terræ, sed
 λογος intuitu eorum; stabilient unionem cum
 illico moralem, ex definitione modo data,
 moralem, inquam, præsentiam, & unionem,
 excepto solo isto, cui Christus in cœlis interest,
 in regulo, ubi unio realis cum præsentia maneret
 reali. Si dubitas; cogita definitionem unionis
 moralis. Qualis est unio λογος his in terris cum
 carne? an personalis? atqui caro non est in ter-
 ris; unio autem sine alterutro extremo concipi
 non debet. Ergo unio est eiusmodi, ut λογος
 in terris intuitu carnis absentis, cœlo autem præ-
 sentis, agat, & ob voluntatem & meritum ab-
 sentis. Ea autem unio ex definitione moralis est,
 licet in hac terra. Idem sentiendum de præ-
 sentia. Si dixerint vero, non λογος intuitu car-
 nis, sed carnem ipsam in illius persona ubique
 operari; concedunt omnipræsentiam carnis,
 consensu adcuratissimo nominatam.

415) Vid. Liberii de S. amor. epist. theol. p. 12. illus-
 trat unionem moralem hoc simili. Si contingeret,
 alicuius e contrahentibus longe maiorem esse auctorita-
 tem, quam aliorum, ut si rex potentissimus cum longe
 minori

minori principe fedus feriret iis legibus, quas diximus si quid nomine societatis princeps faceret, eadem auctoritate ageret ac rex ipse, & si quid in eum committeretur, non in eum tantum, sed in totam societatem, a proin in regem ipsum admissum censeretur, & equitrox iudicaretur, ac si in ipsam regis personam perpetratum esset. Similiter intercedente illo consensu, a quo diximus, naturæ humanæ Christi perpeffione Δεαυθρωπω iuste tribuuntur, ac proinde infiniti ponderis esse possunt. Semper quæstio redit, qualis sit vni carnis & λογος, vbi caro absens est? Non potest esse personalis vnio: illa enim, quam vocant, personalis sustentatio nullibi contingit, nisi in certo loco, cui caro præsens est. Ergo in ceteris non potest haberi locum nisi vnio moralis, vt quæ λογος agit, qui agit intuitu meriti & consensus carnis, carni imputetur, & vicissim, quæ in λογον admittuntur peccata his in terris perpetrata, putentur contra carnem in cælis: ob quam causam indigni cænæ hospites iniqui in corpus Seruatoris adpellantur, estimio tantum moralis. Non differt hæc sententia ab opinione Clerici, nisi quod illa, in vnico loco, quo caro personaliter sustentatur, realem unionem relinquat, in ceteris intuitu meritis admittere debeat moralem; Clericus autem hæc posteriorem vniuersalem statuatur.

§. 247.

*Præsentia
sacra-
mentalís.*

Quando igitur non λογος tantum intuitu carnis, sed ipsa caro in persona λογος augmentu gratiæ operatur in sacri epuli hospitibus dignis corpus Christi præsens est secundum substantiam quid enim est, quæso, substantia generatrix omnis, quam, vt sæpe dixi, operandi vis, radius & fons? Cum autem iterum non λογος intuitu carnis tanquam absentis, sed ipsa caro in λογος persona iudicii diuini incrementum I. Cor. X. 29. operatur in conuiuio impiis: profecto ex ea
der

em ratione corpus Christi & secundum *substantiam* improbis præsto est. De modo præsentia-
 re operationis (416) non multum disputabi-
 mus. Quidquid hæctenus dictum est, id omne
 refertur ad recentiorum definitionem de præsen-
 tia. Quodsi cum ceteris *adversariis*, tanquam
 vi operandi distinctæ, mentionem iniecissem;
 præsentia extensi notio irrepsisset, confusionem mi-
 data grauissimam, ut ex §. 237. cognoscitur.

(416) De modo præsentia-
 re disceptatum fuit inter illustres
 duos viros dn. Pfaffium & Leibnitium. Dixerat hic in
 discurs. de harm. ration. & reuelat. §. 18. *protestantes*
Lutherum secutos non admittere corporis Christi inclusio-
nem in pane, imò ne unionem quidem corporis cum pane
eisdem concedere, quanquam concomitantiam possent,
ut duæ substantiæ simul accipiantur ore corporis. Cui
 occurrit celeberr. D. Pfaffius Tub. in dissertat. de con-
 secrat. veter. eucharistica §. 16. p. 449. pronuntians,
 per *solam concomitantiam realem præsentiam corporis*
Christi everti p. 466. *Corpus Christi esse omnipræsens*
ex mente illorum auctorum, comitari res quasuis, eo-
que in quouis cibo corpus Christi capiendum, nisi quæ-
dam unio ulterior doceatur. Respondit Leibnitius, se
 quandam coniunctionem admittere, in actis etudit.
 Lips. anno 1715. p. 376. Sed monuit tamen præterea
 quædam dn. Pfaff. in primitiis Tub. part. post. p. 259.
 Mea sententia *sacramentalis* corporis Christi præsentia
 differt a præsentia eiusdem, qua omnibus creatis præ-
 sto est, atque arguit singularem coniunctionem cum
 pane & vino, quæ in eo ponitur, ut per panem & vi-
 num, in conuiuiis sacri epuli, vel augmentum gratiæ,
 vel iræ diuinæ, operetur caro Christi; quod cum in aliis
 rebus creatis non operetur humana Christi natura, li-
 cet generali potentissima actione eas afficiat, regat, &c.
sacramentaliter his, nec eo modo aliis, præsens esse
 dicitur *in, cum & sub* pane & vino. Hæc sacramentalis
 præsentia est singularis operatio, a promissione Christi
 pendens, sicuti ex aduerso corporis Christi in rebus
 omnibus generalis operatio, id est, omnipræsentia

pendet ab vnione personali. Ita Gerhard. loc. theol. IV. de persona & offic. Christi. p. 514. num. 264. *Præsentia sacramentalis vnice dependet ex institutione ordinatione Christi; voluntatem Christi ex verbis institutionis vnice probamus, facultatem ex communicatione Christo per vnionem & sessionem ad dextram infinitæ maiestatis ac potestatis.*

CAPVT VIII.

OPPORTVNITATEM PHILOSOPHICÆ RECENTIORVM SISTENS IN ARTIC. DE SATISFACTIONE CHRISTI.

§. 248.

*Transitus
ad materiam.*

NON absque metaphysicæ subtilioribus ideæ doctrinam paulo antecedentem potuimus persequi. Nunc vero dogma longe grauissimum & ad salutem æternam omnino comparatum, considerandi debet cum notionibus recentiorum, quæ in philosophia morali exhibent. Satisfactio Christi cogitari non potest sine iustitia DEI; iustitia autem DEI generalem (417) iustitiæ notionem supponit. Nostrum non est, hanc sublime doctrinam vberius exponere, quod (418) theologis merito relinquatur: sed id nobis negotium datum esse existimamus, vt, quam amice recentiorum philosophemata cum his fidei capitibus conspirent, indicemus, dicturi tum de *necessitate*, tum de *perfectiōe* satisfactionis.

(417) Non est, cur cum viro præstantiss. Webero in resp. ad Leibnitii epist. p. 10. not. 18. dicamus: *naturale hominem de iustitia diuina certi quid statuere non possunt quum etiam sanctissimis & diuina luce irradiatis viribus meditationes subinde crucem fixerint.* Vtut enim ho-

verus

verum sit; illud tamen non consequitur. De Carneade interim constat, quod omnem iustitiam exploserit. Iam ante Grotium in præfat. ad op. de iure belli & pacis Lactantius libr. V. c. 14. p. 336. 337. memoriæ prodidit, Carneadem *uno die iustitiam laudasse, altero contraria* disputatione eandem euertisse. Idem auctor p. 342. l. c. argumentum Carneadis non esse solum a Cicerone obseruat. Habebat vero ita: *si datur iustitia, aut fundatur lege positua, aut naturali: non positua, que pro diuersitate ciuitatum variat, sæpe altera alteri contraria est; nec vero etiam iustitia nititur lege naturali: nam hoc ius nihil aliud est, quam instinctus nature, omni animanti ingeneratus, quo fertur in id, quod est utile, neque vero iustitia ad hunc instinctum ad commodari potest sine mille fraudibus.* Quis autem sanus concedat propositionem posteriorem? Confundit sophista priuatam singulorum utilitatem, a ceterorum commodo seiunctam, cum publica generis humani omnis utilitate. Hac iustitia nititur, non illa. Sed hæc facilia. Vid. Cicero L. I. de legibus fol. 330. Augustin. de ciuitate DEI L. II. cap. 21.

418) Complures enim eximii theologi in probanda contra Socinianos satisfactione desudarunt. Gerhard. in erroribus Socin. Ien. 1609. Stegmann. in succincta refutat. errorum Photinianorum. Dürrius, Spener, Calouius, Scherzer, Schomerus &c. nostris temporibus Io. Francisc. Turretin in peculiari tractat. de satisfact. Addo, quod in priori nota sum oblitus: Carneadem aut minus consentanea docuisse, aut sententiam emendasse, aut non recte fuisse intellectum. Ita enim de eo Cicer. de finibus L. II fol. 223. *Si scieris, inquit Carneades, aspidem occulte latere vsquam, & velle imprudentem aliquem super eam assidere, cuius mors tibi emolumento futura sit, improbe feceris, nisi monueris, ne assideat.* Iustitiæ singularem notionem, quam iam sumus adoptaturi, Leibnitiuſ dedit in præfat. ad codicem diplomat.

§. 249.

Iustitia, quæ dogmati satisfactionis præ-
uitur, ex sententia recepta (419) est constans

*Iustitia
quid &
quotu-
plex?*

& perpetua voluntas suum cuique tribuendi.
 Cum qua definitione mox nostram comparabi-
 mus. Iustitiam cum Hugone Grotio diuidun-
 in expletricem, siue particularem, & attributri-
 cem, siue vniuersalem. Iustitia expletrix est
 que prestat officia, quæ alter iure perfecto exige-
 re poterat. Attributrix autem officia exercet
 ad quæ ius imperfectum alteri competit. Iustiti-
 expletrix in rectoriam & æquatoriam subdiuidi-
 tur. Illa inter inæquales; hæc vero inter æqua-
 les habet locum.

(419) Vid. Buddei philos. practic. L. II. c. 2. §. 45. 46.

§. 250.

Noua iu-
 stitie de-
 finitio.

Ex mente recentiorum autem iustitia defini-
 tur per bonitatem, quæ administratur sapientie.
 (420) Eadem, inquis, ratione, ordinem inuen-
 tendo dicere liceret: iustitia est sapientia cum bo-
 nitate administrata. Arguis ex verborum soni-
 nec, quid vocabula significant, reuocas ad an-
 mum. Bonitas est virtus DEI, qua solet imper-
 tiri perfectiones; sapientia vero est virtus, quæ
 obseruat conuenientiam. Num obseruationi con-
 gruitatum exercendæ inseruit largitio bonorum
 vel an potius vicissim largitioni bonorum admi-
 nistrandæ inseruit obseruatio conuenientiæ? Ar-
 bitror, priora esse dictu parum apta; posterius ve-
 ro adprobandum.

(420) Vid. Wolfii metaph. §. 1084. Die Güteigkeit
 welche nach den Regeln der Weisheit sich richtet, ist
 dasjenige, was wir Gerechtigkeit nennen.

§. 251.

Contendamus ordinariam definitionem cum nostra. Iustitia est studium tribuendi suum cuique. Qui bonus est, tribuit cuique: (421) si bonitate sapienter utitur, non tribuit aliena, id est, suum. In quo differt hæc nostra definitio a communi, quam in eo, ut ostendat euoluto conceptu, quid sit *suum* cuique tribuendum? Nimirum id, quod suadet sapientia ex rerum conuenientia obseruatum. Conuenientia autem attingit rerum harmoniam, ut consequentia suauiter concinant cum antecedentibus: ut antegressas v. g. actiones bonas sequatur remuneratio, malas excipiat pœna, aut per se sustinenda, aut per substitutum vadem, qui pro peccatis satisfacit, de quo mox plura.

Comparatio utriusque.

(421) Vid. de his plene differentem ill. Bilting. in dilucid. §. 449.

§. 252.

Qui ita bonus est, ut sapientia inducatur ad tribuendum, quod leges tribui volunt, ornatur iustitia *explettrice*: qui bonus est, ut sapientia moueatur ad tribuendum, quæ humanitas poscit, floret iustitia *attributrice*. In explettrice rectoria debentur vel præmia, vel pœnæ. Bonitas ergo, quæ sapientia temperatur, respicit quoque ad hæc. Duplex hic occurrit dubium, tam ad præmia, quam ad pœnas pertinens.

Diuisio iustitiæ.

§. 253.

Pœna quomodo potest esse fructus bonitatis sapientia temperata? pœna est malum passionis, *inflictum*

Remouetur dubium.

344 *Cap. VIII. Opportunitatem philos. recent.*
inflictum ob malum actionis. (422) An malum
critur a benignitate? Dudum respondit vir do-
ctus. (423) Sapiencia benignitatis superpondium
aufert, ut bonum capacitati respondeat subiecti
ne dissensus oriatur inter collatum bonum, & il-
lum, cui bonum debebat conferri. Quin pœna
damni in suffaminato per sapienciam benignita-
tis vltioris exercitio ponatur, dubium est nul-
lum. De pœna sensus videtur quæstio difficilior
quam tamen solide examinavit idem auctor.
(424) Nimirum ex recentiorum mente dolor
omnis, in quo pœna sensus vertitur, vel in cor-
pore spectatur, vel in animo. Illinc est diuisio
continua; hinc representatio illius imperfectio-
nis. (425) Itaque pœna nihil est, quam perfe-
ctionis absentia, seu fructus suspensæ, sapiencia
saagente, benignitatis.

(422) Vid. tractat. Hochstetter. de iure pœnar. p. 2.
 §. 2.

(423) Ill. Bilsinger dilucid. §. 447.

(424) De origine mali. §. 252.

(425) Wolf. metaph. §. 427.

§. 254.

*Si a G. -
 nitor au-
 ctam.*

Sapiencia tantum suadet benignitati, ut in
alios boni quid conferat, sed iustitia expletrix
obligat hominem, ut id faciat, respondente po-
stulandi in altero iure: non potest igitur iustitia
generatim esse benignitas, quam sapiencia mode-
ratur. Est hoc alterum dubium pridem quo-
que, ut prius illud, sublatum. (426) Ius po-
stulandi præmium, iustitiæ expletrici respondens,
arguit imperfectionem: est enim a perfectissima

DEI

DEI iustitia alienum. Atqui definitiones ita for-
mandæ sunt, vt sub se complectantur definita
omnia: speciales definitorum condiciones in pro-
gressu demum demonstrationis eruuntur.

(426) Ill. Bilfinger. dilucid. §. 446. Vbi in puniendo
positius hominum actus intercurrit, pœna proprie
continetur confectario eius, non ipso actu. Qui sup-
plicium extremum & adiudicat, & infligit, agit ali-
quid; ipsa autem pœna est actionis fructus, contine-
turque priuatione vitæ. Pœna igitur semper est pri-
uatio.

§. 255.

Frequenter fui miratus, quo pacto dici amor
ipse DEVS queat, qui tamen exquisitissimis tor-
tibus damnatos subiicere, flammis nunquam
extinguendis cruciare, dolore ineffabili in extre-
nam desperationem reprobos coniecere solet.
An æque DEVS *ira* dicendus, ac amor? Num
tanta atrocitas (hæc enim sunt obstreperæ carnis
nefanda verba) in amorem cadere potest? O in-
sanos motus, qui rerum supremo iudici dicam
scribere non erubescunt! DEVS puniendo, rem
creatam actione infesta non exagitat, sed beni-
gnitatis actionem nunc iam suspendit. Num de-
init esse sol amœna lux, quum stulti apricum
subterfugientes, in cellas gelu rigidas recipiendo
emet, extinguuntur frigore? Non desit lucere
sol, sed ineptos non potuit suomet fulgore at-
tingere. Non enecavit sol improbum positiua
actione, sed limitato per densos cauernæ muros
splendore reliquit stupidum suæ caligini. Similis
ratio est pœnarum DEI. Qui non in benigni-
tate DEI manent Rom. XI. 22. exciduntur, non

*Quomodo
DEVS
punit?*

culpa benignitatis, sed culpa neglectus, quo illi posthabita est. Manet benignitas DEI, quæ & quanta est; sed non manent scelerati in benignitate. Manet DEVS amor; sed illi non manent in amore. Indignitas igitur peccatoris, per sapientiam detecta, facit, ut ulteriori benignitati affluxu non fruatur. Huius suspensionis autem repræsentatio distincta, siue, quod idem sonat intelligentia, dolores parit incredibiles. Quodsi DEVS positivo actu excruciet malignos, desineret esse amor, degeneraturus in iram; sed non affligit agendo: verum non continuando bonitatem, cuius vel præsentia vel absentia volupta vel tristitia oronis comprehenditur. (427)

(427) Hinc theologipœnarum æternarum atrocitatem in remotione a facie DEI collocant; ex II. Thess. I. 9 aliisque oraculis.

§. 256.

*Iustitia
Dei non
est arbitria.*

Cum benignitas perfectiones, quoad fieri potest, tribuere cupiat omnibus; sapientia verononnullorum repræsentet indignitatem: intelligitur, non penes DEI voluntatem, licet benignissimam, stare, ex quavis re præstare quamvis, sed certas rerum conuenientias, scheses nexus, id est, veritates & essentias iam ante voluntatis diuinæ decretum supponi: alias posse DEVS ex indigno peccatore pro arbitrio dignum reddere, & pœnarum infligendarum necessitatem pro lubitu auferre. Detestanda igitur est Poireti aliorumque de essentiis arbitrariis, a DEI voluntate pendentibus, (428) opinio, qua satisfactio Christi prorsus evertitur. Iustitia est, qua

suum

suum unicuique tribuit. Si rerum conuenientiæ omnes arbitrio DEI subiiciuntur; non tribuit DEVS *suum* cuique, sed unicuique tribuit, quod *vult*. Nulla heic conuenientia voluntati diuinæ substrata indicat, quod cuiusque *suum* sit, ipsa potius DEI voluntas distribuit cuique *suum* pro lubitu, sine ratione, ex obiectorum nexu desumpta. Puniendus igitur erit malignus, non quia est indiuiduus inter peccatum pœnamque destinatam nexus, sed quia DEVS pro arbitrio hunc nexum esse voluit: præmio afficiendus pietati studens, non ob nexum remunerationis cum probitate, sed quia DEVS sine ratione ex obiecto petita vult: *stat pro ratione in subiecto voluntas*. Posset igitur etiam innocentissimum (429) æternis torquere plagis: non enim DEUS nexum meritorum & pœnarum inuenit, sed ex voluntatis beneplacito demum facit. Qua sententia nihil potest esse pestilentius.

(428) Opinionem de essentiis arbitrariis tuetur Poiret. Oeconom. L. I. c. 5. §. 7. p. 51. seqq. in cogitat. rat. L. III. c. 10. §. 5. p. 395. in veris & cognitis omnium primis p. 11. 272. Cartesius vol. 1. epist. 112. vid. ill. Bilfingeri dilucid. §. 21. Dabo locum, quem ill. Bilf. omisit. Statuit Poiret possibile *anteideale*, quod nihil est, nisi efficacia voluntatis diuinæ, ex parte creaturæ absolutum NIHIL: *postideale*, quod habet a DEO ideam, quæ posthac existentia donari potest. Obiecerat Pungelerus, obiicit ill. Bilfinger c. 1. *stante hac sententia DEO possibile anteideale incognitum futurum fuisse, saltim determinate, licet vage sciuisset efficaciam voluntatis, vt si pictor nouit, quam elapso anno artem sit exerciturus generatim, speciatim autem ignoraret, quodnam opus sit excogitaturus?* respondet Poiret in *cognitis veris & primis* p. 102. *Si aliter, inquit Pungeler, potuit DEUS, quomodo hoc ipsi DEO potuit esse*
inco

*incognitum? Respondeo: cognition ipsi fuit, se liberum esse, vel in se solo manere sine egressu, vel extra se lu-
dere, si labeat. Ideæ autem hæcenus non cognita, hoc est, non fructuæ erant. Ita concedit auctor, determi-
natam possibilis anteidealis cognitionem non ceci-
dissè in DEVM, quam sententiam nemo temere secu-
tus fuerit, maxime ideo, cum auctor & alibi de omni-
præsentia doceat, quæ perfectissimo ente indigna sunt.
Peropportune sit, ut opinio arbitrariarum essentiarum
defendi nequeat, sine adoptata sententia periculi ple-
nissima. vid. colleg. Pufendorf. Höchstetleri p. 33.*

(419) Hæc est sententia Angli Tyvilli *in amore DEI
erga mortales*: cui & alias contra Arminium varia edi-
dit, præsertim vindicias gratiæ, potestatis & providentiæ
divinæ, quibus in eandem opinionem videtur passim
propendere.

§. 257.

Benignitas, quam sapientia dirigit, iustitiæ
adcuratissimo sensu dictæ titulo digna est. Dixi
id aliquoties, submotis dissentientium dubiis.
Sapientia rerum convenientiam, pulcritudinem
& nexum observat, media aptissima finibus præ-
stantissimis subordinando, quo nexu nihil potest
esse præclarus, nihil sapientia dignius. Finita
sapientia mediocris sæpe ab hoc scopo deflectit,
non peruidens omnia, turbat aliquando ordinem,
labefactat convenientiam. Maior sapientia ab
hoc errore tutior. Infinita, quæ DEI solius est,
sapientia rebus præsidens cunctis non potest non
rerum congruitates omnes omnino possibiles,
præteritas & futuras, animadvertere, nec ab il-
lis recedere vel latum quidem, ut ita loquar,
vnguem. Itaque convenientias vel observat pro
se perpetuo, vel ab aliis neglectas curate restituit.
Quod ni faceret, delectata aut connivens si non
fuis,

*Deus in-
fuit non
potest re-
mittere
delectata
ne satis-
factione.*

suis, aliorum certe *inconuenientiis*, suprema non foret, eoque nec diuina. Summum dissensum in rebus parit, conuenientiæque potissimum obstat violatio legis, quæ ad euerendam rerum harmoniam cum maxime nata est. Fieri ergo nequit, quin DEVS in restituendum hunc dissensum, ea, qua floret sapientia, incumbat totus. Compensatio dissensus lege violata introducti expiatorius est & internus pœnarum finis: ergo DEVS non potest non peccata curare expianda. Ergo satisfactio, quæ peccatis expiandis continetur, summo necessaria est opere. (430)

(430) Habes hic inuictum necessariæ satisfactionis, præfiscini dixerim, argumentum. Fundatur quippe rerum conuenientia. vid. Leibnit. theod. §. 73. Sapientia obstat operis dissolutioni, ne *eadem conseruantur ex diuersis*, nullo ordine, nexu nullo, id est, ne bonas actiones mala sequantur, aut vicissim. Hæc ratio conuenientiz prima est secundum rem ipsam enata. Accedit alia ratio, a spiritibus intelligentibus quibusuis perita, quorum nemo non ordine vel continuato, vel restituto mirifice delectatur, more, quo arcti musica aut concinna structura solemus. Hæc duas rationes Hobbesius, Sociniani, alique satisfactionis hostes, ante oculos non habuerunt, quum satisfactionis indicabantur necessitatem; ea autem obseruata dubia Sociniano- rum cuncta facillime soluantur. Dabimus breue specimen. Nescio interim, an Sociniani hac parte Lockius adscribendus? quia *librum de religionis christiane, prout in sacris litteris traditur, rationalitate edit.* Quem Io. Eduard. Socinianissimi coarguit, in *meditationibus de causis & occasione atroxis, hodierni præsertim sæculi.* Quibus Lockius *remaneas libri de religionis christiane rationalitate opposuit: defendente accusationem Eduardi in dissertatione, qua tantus nuper scriptoris rationalitatis religionis christiane de unico fidei articulo offenditur*, Londini anno 1696. vbi Lockio vitio vertit, quod *uno fidei articulo confutato*

satisfactionis fecerit mentionem nullam. Quid de Grotio, summo viro, dicendum? qui anno 1618. emisit *defensionem fidei catholice de satisfactione Christi aduersus Faust. Socinum Senensem*; cui Io. Crellius, Francus, *responsionem ad Grotii librum de satisfactione* obuertit. Exstat in bibliotheca fratrum Polonorum. Quid Martinus Ruarus de hoc certamine iudicet, lege in epist. VIII. centuriz primæ p. 59. dissentit tamen a sodali Sociniano Michael Gittichius in epistol. ad Ruarum centur. prim. 63. p. 278. conquestus de Grotio, quod *sententiam de satisfactione tuatur in annot. ad Ephes. I.* Grotium autem, quem mala fide satisfactionem defendisse putat, Ruarus defendit epist. 64. p. 282. at & hanc defensionem Grotii impugnauit Gittichius *in fine partis primæ p. 465.* maximo Grotii commodo. Disputatum etiam est de Grotii sententia ab aliis. *Hermannus Rauenspergerus quadam in Grotii discursu de satisfactione reprehendit.* Io. autem Vossius *edidit responsionem ad iudicium Rauenspergeri T. I. operum eius p. 883.* Grotius ipse gratias egit Crellio pro refutatione sui libri epistola sing. quæ exarata d. 10. May 1631. Confer. Paul. Colomes. dans la bibliothéque choisie.

§. 258.

*Deus puni-
t ob pec-
cata præ-
terita.*

Quam necessarium est, vt sit DEVS sapientissimus; tam quoque fieri non potest, vt nullam conuenientiz rerum gerat curam, vt exorto peccatum dissensu compensationem omittat. Non igitur respicit puniendo duntaxat ad futura, ne quis posthac violatis legibus vniuersi perfectionem & consensum disturbet, sed intuetur etiam præteritorum peccatorum, conuenientiz antehac derogantium, abominationes, partim quod funestiarum consequentiarum peccati series per totum systema exporrigitur, partim vero, quod præcipuum, ne vllus hiatus, seu lacuna vlla non expleta maneat, licet admitta iam antehac: id enim sapi

pienitiæ diuinæ, quæ compensare dissensum posset, foret exprobrandum, atque etiam intelligentes spiritus, memoria præteritorum affectos, eodem modo haberet male. Qui inconuenientiæ præteritæ, vel præsentis, vel futuræ indulget, impietissimus non est. Cæcus itaque sit, qui ex principiis recentiorum non minus ac ex theologorum, satisfactionis necessitatem non perueniat.

§. 259.

Sed occurritur nobis dubio speciosissimo, *Resoluitur*
quod & theologorum de necessitate satisfactionis *dubium.*
is, & nostram causam premit. Contendunt theologo-
logi, *iustitiam vindicativam esse DEO essentialem: non posse igitur peccata dimittere immunita: plectere ob eam causam Numen supremum necessario.* Atqui eadem ratio est benignitatis, quæ non minus pertinet ad essentiam DEI, ac iustitia quidem; nec tamen DEVM necessario in reos boni quid conferre quisquam dixerit. Aut igitur de benignitate sentiendum idem, aut de iustitia sentiendum aliter. Attingit illa difficultas & causam nostram. *Iustitiam diximus bonitatem sapientia administratam:* ut igitur ob sapientiam benignitatis effluvia diuinæ aliquando uniendi causa necessario limitantur; sic & eadem suadente sapientia, ubi maior est benignitatis fructuum in creaturis capacitas, extendentur & augebuntur necessario. Sic DEVS non potest non afficere præmiis. (431)

(431) Est hoc Socinianorum præcipuum dubium, in *antithesi doctrinæ Christi, & antiChristi de vno vero DEO,*

DEO, in aliis etiam libris maxime exaggeratum, v. mirum non sit, huiusmodi errores cum negata trinitate & Christi diuinitate coniunctos Turcismo proximos declaratos esse. Vid. Hornbeck in apparat. ad conuouers. Socinian. p. 98. Idque factum a theologi Lugdunensibus Batau. Non alienum quoque a iustitia fuit, cuius satisfactionis intererat, homines, Christi satisfactionem inficientes, expellere oris christianorum quod Adolpho Venatori ministro Alcaer. contigit confer. Voet. polit. eccles. T. II. L. IV. p. 533. d. horrendo libro, quem sub prelo habebant 1647. in scripto: *Tormensum trinitatem throno deturbans* vic respons. Cocceii ad apolog. equit. Pol. fol. XXXV 2. vers.

§. 260.

Responde-
tur.

Diuersa est benignitatis & iustitiæ DEI ratio. Nemo creatori quidquam tribuit, vt esse quod sua benignitate compensaret Rom. X. Nullum hic bona postulandi ius; nullum meritum, ne species quidem. At vt iustitiam Deus exsequatur frequentissime, peccatis læsorum cum maxime refert, quo ipso ius quoddam suo sent ipsis enascitur, iustitiæ exercitium postuland. Concurrent igitur hic duæ rationes, vt iust agatur: *conuenientia diuini operis*, quam tuendam sapientia suadet; & *aliquod ius eorum*, quod extra Deum peccatorum indignitate violati sunt. Arctius hæc ratio iustitiam DEI vrget, & quoddam imponit necessitatis speciem; contra ad benignitatem ipso opere significandam nil tal DEVM inducit, nisi rerum conuenientia, cuius vis omnis in repræsentatione suæ ipsius sapientiæ posita est. Hinc misericordia *æque certa*, se non æque necessaria *ac iustitia* esse solet. Ad dendum eodem, quod notatu dignissimum
beni

benignitatis notionem esse simplicio-
rem; iustitiæ vero compositam. Qui benignitatem cogitat,
bonitatem DEI ad bona tribuenda cuius animo
est suo; contra qui iustitiam concipit, præter
benignitatem intuetur etiam eius temperamen-
tum, a sapientia additum pro conditione obiecti.
Iustum igitur non est, cum in benignitate cogi-
tanda a dispensandi congruitate, per sapientiam
observata, tantisper discedamus, tantæ ibi neces-
saris ideam non interuenire, sed libertatis sum-
mæ obuersari notionem. Sapientia enim bonita-
tis exercitium limitat, & quoddam velut mora-
le vinculum iniicit. Quanquam non diffitear,
quod summæ benignitatis exercitium semper a
sapientia dirigatur, eoque iustitiæ remuneratri-
cis classem referat, qua DEVS benefaciet certis-
sime. vid. Ebr. VI. 10.

§. 261.

Hac igitur iustitiæ definitione substrata, eua-
nescunt Socinianorum dubia; faciemus in ali-
quibus ex definitione respondendi periculum.
Quod ad essentiam DEI pertinet, nunquam non
potest esse, inquit: atqui, si mundus peccato
mansisset vacuus, non habuisset locum iustitia.
ergo nec bonitas DEI necessaria est, ex eodem
argumento: iustitia enim est bonitas sapienter
administrata, nec extensa nimium. Distingua-
mus igitur oportet exercitium iustitiæ a iustitia
ipsa. Illud peccatores supponit; hæc semper
eodem manet, siue existant improbi, siue non.
Iustitia vero benignitati repugnat mala inferens,
quæ illatura foret bona misericordie virtus: non

*Solutio
dubiorum
Socinia-
norum ex
doctrinis
his.*

354 *Cap. VIII. Opportunitatem philos. recent.*
potest igitur illa ad essentiam DEI iure referri
 Iustitia est, ut sæpe monui, ipsa benignitas per
 sapientiam, quoad exercitium, ob indignitatem
 personæ suspensa, quod ob rationes grauissima
 beneficia non continuat; non potest contrarium
 esse sibi ipsi. Quodsi DEVS positiva actione
 mala inferret, contrarius benignitati fons in ipso
 scaturiret: sed falsum id esse probauimus §. 256
 An sol sibi contrarius est, si quis ob radiorum
 eius impedimenta frigore consumitur? *At ver-*
ius iustitia & misericordia admittunt gradus: plecti
DEVS quartam generationem, benefacit millesi-
mae. Responsum solidam iam alii dederunt
 (432) dabimus & ex nostris aliquam. Gradu
 admittit exercitium iustitiæ, non iustitia ipsa
 Non est, ne conceptu quidem, iustitia distincta
 a benignitate, sapienter administrata. Si restrin-
 gatur benignitatis effluxus; plectitur homo:
 per aliquod id fiat interuallum temporis; pœn-
 transire ad nepotes potest: si extendatur benigni-
 tatis effectus; succedit pœnæ præmium. No-
 igitur iustitia gradus admittit, sed bonitatis exer-
 citium, gradus admittens, constituit iustitiam.

(432) Vid. Hochstetter de iure pœnarum p. 76. §.
Quodsi liberi puniuntur; tum vel castigationem, vel pœ-
nam, suo quam delicto meruere, sustinent. Sed & le-
ista de puniendis improborum liberis ultra abnepote-
id est, tertiam seu quartam generationem non extendi-
tur, quia ad eorum conspectum pertingere potest huma-
na ætas, & parentes adhuc puniri eo spectaculo possunt
quod grauius illis, quam quod ipsi ferunt. Adde, quo-
istæ generationes peruersis plerumque antecessorum exem-
plis fuerunt corruptæ. Saulis posteritæ gens fuit san-
guinaria II. Sam. XXI. 1. &c. Non punit DEVS pec-
 cata parentum in liberis, partem culpæ patriæ nullatenus
 capien

cipientibus ; fieri tamen potest , vt parentum peccata occasionem dent animaduertendi in liberos ob propria.

§. 262.

Cedere ius suum DEVS potest , nisi eum Cetera So-
inferiorem quouis domino , debitum condonante, ciniano-
ut vilissimo homine , offensas prætermittente, rum dubia
ixeris. Qui ius cedit , sapienter cedat oportet, remouen-
et stulte faciendo grauius peccet. Atqui iustitia tur.
est bonitas cum sapientia copulata : non potest
deflecti a iustitia DEVS deflectere sine stoliditatis
macula ; quod vel cogitatu blasphemum. Debita
remittit pecuniaria , rationem paupertatis ,
et alterius ærumnæ habet : agit igitur intuitu
conuenientia prudenter ; atqui tu fingis DEVM
iustitia vindicatiua , id est , a studio peccatorum
conuenientias compensandi recedentem , nec
impedientem , contra sapientiam. Sæpe do-
minus æs alienum debitori remittit ; si per lon-
gum vero futurorum euentuum seriem prospice-
re possit , incommoda inde pro posteris nata ad-
uersarium impellerent , ex ratione conuenientiæ.
At penes Numen perspicientia congruitatum fu-
turarum omnium immensa est : non potest vel-
le illud a tuenda conformitate rerum abire ,
si quippe inconuenientiæ culpa , multo ante-
ignita , magis exprobrari possit , quam impru-
denti patrifamilias. Princeps etiam publicas in-
iuersitatem populorum admissas condonare po-
test iniurias : potest , si conuenientia commodi
publici suadeat ; nunquam autem suadet publi-
um commodum veniam peccatorum omnium ,
et a pœnitentibus petatur. Imbecillitatis hu-

manæ est, vt quædam crimina declinandi maioris mali ergo in republica fortiantur veniam, non potentia delinquentium, peccatorum multitudo vel scelerum inolita consuetudo maiores ciuitati turbas excitet: non autem est, cur hæc talia Deus metuat: sapientia ergo pœnarum conuenientiam suadet, si vel maxime resipiscerent omnes, cur nec in republica pœnitentes semper consequantur gratiam. *DEVS est nullo iure adstrictus arbitrio pœnarum premiorumque, non deterioris conditionis, quam reges.* Dimittunt utique reges alquando peccata impunia ob necessitatem & conuenientiam reipublicæ: dic autem, quæso, casum vbi rerum conuenientia DEO peccatorum impunitatem suaserit?

§. 263.

De satisfactionis perfectione.

Eo consilio dubia quædam ex definitione nostra solui, vt intelligat lector, necessitatis, quæ satisfactio exigitur, potissimum argumentum contineri iustitiæ idea, quam recentiores vrgent (433) Pergimus nunc ad *satisfactionis declarationem perfectionem.* Fuisse, qui satisfactionem Christi valorem in dubium vocarent, dum eui iustitiæ diuinæ exacte satisfecisse abnuentes, aliquid saltem pretii dedisse contenderent, (434) neminem sacris vel obiter imbutum temere praterit. Dispiciemus nunc, quantum roboris habeat recentiorum philosophia in eo errore detegendo pariter ac arguendo.

(433) Christian Democritus siue Dippel librum scripsit cui titulus: *Apostolischer Wegweiser zur wahren Gerechtigkeit*, in quo satisfactionem non sine turpitudinis nota reiecit. Parum dextre de eadem grauissimam doctrinam

doctrina sensu famulus Poirer, quos ambos refutavit solide vir laudatissimus, Ioach. Lang. Halens. in *der richtigen Mittelstrass*, tertia parte, ubi ex instituto agit de satisfactione. Quod Arminiani satisfactionem ita necessariam fuisse negent, ex eorum scriptis patet. Stephanus Curcellæus institut. christ. relig. L. V. cap. 18. §. 10. Simon. Episcop. instit. theol. L. V. sect. V. cap. 3. Limborch. in theol. christ. L. II. cap. 12. §. 27. & L. III. cap. 18. §. 4. *satisfactionem sospitatoris non ita inenitabilem docent, ut, si DEO aliter fuisset visum, peccata nequiuisset impunia dimittere.*

434) Grotius in libro supra citato, qui inscribitur: *defensio fidei catholice de etc. negat satisfactionem fuisse perfectam, aut pretium legis rigori nostroque debito existisse equale.* vid. Huber. in exerc. VII. §. 8. p. 105. Faciunt cum eo plerique remonstrantes, Limborch. theol. christ. L. III. cap. 21. §. 6. Episcop. institut. theol. L. V. sect. V. cap. 3.

§. 264.

Vadimonium Christi, quod ad satisfaciendum pro nobis suscepit, maxime pertinebat ad *Sententia* remon-
stranti-
um.
beundas loco hominum pro meritis pœnas. œna omnis in absentia boni, & sensu eius absentiae viuido recte collocatur. Quæstio nunc est: *Christus satisfecerit plenissime, omnium nostrorum peccatorum acerbissimas, immo infinitas plagas gustando?* Recte theologo quæstionem affirmant. (435) Negant vero eam remonstrantes. orum v. g. celebris scriptor his verbis (436) titur: *satisfactio Christi dicitur, qua pro nobis pœnas omnes luit, peccatis debitas, easque exauriendo diuina iustitia satisfecit. Verum illa sententia nullum habet in scriptura fundamentum. - - Christus non est passus mortem aeternam, nec intensione: non enim sub iræ diuinæ pondere desperauit; nec extensione: ad tres enim horas in*

cruce pendit, & tertio die ex mortuis resuscitatus est in vitam aeternam, ut id alibi ostendimus. Si Christus omnes peccatis nostris debitas pœnae plene sustinuit & exhaustit; nihil DEVS nobis e: gratia condonare posset. Si enim Christus omni ad minimum quadrantem usque persoluit; nihil restat, quod Pater ex gratia nobis condonare posset: atque docet scriptura, Deum ex misericordia concedere remissionem peccatorum in Christo.

(435) *λυσε* vocis græcæ significationem, quæ in doctrina satisfactionis non nullius momenti est, valde ambiguum & suspectam reddit Clericus in arte critica P. II. s. I. c. V. §. 5. Sed quam primum satisfactioni necessitas ostensa est, quod factum a nobis supra, criticorum circa voces maxima dubia deciduntur, & sublata, de qua queruntur, ambiguitate, intelligitur, *λυσε* significationem pretium innuere propriissime dictum Peccatum enim experiundo, satisfactionis necessitate ratiocinando cognoscimus: *λυσε* igitur non potest non de pretio satisfactionis proprio accipi.

(436) Lege hæc verba apud Limborch. th. christ. L. III c. 21. §. 6.

§. 265.

Prepara-
tio ad re-
sponso-
nem.

Vidimus remonstrantium dubia; inquiremus vero etiam, numquid ad refutandum errorem hunc adiumenti afferat recentium philosophorum doctrina. Humanæ Christi naturæ omnipræsentiam recte explicatam competere posse diximus. (philosophi enim est, loqui de τὸ δυνάτω: factum pertinet ad sacras litteras) Omnipræsentia, præter vim operandi immensam, characterem repræsentationis rerum omnium cognoscitur. Quo præmisso, de pœna, satisfacturo perferenda, dicendum. Observavi, pœnam in sensu absen-

bsentis boni viuidissimo, siue dolore, vel animi, vel corporis, collocari: nunc ipsas definitiones allegabo. *Dolor in animo est representatio alius imperfectionis.* (437) Quo distinctior est repræsentatio per omnes imperfectionis partes; eo grauior oritur animi ægritudo. Gnauiter inensatos oportet, qui malis, queis onerantur, obstupescunt ad instar *απηλγηκόων*: neque enim distincte, vel & vilo modo, sua sibi mala repræsentant. Simul autem atque serio de suis malis accipiunt cogitare, conscientia cum incredibili dolore euigilat. *Peccatum est ανομία, dissensus lege, eoque imperfectio*: quo longius, quo sæpius a lege recedit; eo grauius imperfectio augmentum capit.

(437) Dolor est repræsentatio imperfectionis, ad repræsentantem spectantis: nam & DEVS nostras cognoscit imbecillitates, nec tamen dolet. Nisi forte fuerit, vt cum Poireto omnem Numini peccatorum ideam ab iudicare velles. Vid. Hofm. theol. Tub. dissert. *de scientia DEI* p. 20. vbi sententia Poireti refutata est.

§. 266.

Christus pro nobis saltim quasdam pertulit pæ- *Christus*
us: non id abnuunt Arminiani, (438) qui nec *plene sa-*
ficiari audent, *quod. Seruator DEVS sit.* Chri- *tificecit:*
stum vt hominem omnipræsentem esse negant, *quia eius*
quo suis doctrinis valde consentanea docent, *humana*
natura
quodsi enim infiniti valoris satisfactionem cre- *omni-præ-*
derent, haud scio, vtrem negata Christi homi- *sens.*
nis omnipræsentia dogma illud tam facile tueri
possent. *Quam inexpectatum, inquis, commen-*
dam? vellem, vt intelligerem, qui cum omni-

360 *Cap. VIII. Opportunitatem philos. recent.*
*praesentia carnis Christi copulata sit perfectio satisfactio-
nis?* Intelliges, saltem ex mea sententia, vlt
haud grauate aduerteris animum. Quodsi car
Christi locis praesens est omnibus; tum ex *de-
finitione praesentia* in persona *λογος* caro res creat
omnes distinctissime repraesentat, (*Vid. capi-
antecedens.*) Cum igitur Seruator peccatorum
seu imperfectonum nostrarum poenas, id est
dolores pertulerit; non potuerunt non hi esse in-
finiti. quoniam & repraesentatio tantarum, que
totus orbis contaminatus erat, imperfectonum
longe distinctissima, immo immensa plane, fuit
Paulo enim ante obseruatum, eo grauiorem ori-
dolorem, quo sit repraesentatio attentior, & per
omnes distinctior partes. Qui autem non est
omnipraesens, limitata per sensus repraesentatione
non nisi id animaduertit, quod sensus offerunt
non intelligit omnia distincte: non excutit rerum
momenta omnia: non complectitur euolutum
conceptu vel vnus peccati circumstantias singu-
las, nedum peccata totius generis humani
omnium minime singulorum singulas circun-
stantias. Igitur deficiente omnipraesentia, def-
cit immensa repraesentatio: deficiente hac, def-
cit dolor immensus: desiderato dolore immer-
so, desideratur pretii pro peccatis persoluti vale-
ισοσπονδος, æquans infinitorum peccatorum ineffabilem
reatum. Patitur humana Christi natura
itaque & ipsa, non *λογος* tantum, in eo esse de-
bet, vt diuina & distinctissima repraesentatione
peccata totius mundi omnia sibi obiciat, qui
dolor æqualis, id est, immensus respondeat
pretii

pretii infiniti fundamentum. (439) Non sufficit, *λογον* omnia repræsentare, ignorare interim infinita carnem : (qui enim non omnia scit, infinita nescit) ignorantia carnis dolorem minuit, & ad valorem pretii restringit finitum. Nouimus quippe, dolorem ad carnem pertinere, tanquam *ad subiectum ut quo* : itaque si plura ignorauit, tanto etiam opere dolere non potuit.

(438) Ita v. g. Limborch. theol. christ. L. III. c. 22. §. 1. Tulit igitur pro nobis & nostro loco grauissimam afflictionem, atque ita pœnam, a nobis commeritam, auertit. - - *Quares, quodnam sit illud malum, quod Christus loco nostro sustinuit? an sit pœna, quam nos peccatis nostris meriti eramus? resp. pœnam eandem, quam nos peccatis nostris meriti eramus, Dominum nostrum non tulisse, iam ante ostendimus, sc. quia desperationem damnatorum non pertulit.* Consentanea igitur suæ doctrinæ de negata omnipræsentia carnis docent.

(439) Nullius igitur momenti est dubium Arminii assensuum : *satisfactionem ideo imperfectam esse, quod non conturbatus fuerit Christus inferorum desperatione.* Fuit enim dolor immensus, etiamsi desperatio Christum non occuparet. Desperatio per se ad summum dolorem non pertinet : est enim consecrarium amissæ liberationis spei, quod cum pœna non semper coniunctum est. Sufficit, carnem distinctissima omnium mundi imperfectionum repræsentatione pro singulis, earundemque singulis circumstantiis dolere potuisse, quod exactæ satisfactioni præstandæ inseruit. Non possunt id ne damnati quidem apud inferos, non possunt satis, vel vnus peccati grauitatem dolendo, facere DEO, qui nec vnum peccatum perfectissime cum omni momento & effectu repræsentant : *hinc eorum pœna, accedentibus subinde nouis peccatis, non potest non esse aeterna, immo euadere desperationis tristissima mater.*

Corolla
tia.

Ita explicatius declaratur, quod viri summi de idiomatum, carni Seruatoris communicandorum, necessitate inculcant, addito argumento quod sine ea dolor Christi non potuerit esse immensus, nec pretii infiniti. Intelligitur quoque ex his, quomodo in tertio communicationis genere *quelibet natura agat, quod suum est, cui communicatione alterius.* In immenso dolore perpetiundo concurrunt infinita λογος repræsentatio, quæ carni tributa, ut infinita esse quiret doloris vis; contra sensus, ex repræsentatione tantorum imperfectiōnum oriundus, carnis fuit, quer tamen & *suum esse voluit λογος, sed in carne.* Ita mutua contingit communicatio, saluo naturarum discrimine, duobus utrinque euitatis scopulis. Cum non solum peccatorum nostrorum horrendus dissensus, systemati huic illatus, sua dente DEO iusto, id est, sapienter benigno & consensus tenaci, compensandus fuerit, sed & facta compensatione, noua conuenientia stabilienda inter vitæ æternæ præmium, & hominis perfectæ pii dignitatem, quæ tamen inter tot mortalis vitæ imbecillitates nunquam impetratur: necessarium fuit (440) obsequium Christi in agendo, colendaque pietate perfectissima collocatum, nobis deinde imputandum, quod breuiter attigisse sufficiat.

(440) Piscatoris sententia de obsequio actiuo, pro nobis non præstito, noua non fuit, sed habuit præeuntem Georg. Kargium, seu Parsimonium. Vid. D. Christ. Matth. Pfaff. in schediasmate theologico de formula con-

CAPVT IX.

OPPORTVNITATEM PHILOSOPHÆ RECENTIORVM SISTENS IN ART. DE PRÆDESTINATIONE.

§. 268.

QVæ fuerit Leibnitii circa prædestinationem *Accessus ad materiam.*
sententia, nuper demum inter eruditissimos viros (441) disceptatum fuit. Equidem eam
disquisitionem, qua, quid his aut illis visum fuerit, examinatur, non lubens ingredior: cum tamen veritatis, ex altera parte stantis, intersit, ne alieno vestimento adparens aliarum quoque partium patrona videatur; non inepte facit, qui nullam contemplando iudicat, quænam litigantium pars in suis eam castris habeat militantem. Investiganda ob eam causam Leibnitii sententia, ut, quodnam prædestinationis systema fructum inde, vel certe consensum, sibi polliceri queat, perspicue intelligatur. (442)

(441) Inter celeberrimum Moshemium in consultatam Ioannis Halefii epistolis præmisit, & Virum in apologia contra Moshem. p. 368. seqq.

(442) Varia gratiæ & prædestinationis systemata tradit Pfaffius in dissert. de gratia & prædestinatione, per totum. vid. & Hottinger. hist. de grat. & prædest.

§. 269.

Primum fuisse Leibnitium, qui axiomatis de *Demonstratur principium sufficienti rationis.*
sufficienti ratione amplissimum usum vel agnouerit,

rit, vel præ ceteris vrserit, toto litterato orbe peruulgatum est. Testes habemus epistolas eius ad Clarkium. (443) *Ratio autem est id, ex quo intelligitur, cur aliquid sit potius, quam non sit, sit potius hoc, quam alio modo.* (444) Amplitudo axiomatis, latissime patentis, sine vlllo contrario exemplo, facillime probatur ex definitione vocum, quibus constat. (445) *Quid ratio sit? indicavi: dicam &, quid sit sufficiens? ratio qua sufficiens, est, qua posita nihil amplius requiritur ad hoc, ut intelligatur, quare res sit; quaque remota aliquid amplius requiritur, aut potius fingitur præsto esse aliquid, cuius præsentia nullum est in ipso aut extra ipsum fundamentum.* Sed contradictionem in vocibus implicat, ut præsto sit id, ad cuius præsentiam requiruntur plura: vbi igitur nulla rei aut ideæ ratio, ibi nec res nec idea; quod erat probandum.

(443) Omnes quidem existimant, se principium sufficientis rationis tueri, reuera autem in casibus multis non pauci id omittunt, fingentes plura sine ratione. Si monentur, respondent, se *non axioma ipsum, sed adplicationem eius reprehendere.* Quomodo principium, quod vniuersale concedunt, male adplicari potest? Adplicatio mala contingit, quum regulas ad casus non comprehensos inepte referimus: atqui illi concedunt, aut saltem concedere præ se ferunt, quod nullus casus exclusus sit. Si aperte profiteantur, excludi casus; respondendum ipsis erit ad argumentum in textu. Accessiones omnes, quibus philosophiam Leibnitius locupletauit, hoc principio, distinctius per eundem euoluto, nituntur; qui autem tanto dogmatum Leibnitii odio flagrat, fallit, vbi se principii vniuersalitem admittere caussatur. Audiamus Leibnitium in epist. ad Clark. V. §. 127. Rec. T. I. p.

147. *Tout le monde ne s'en est il point serui en mille*

occasions? Il est vray, qu'on l'a oublié par negligence en beaucoup d'autres; mais c'est la justement l'origine de chimere; comme par exemple d'un tems ou d'un Espace absolu reel, du vuide, des atomes, d'une attraction à la scholastique, de l'influence physique entre l'ame & le corps, & de mille autres fictions, tant de celles qui son restées de la fausse persuasion des Anciens, que de celles qu'on a inventées depuis peu.

444) Definitionem rationis hanc vid. apud Wolf. in metaph. §. 29.

445) Axioma apud mathematicos est, cuius demonstratio pendet ex definitione terminorum, quibus constat. vid. ill. Bilfinger. in dissert. de axiom. Wolf. in præfat. operibus mathemat. german. præmissa, vbi de methodo agitur mathematica.

§. 270.

Cum nihil existere possit sine ratione: pericuum est, diuinæ voluntatis decreta sine ratione nunquam formata fuisse. Abesset enim a summa ratione, id est, DEO, agendi ratio: quod quam ineptum sit, dici vix potest. Ipse Calvinus non ab omni ratione decretum DEI seiungit, pronuntians, *esse iustas, licet nobis non perspetas, rationes, quibus Numen, reprobatis quibusdam, ceteros aternis destinaverit gaudiis.* (446) Quodcunque decretum cogitaueris, siue eligendi, siue creandi, siue redimendi per Christum; nunquam eorum vllum a DEO statutum sine rationis intuitu certæ. Quod nisi dixeris; laxata runt naturalis theologiæ fundamenta omnia.

(446) Ira sentit Calvinus in libro de prædestinatione. vid. Leibnit. theod. §. 79.

§. 271.

Aut fallor ego vehementissime, aut admodum erronea est Poireti sententia, qui DEVM plane

*Poireti
sententia
reicitur.*

plane nulla ratione ad quidquam decernendum induci mordicus tenebat. Intolerabilis est eiu absolutismus, qualem nemo mortalium vnquam stabiliuit. Laudari tamen in eo profundus mysticus debet, quod semper suis doctrinis consentanea ad systematis vsque prima fundamenta tradiderit, nec verbi gratia cum quibusdam, quorum nomina sileo, & veneror, in aliquibus DE decretis v. g. in electione rationes admiserit, in creando, aut in decreto potius creandi, easdem abnuerit; quæ prorsus hiulca esse, vel obiter aduertens videt. Cum enim libertatem creand adeo extollant, vt & sine ratione factam contendant; haud scio, annon aduersarii in electionis decreto eundem absolutismum ab illis sint postulaturi?

§. 272.

*Distinctio
Poireti.*

Distinguit Poiret, subtilior ipsis scholasticis inter rerum creatarum vsum & finem, occupationem & scopum; priorem concedens, negans posteriorem, his potissimum verbis: (447) *si in questione, cur aliquid factum respiciatur ad rei vsum, quasi quæreretur, quisnam huius rei verus vsum est, quem ei DEVS assignauit? non modo hæc questio iusta est & æqua, verum etiam e maxime necessariis - - si vero in eadem questione, cur, vel quo fine, aliquid DEus fecerit? respiciatur ad scopum, quem sibi proposuit DEus, vel potius ad motiua, ad rationes, quibus indutus hoc vel illud egerit? vt, si quærat, quibus de causis permiserit DEus lapsum angelorum? quid intenderit? quo motiua DEus homines plures perire*

ire sinat? vel creauerit cunctos? cur tot & n plures? quibus rationibus rerum naturas & tum sic disposuerit? Hoc questionis genus sine meritate & impietate non fit, cum consilia DEI mari audeat, quæ & res nobis incomprehensibili optime conciliant, simulque adoranda obscurete teguntur.

(447) Cog. rat. L. III. cap. 15.

§. 273.

In hoc discursu merito reprehenduntur duo. Primo enim opponuntur subordinanda: rerum us sunt & DEI fines. (448) Cur enim DEVS certos vsus res accommodatas conderet, nisi inde vellet tanquam sapientissimus cognosci? qui tale consilium condendi, finis est. Non igitur sine ratione agit DEVS. Deinde confunditur notitia finis diuini generalis, cum inuestigatione scoporum DEI specialium. Qui, num ratione quadam inductus hoc vel illud agat DEVS? quærunt, non id agunt, vt singulas rationes rimentur, & iusto curiosius scrutentur; Deo potissimum spectant, vt generatim ne a DEO quidem quidquam sine ratione fieri inculent, quæ ratio summatim in eo posita est, vt id fiat DEVS, quod illustrandæ gloriæ suæ cum maxime inseruit.

Respondetur.

(448) Rerum vsus (*de abusibus non loquimur*) fines DEI esse, solide probauit ill. Bilfinger de orig. mali §. 459. & diluc. §. 444. nolui igitur agere actum.

§. 274.

In tanta igitur sententiarum varietate nemo in Poireto crediderit, DEVM, licet absoluto decreto

Præstruitur canon, decisioni inseruiens.

decreto

decreto agentem, prorsus sine omni motiuo, sine ratione &c. vel eligere, vel creare, vel redimere &c. In eo maxime reformati a ceteris dissentiunt, vt negent, decretorum DEI rationes *ve in fide, vel alia quavis nota conditione collocandas*. Nos interim præstruimus canonem, qui phari instar lucem adperget intricatissimæ, & per innumera scripta nimium extensæ liti de prædestinatione. *Omnis determinatus euentus, voluntatis actus, & quidquid omnino determinate existit, id poscit & rationem sui determinatam.*

(449) Demonstratio axiomatis ex priori pendet §. 269. indicato. Nam si nihil existit sine ratione nihil etiam poterit *determinate* existere sine *determinata* ratione. Cur? Quidquid existit, *determinate* existit. Genera enim & species, quæ *vaga & indeterminata* concipiuntur, non existunt nobis haud cogitantibus. Quod *determinate* existit, & ratione *determinata* destituitur id plane non habet rationem pro se. Ratio enim minus determinata, quid aliud est, quam principium, ex quo intelligitur, *cur res aliquot esse possint*, non autem, *cur hæ præcise sint nec aliæ*. Omnipotentia DEI ratio est minus definita, cur res creari queant; non autem est ratio determinata, cur hæ potius creatæ sint nec aliæ. Itaque quod definitum est, nec rationem definitam habet, perinde est, ac si plane non haberet.

(449) Vid. ill. Bilfinger. de orig. mal. §. 182. *Res, inquit sunt determinata quatenus illæ causarum suarum operatione ex vaga possibilitatis generalitate ad unam aliquam illius partem, modum, speciem actu iam redactæ sunt, ut cum potuerint existere aliter & aliter*

nunc quidem exiſtant , hoc præciſe modo , nec alio. Cognoscitur ex his verbis , implicare contradictionem determinate eſſe , nec tamen ſui rationem habere determinatam : ipſa enim determinata exiſtentiæ definitio rationem includit determinatam.

§. 275.

Exiſtimo, me in admittendo hoc canone fa-
les inuenturum doctiſſimos dnn. reformato-
m ſcriptores. Conceſſo igitur axiomate, præ-
quam cauſſam propius attingo. Aut DEVS
decernendi hoc vel illud, rationes habet vel non
ber. Sin hoc adoptaueris, peccabis in gene-
le ſcientiarum omnium axioma : ergo ample-
endum erit prius illud. Si quam DEVS talia
l talia ſtatuendi rationem intuetur, non poteſt
on determinati decreti determinata præſto eſſe
tio, ex qua intelligatur, ſaltim abs DEO, ſi
on a creaturis, cur hoc potius ſtatutum ſit, quam
ud quoduis. Immo vero, inquires, *habet Deus*
rationes conſiliorum ſuorum, que determinata
nt, definitas, ſed nobis non perſpectas, ad le-
i, ordines, ſtatutaque hominum non (450) ex-
endas. Nunc arcem cauſſæ decretorio impetu
tam. *Nulla decretorum DEI ratio determina-*
eſt, niſi petita, non a ſubiecto, DEO, ſed ab
iecto. Atqui rationes decretorum DEI oportet
re eſſe determinatas, ex canone concedes: ergo
tearis etiam neceſſe eſt, rationes decretorum
EI ab obiecto deſumptas, ſeu potius ab eius in-
itu. Atqui rationes decernendi, quas ab ob-
ſto DEVS depromit, vno ictu proſternunt
ſolutiſimum.

*Argumen-
tum decre-
torium
contra ab-
ſolutis-
mum.*

(450) Hæc est Viti responsio, quam ingenti argumentorum machina aduersariis suis extorquere cupit, v. nimirum fateantur, licet supralapsariorum cooptetur sententia, DEVM tamen læsæ iustitiæ non vt homines coargui posse. In apolog. p. 348. §. 57. *DEVS superior legibus, quas homini tulit, ea decernere, permittere, agere bene, sancte, iuste potest, quæ ad humanorum officiorum rationes exigere neque possint, neque debeant. Et sic DEI non permittentis tantum, sed decernentis etiam malum, bonitati, sanctitati, iustitiæ consultum & prouisum est.*

§. 276.

*Insistitur
argumen-
to.*

Præuideo, primam argumenti propositionem omni nisu negatum iri: est ergo, cur sustentetur fulcro. Si ratio decretorum DE petitur a subiecto, id est, a Deo eiusdemque voluntate; quæro, *qui possit esse determinata?* voluntas est potentia indifferens eligendi hoc, & eligendi illud. *Num stat pro ratione voluntas* atqui ratio illa *indeterminata* est. Ex sola voluntate non intelligitur, cur v. g. Iudas exitio destinatus, suæque malitiæ relictus, Petrus autem abnegato Christo seruatus sit? Non inquirō arcanas decretorum rationes, sed ex pacto axiomatis, in quod mecum consensisti, *quod euentus determinati detur ratio determinata*, iure desidero ex te audire, quomodo voluntas DEI determinata queat ratio esse determinati euentus quem experiebatur Iudas? Quomodo definit voluntatem? *annon per vim eligendi hoc aut illud* atqui talem esse indifferentem iam dixi. Cau igitur dicas, *euentus determinati posse esse rationem indifferentem*. Iterum inculco, me absconditas DEI rationes non scrutari, nec, vt scruteris

teme

met iubere, velle me tantum, vt ostendas, quomodo voluntas DEI indifferentis decreti de reprobando v. g. Iuda ratio esse queat? Non luce meridiana clarius est, requiri aliquid, quo intelligatur, cur voluntas deserta indifferentiæ statu *determinate* hoc decernat nec aliud? id est, requiri rationem sufficientem, eandemque determinatam.

§. 277.

Non deest voluntati diuinæ sua ratio, inquires: Explanatur ulterius.
bet iustissimas. De iustis rationibus disquiram proximo, nunc de ratione voluntatis ipsa dispiciam. Quæ ratio, cur DEVS aliquid decernit, est voluntas diuina, aut ipsum voluntatis diuinæ decretum. Sin illud affirmaueris; nosti voluntatem esse indifferentem, nec posse propterea euentus decreti determinati rationem esse, *ob axioma inique cooptatum*: aut vero ratio, cur DEVS aliquid decernat, est ipsum decretum, quo decernit; tum idem *formaliter* ratio est sui ipsius. *Formaliter, inquam*: nam si ratio decreti a voluntatis decreto est *formaliter* distincta, cum in voluntate indifferenti quæri non possit, inuenietur tandem in repræsentatione quadam intellectus, qui hoc aut illud cognouit DEO dignum; tum præsto est ratio petita ab obiecto, quam volumus. (451)

451) Velim hic expendantur verba ill. Bilfingeri in dilucid. §. 436. quibus Leibnitii sententiam de voluntate, semper ex motiuo determinato agente, contra anti-Leibnitianos, eisdemque decreti tamen absoluti aduersarios, suscepit probandam. Miratus fui, decretorum DEI absolutorum aduersarios in Leibnitio re-

prehendere id ipsum, quod omnium maxime decre-
 DEI absoluta euerit, immo quod solummodo ea d-
 struit. Nam si cuiuslibet *determinati* decreti mot-
 uum *determinatum* requiritur pro hoc potius quam al-
 quouis; nec vero tale motuum in ipsa voluntate d-
 tur: recurrendum tandem est ad repræsentationem in-
 tellectus, qua hoc vel illud præ alio iudicatur con-
 nientius: ita voluntas agit propter præuisas has a-
 illas in obiecto condiciones, quæ ipsissima protesta-
 tium reformatis oppositorum sententia est. Ita autem
 ille: *voluntatis essentia consistit in conatu agendi vi*
 §. 315. *Igitur recte quidem ratio actionis repetitur*
voluntate. Cur ambulo? quia habeo conatum ambu-
 landi continuatum, & non impeditum, hoc est, quia
 volo nunc ambulare serio. Sed cur volo? vel, c-
 habeo conatum ipsum ambulandi (hunc)? An volo
 quia volo, hoc est, an habeo conatum ambulandi
 quia habeo? quis hoc ferat? Volo, quia placet, i-
 quis. Recte id, & non recte, prout voci sensum tri-
 buis. Volo, id est, habeo conatum ambulandi, quia
 placet, hoc est, quia hoc videtur sub præsentibus ci-
 cumstantiis bonum. Concedo, te recte respondisse: *re-*
legasti rationem volendi ex repræsentatione præui-
sic decet! Volo ambulare, hoc est, habeo conatum
 ambulandi, quia placet, hoc est, quia stat pro rati-
 one voluntas, id est, quia, cum possim habere al-
 conatus, habeo hunc potius, quam alium. Quid
 xisti? Non sane rationem volendi audio, sed neg-
 tionem rationis, & positionem tamen actionis, ta-
 quam ex ratione profuentis. Volo, quia volo. Vo-
 litio, inquis, ipsa est ratio volitionis meæ. Patere,
 aliquid requiram. Aut volitio, quæ ratio est,
 distincta a volitione, cuius ratio est, ut habeam vo-
 litionem A. & eius rationem, volitionem scilicet B. h-
 sensu: volo velle. hic quero, cur velis velle? an in-
 rum, quia vis? & quousque? confer Leibnitium
 theod. §. 51. Aut eadem sibi ipsi volitio est ratio
 ipsius? hoc sensu: volo actionem hanc potius, quam
 illam; volitio hæc meæ procedit ex aliqua sui ratione
 ex qua intelligi potest, cur sic potius velim, quam al-
 ter; illa autem huius meæ volitionis ratio est ipsa hæc me-
 volitio. Vereor, ut pauci accedant huic analysi. A-
 plice

plicentur hæc ad DEVM : & perspicuum erit , quodlibet decretum DEI habere rationem non in voluntate ; aliter idem decretum A. esset ratio sui , id est , A. quod absonum , sed in diuini intellectus representatione.

§. 278.

Liceat maioris lucis causa & aliter dicta in-
tere. Profitentur acutissimi reformati , quem-
bet euentum *determinatum* existere ob ratio-
em *determinatam*. Habemus igitur decretum
Petro eligendo diuinum , quod vocabo A.
nunc quæro , vbi sit ratio *determinata* τὸ A.
in voluntate DEI ipsa , quatenus est vis
endi libera , hoc aut illud eligendi ? atqui hæc
s est *indifferens* , quia libera. Aduersarii vero
cedunt , minus *determinatum* seu *indifferens*
non posse esse rationem *determinatam* alicuius
i. Id quod axioma postulat. Forsan ratio de-
creti A. est in ipso A. ? ita A. erit , quia est A.
nam hoc quæso incommodum ! *ratio sufficiens*
 , *ex qua intelligitur , cur aliquid existat po-*
tius , quam non existat , tale sit potius , quam tale.
igitur A. est , quia ipsum A. est ; nondum in-
telligitur , cur A. existat potius , quam non ex-
tat ? cur tale sit potius , quam tale ? id est ,
nondum habet A. rationem sufficientem deter-
minatam. Cum igitur ratio determinata τὸ A.
c in voluntate , nec in voluntatis actu sit ;
non potest non esse in alio DEI attributo , intel-
ctu , iustitia &c. de quibus nunc dispiciendum
t. Nisi forte dixeris , rationem determinatam
creti A. esse in alio voluntatis decreto B. quo
lo tamen parum profeceris : nam & de B. ea-

Argumen-
tum paulo
aliter in-
flexum.

dem quæstio recurrit, quam rationem determinatam habeat? ita vt vel infinitam retro decretorum DEI, se inuicem præsupponentium, series statuere, vel ab ultimo ulterius ascendere, & rationem eius determinatam in intellectu, se alibi quærere debeas.

§. 279.

An ratio decretorum Dei queri debeat in iustitia?

Aut sol non lucet ipso meridie, aut ratio decretorum DEI determinata non in voluntate eiusdemque actibus, sed in alia DEI virtute morali quærenda. Virtutibus DEI *moralibus* potissimum adscribitur *iustitia, sapientia, sanctitas*. Itaque forsitan his determinata decretorum ratio continetur. *Videbimus. Iustitia est benignitas, cuius exercitium dirigit sapientia: benignitatem vocamus DEI virtutem, qua perfectiones rebus exte-ri se tribuit. Sapientia adpellatur, que conuenientiam adminiculorum & finium respicit.* Quod igitur determinata alicuius decreti ratio in iustitia ponitur; sapientia benignitatis exercitium impendit ob minus conuenientem obiecti beneficiis maclandi conditionem. Quærenti proinde cur *Iudas reprobatus sit, nec vero Petrus, & Paulus, aut alius electorum quiuis?* respondendum, quia *iusta* adfuit ratio, id est, quia sapientia suavit, vt propter huius obiecti incapacitatem indignitatemque benignitatis effluvia retulerentur. Quocirca ratio *determinata* obiecti damnati erit in ipsa eiusdem conditione *determinata*: quod volunt dnn. reformatorum antagonistæ. Iustitia enim, in se generatim considerata, est pronitas DEI benignitatem suam mo-

randi pro obiecti conuenientia sapienter; conuenientiam autem DEVS volendo non facit: aliter arbitrariæ essentiæ a dnn. reformatis amplectendæ forent; sed eam demum in obiectorum schesi, nexu, & capacitate inuenit ab intellectu repræsentatam.

§. 280.

Si conquerantur, *hanc definitionem ipsis obtrudi inuitis, esse figmentum Leibnitii*; saltim *Urgetur idem.* contra suum sodalem id agnoscant, quod Leibnitii doctrinæ absolutismo omnium decretorum aduersentur; cum tamen Vitus Casselanus in supralapsariorum partes trahere Leibnitium voluerit. Sed possumus etiam salua hac, quam tuemur, causa demonstrationi substernere iustitiæ definitionem eam, quam nec reformati reiiciunt. *Iustitia est studium constans suum cuique tribuendi.* Sciscitemur nunc, num in iustitia DEI possit esse *determinata ratio, determinate* Iudam proditorem, nec alium apostolum, seu electum reprobandi? quæ ratio fuit reprobationis huius, nec alterius? quæ ratio erat Iudam eiiciendi, nec alium? *Iustitia, inquis, DEI, quia actio hæc iusta fuit.* Iusta actio est, *qua tribuitur cuique, quod debetur: iusta hæc actio in indiuiduo, qua tribuitur huic in indiuiduo, quod ipsi debetur:* ergo debebatur reprobatio Iudæ, si quidem, *ut caussaris, iusta fuit.* Quis autem debitum illud statuit? quis conuenientiam inter Iudam & pœnam contemperauit? Annon ipsa Iudæ conditio? An DEI decretum illam conuenientiam inter plagas æternas & proditorem stabiliiuit? *Quidni? forsân,*

forſan, inquis: atqui rediſ in circulum. De voluntate DEI eadem difficultas redit, quæ paulo tibi ante obuerta eſt, & ob quam ad iuſtitiaẽ mentionem te contuliſti. Nunc cum vrgeriſ, et recurriſ, vnde iam deturbatuſ eſ. Deinde ſi ipſum DEI decretum ſtatuit, quid cuiuſque ſuum eſſe debeat; tum iuſtitia non eſt ſtudium DEI cuique tribuendi ſuum, ſed cuique tribuendi, quod vult. Iam quæro ex te: an DEVS omnium rerum conuenientiaſ, quæ *to ſuum* cuiuſque rei conſtituunt, pro arbitrio facit? an vero in æterna poſſibilitium regione, id eſt, in diuino intellectu repræſentata voluntati optioniſ cauſa offeruntur? Si priuſ dicas; arbitrariarum eſſentiarum opinionem cum Poireto reuocare inſtituiſ: ſi poſteriuſ placeat; habemus, quod volumuſ: namque eo admiſſo, DEI intellectui rerum conuenientiaſ, v. g. pœnæ congruitatem cum proditore repræſentat, voluntas vero decernit, quia DEO dignæ ſunt, moueturque rationibuſ *obiectiuſ*. Decretum DEI igitur vel fidei vel perfidiaẽ conuenientiam obiecti in deſtinando præmio & pœna reſpicit.

§. 281.

Argumentum contra iuſtitiam arbitrariam qua abſolutiſſimum nititur.

Totus litteratorum chorus, quaqua per orbem diffunditur, hinc intelliget, abſoluta DEI decreta doceri non poſſe, ſine arbitrariarum eſſentiarum dogmate: atqui hoc etiam axiomate noſtro euertitur. *Determinatum decretum poſcit rationem determinatam.* Quodſi DEVS ideaſ rerum & eſſentiaſ pro lubitu ſtatuit; rogo, an determinatum motiuum ab æterno habuerit, hæc

hæc prædicata cum his subiectis potius con-
nectendi quam alia, nec ne? Si non habuit; deter-
minate aliquid decretum est, sine determinata
ratione: quod absurdum: si habuit; tum ratio
illa determinata, qua inductus hæc prædicata
DEVS cum his subiectis copulauit, erit fundata
in quadam rerum conuenientia, ab intellectu
portata, & repræsentata, eademque immutabili,
& necessaria. Nam si a voluntate penderet & ipsa,
semper recurreret eadem superior quæstio, eoque
progressus in infinitum, id est, si ratio illa libe-
ræ voluntatis filia foret, denuo posset inquiri,
num ratio determinata voluntatis, qua rationem
priorem statuit, in voluntate poneretur, an in
voluntatis actu? & sic sine fine.

§. 282.

Non licet mihi non esse subtili, propter con-
silium omnes, & minutissimas quidem, elabendi
simulas obstruendi. Dico igitur sententiam ve-
ram. Rerum essentia, scheses, nexus, conue-
nientia sunt necessariae. Quamobrem? essentia
sunt possibilitates: res non sunt possibiles, quia
DEVS vult, sed eas DEVS vult, quia sunt pos-
sibiles. Nec enim possunt esse impossibiles, quo
continetur character necessitatis. Licet autem
necessariae sint; dependentes tamen sunt a DEI
omnipotentia: ideo enim possibiles sunt, quo-
niam eis præstandis par est omnipotentia; ex ad-
uerso ideo habentur impossibilia, seu contradi-
ctionem inuoluentia, quia omnipotentia DEI
pugnare contra se ipsam nequit, id est, eodem
respectu & tempore idem adstruere & destruere

non potest. Intellectui diuino essentia, id est
 possibilitates omnes ab æterno obseruabantur, &
 seorsum, & in certos redactæ ordines, id est
 prout varios referebant possibiles mundos. In
 cunctis vero ordinibus res etiam hæcenus nonnisi
 possibiles semet mutuo determinant. *Cur v. g.*
ab æterno possibile fuit, ut esset Seruatoris prodi-
tor? quia in his circumstantiis, quas talis rerum
 ordo tulit, poterat elici eius peccatum, in alii
 circumstantiis possibile fuisset, ut non peccasset
Cur fieri poterat, ut puniretur? quia potera
 peccare. *Vnde conuenientia pœnæ proditoris &*
peccati? ex vtriusque possibili natura ac defini
 tione. DEVS igitur creaturus vidit innumera
 rerum possibilium series, id est, mundos; vnun
 tamen præ ceteris præstantissimum, licet & cum
 malo coniunctum, quem tanquam se dignissi
 mum antepone, & existentia donare consti
 tuit, non quia malo contaminatus, sed quia ei
 non obstante reliquis omnibus melior erat. En
 rationem decreti *determinatam*, non *subiecti*
uam, sed *obiectiuam*, quæ *determinationem* pa
 rit. In optimo rerum possibilium ordine, exsi
 stentiæ iam destinato, rationem DEVS habui
 omnium perfectionum singularum & vniuersa
 rum. Quæ igitur ratio fuit, ut in æterna possi
 bilium regione, quæ in DEI intellectu sita est
 perfectiones singulæ hoc aut illo modo determi
 natæ a se mutuo fuerint: ea ipsa etiam fuit, ut
 eas DEVS eligeret. Quoniam v. g. ab æterno
 possibile fuit in hoc rerum ordine, existentia
 donato, ut Petrum certæ circumstantiæ ad fidem
 deter-

determinarent, fidesque disponderet ad consequendam vitam æternam; ideo etiam DEVS Petri vitam propter fidem voluit. Quoniam ab æterno possibile fuit, Iudam in hac rerum serie ad proditionem determinari, eoque præparari ad pœnas inferorum, Numen etiam decreuit pœnas propter peccatum.

§. 283.

Suspiscaris forsan, *hoc probari non posse, quod vitam DEVS largiatur ob fidem, sufficere, quod generatim hunc mundum decreuerit ut optimum.* Decretum Dei conditionatum, quia nititur rationibus obiectiuis. Falleris. Non esset decretum DEI pro Petro seruando potius quam Nerone determinatum, nisi peteretur eius ratio determinata ex obiecto. Cur enim Petrum eligeret, & non alium? semper te vrgent priora. Cum igitur ex obiectis ratio determinata sumenda, quorum subinde alterum altero determinatur, etiam vbi in possibilium æterna regione adhuc respiciuntur: potuit Deus hoc præcise, nec aliud, velle, quia illud a diuino intellectu repræsentatum fuit, ceu conuenientius hic & nunc, in his obiecti circumstantiis. Ita vitam æternam huius præcise hominis non decernere poterit, nisi ob determinatam eius dispositionem antecedentem; quæ ad vitam præparat. Vti vniuersum mundum non eligit præ alio quouis, *quam quia hic solus ipso dignissimus:* ita & singulas mundi partes has aliis quibuscunque antepositas non vult, quam quia hic & nunc conuenientiores sunt. Est enim vniuersum hoc optabilius propter singulas partes, ex quibus constat, quas nisi DEVS in *determinatis* circum-

circumstantiis considerasset, non habuisset rationem eas cum vniuerso admittendi *determinatam*. (452) Mali est dissimilis ratio : DEVS namque non vult nec generatim vllum malum, nec definito modo hoc aut illud. *Decernit tamen permissionem* huius magis, quam alterius; quia hoc, nec aliud, cum optimo systemate coniunctum est.

(452) Si prolixiora hæc sunt, accipe ea neruosius. Nullius decreti, siue de præstando quodam bono, siue permittendo malo, datur determinata ratio, nisi ex obiectis, quorum comparatio maiorem vnius præ ceteris conuenientiam, eoque etiam rationem determinat, illud præferendi. Illustrabo sententiam Leibnitianam de prædestinatione simili quodam, vt intelligatur, subinde in ea vrgeri rationes ab obiecto petitas, quæ *absolutissimum* euertunt. Finge, cuidam principi aliquot offerri typos (etliche Plans) gerendi pro necessitate reipublicæ bellum, exercitumque mittendi in has aut illas oras. Fac porro aliquem typum tales suadere oras, quæ similes forent illis, in quibus Hannibalis marcescebat virtus, vbi nemo militum fugiendo aliisque criminibus bellicis supplicium mereret extremum, quod ipsum tamen cum vtilitate publica non optime consentiret. Cogita porro, offerri etiam alios typos reipublicæ magis salutare, vt scilicet mittatur exercitus in oras hosti proximas, cum quibus certandum foret, quo facto milites aliquot occasionem essent sumturi aufugiendi, & culpam contrahendi suppliciorum. Quodsi rex expensis omnibus circumstantiis hunc typum eligeret, quia esset ceteris conuenientior, & commodo publico promouendo accommodatior; omnes rationes eligendi determinatæ forent *per conditiones obiecti*. Primo generatim typus ipse aliis antelatus foret, ob suam maioris conuenientiæ schesin; post etiam singulæ typi partes sua conditione concurrissent, ad eligendum totum. Si quæres, *cur iam hic miles pœnam dat capitis?* annon responderetur solide? *quia aufugiebat, & quoniam rex, typum decernendo totum, propter fugam & hoc decreuit.* Sin vero instares: *cur eum rex in his circumstantiis collocavit,*

cavit, in quibus peccaturum præfagebat: forte non respexit eius peccatum, sed arcana voluntate hunc perditum voluit? annon excipereris ludibrio? primo enim responderetur: miles in his circumstantiis necessario non peccavit; poterat & non fugere, fortiterque pugnare. Secundo vrgenti, cur ergo in his circumstantiis positus fuerit? occurreret, quoniam cum typo bellandi optimo hic euentus coniunctus erat; regis autem non erat, ob salutem priuatam militis posthabere publicam. Interim vel stupidissimus videt, tam in typo summatim considerato, quam singulis eius partibus rationem eligentis principis a conditione vel obiecti totius, vel partium depromendam. Nam & fortes milites non ob aliam causam præmiis rex afficiendos statuit, quam quia typus generalis eorum repræsentauit fortitudinem. Ratio decreti regii determinata omnis, siue in toto, siue in parte typi, obiectorum condiciones respicit. Substitue in locum principis DEVM, in militum vices electos & reprobos: tum plana erit applicatio. At iuxta reformatorum sententiam simile ita foret instruendum. Vt primo rex cogitasset de manifestanda auctoritate in præmio & supplicio afficiendis militibus; tum de conscribendo exercitu, post de loco & modo bellandi, quo nonnulli occasionem sumerent vel ignauia supplicium, vel fortitudine præmium conciliandi. Sed in hoc ordine typi nulla foret ratio determinata, cur hos potius milites conscripsisset nec alios, cur hunc locum bellandi decreuisset, nec alium, in quo æque alii milites quidam, ignauix occasione arrepta, supplicium meruissent, aut non arrepta, præmium. Hoc est capitale discrimen inter reformatos & Leibnitium interiaccens, quod illi determinatum euentum statuunt, sine ratione determinata, hic vero nunquam. Ita Turretin. de supralapsariis. Primum, inquit, secundum eos decretum est de manifestatione gloriæ DEI in exercitio misericordiæ & iustitiæ, per salutem & damnationem hominum. Secundum de creatione, quod comparo cum exercitus conscriptione. Tertium de permissione lapsus, quod contendo cum delectu loci, in quo fugam capturos præuidet rex milites. Quartum de missione Christi, quod simile est exercitio iuris aggratiandi in quibus-

quibusdam transfugis. T. I. Loc. IV. de prædest. quæ
18. §. IV.

§. 284.

*An ratio
decreto-
rum DEI
in sancti-
tate.*

Determinata decretorum DEI ratio non est igitur, nec in iustitia, nec in bonitate & sapientia, nisi petatur ab obiecto. Sed forsitan est in sanctitate, ita quidem, ut obiectum non respiciat? *Inquiremus.* Sanctitas DEI est virtus, quæ omnes (453) perfectiones possidet, easdemque solas, id est, non coniunctas cum contrario, id est, imperfectione. Sancta igitur voluntas, quæ non nisi bonum vult, & malum auersatur, Sanctus intellectus, qui nulli errori unquam, sed veri semper, assentitur. Quod si ergo ratio determinata, quare Petrus seruetur, nec alius quivis reprobus, in sancta DEI voluntate est; tum ea fertur in salutem Petri, quia est bona, nec mala. Atqui hæc ratio non est determinata, quia etiam in Iudam cadit: nam & huius perniciæ voluntas sancta acquiescit; nihil autem potest esse determinatum pro hoc, quod & in alia quadrat pro susidem manens. Ergo, ut voluntas sancta salutis Petrinæ definita ratio fieri queat, dicendum salutem eius a DEO decerni, quia est prædicto huic subiecto conveniens, quia præmii collatio: his individuis Petri circumstantiis bona est, non mala, quo sanctitas decreti huius individui continetur. Qui autem hoc affirmat, rationem decreti ab obiecto petit. Non est, cur dicas, bonum & malum quod sit, a DEO decerni: si igitur vel maxime absolutum pro arbitrio consilium ineat, ut Iudas pereat, id bonum fore nihilom

is, vel tantum ideo, quod DEVS decreverit :
enim reuocares sententiam de essentiis arbitra-
s, quæ origo est omnium errorum in doctrina
prædestinatione. Adde, quod & fratribus
454) reclamares, qui non ideo aliquid bonum
contendunt, quia DEUS vult, non ideo san-
ctum, quia decernit, sed propterea velle DEUM
vult, quia quid est bonum, ideo decerni, quia
sanctum. Ergo sanctitas voluntati præstrui-
r : ergo aliquid ante debet esse sanctum, quam
DEVS velit ; atque, si quid DEVS determinate
elit, oportebit esse in his circumstantiis deter-
minate sanctum : cumque circumstantiæ definite
obiecti natura pendeant, rationes decernendi
tuntur ab obiecto : quod erat probandum. Ita
ut sententia velut Marpesia cautes, quod abso-
luta decreta sine essentiis arbitrariis defendi ne-
teant.

453) Vid. supra Caput I. S. 5. de sanctitate DEI.
454) Witfio v. g. in œconom. fœder. DEI L. I. c. 13.
§. 18. *Præpostere res digerunt, qui sanctitatem in eo
duntaxat faciunt consistere, quod actiones eius exacte
cum voluntate consentiunt. Quæ voluntas, inquit,
omnis sanctitatis etiam diuinæ regula est. Ex aduerso
sanctitas DEI naturalis ut voluntate prior concipi de-
bet, & potius voluntatis regula est, quam ad volun-
tatis regulam exigenda.* Kingii, episcopi Angli, hæc
sententia fuit, explosa a Leibnitio in theod. Non
diffiteor autem, patronos absolutorum decretorum
magis consentanea docere, si Kingii sententiam, aut
Poireti de arbitrariis essentiis cooptent, quam si ad-
mittant essentias necessarias. Poireti metaphysica ad-
commodata est ad reformatorem doctrinas, quoniam
DEVM absolutissime agentem supponit ; Leibnitii ex
aduerso metaphysica generalia ceterorum protestan-
tium, qui Hunnium sequuntur, axiomata exhibet :
statuit

statuit enim Deum agentem in creaturis non sine ratione obiectiua, quæ in maiori conuenientia ponitur

§. 285.

Ordo decretorum
Dei iuxta
supralapsarios.

Nunc, quem dñn. reformati decretorum ordinem constituent, iustrabimus, ut instituto examine cognosci queat, *an omnium decretorum quæ determinata sunt, possint allegare rationem determinatam, nec ne? seu, annon violentia maxima supremum, dubio omni maius? Miror, paucissimis definiti, quid sit decretorum ordo.* Qui de ordine decretorum anquirat, examinet quodnam alterius sit motiuum. Arbitror hanc esse definitionem, aut nullam. Non potest igitur decretum decreto antea concipi, nisi exploratum sit, vnum esse alterius motiuum. Ordo decretorum, a supralapsariis constitutus, hic est (455) *Decretum predestinationis statuitur prius decreto creationis & permissi lapsus, & concipitur DEVS primo cogitasse de manifestanda gloria in exercitio iustitiæ & misericordiæ quoad salutem & damnationem hominum, quam cogitauerit de creando homine vel permittendo eius lapsu ita ut creatio & permissio habeant rationem meam ad patefactionem misericordiæ & iustitiæ tanquam finem.* Ita primum ordine decretum de manifestanda gloria per misericordiæ & iustitiæ exercitium: secundum de creatione: tertium de permissione lapsus: quartum de missione Christi & Quodsi canon: *determinati euentus datur determinata ratio, verus est; ordo hic omnino fundamento destituitur.* Primum decretum formatum fuisse affirmant de *manifestanda gloria in exercitio*

ratio iustitiæ & misericordiæ. Quæro egomet
re: cur DEVS hoc decreuit misericordiæ &
iustitiæ exercitium in his hominibus comprobantem,
nec aliud in aliis creatis ratione præditis?
An hoc primum decretum indifferens fuit? per
quodnam igitur sequens determinatum, & ab
universalitate sua vaga ad gloriam hanc, in hoc
exercitio iustitiæ quærendam, restrictum est? Di-
citur, *de gloria manifestanda fuisse primo statutum.*
Cur autem hanc gloriam in hoc mundo, nec in
alio, quem etiam creare poterat, sibi comparavit?
Nescitis, o doctissimi & pierrissimi viri reform.
*de determinata decreta statuere sine determinata
ratione,* & nullam definitam rationem indicari
posse, quam sumtam ab obiecto, quia scilicet hu-
ius mundi gloria reliquis omnibus, per alios mun-
dos conciliandis, illustrior fuit. Hæc autem est
tribuiti ratio, eademque determinata.

455) Vid. I. F. Turretin. Loc. IV. de prædest. quæst. 18.
§. 4. ubi ipse impugnat supralapsariorum sententiam,
*quia actus odii diuini erga creaturas statuatur, ante-
quam odio dignæ sunt, quod amoris effectu ex odii prin-
cipio scilicet creatio ex reprobationis consilio adiudicari
sine fiat.* Si vero hæ rationes resoluuntur; vltimum
earum fundamentum cernitur in nostro axioma, sci-
licet ideo DEVS odio non habere potest odio hæc-
tenus indignos, quia nulla definita ratio præsto est, ad
odium huc præcise in hunc, nec aliorum in alium
determinandum. Atqui eodem principio profligatur
etiam infralapsariorum sententia, vt mox cognosces.

§. 286.

Cum determinata ratio ab obiecto sit arces-
sanda, quando de *vniversa gloria DEI* quæritur, *sententia.*
ut aliter responderi nequeat, *quæ quia hoc*

obiectum gloriae diuinæ illustranda ad commodatiōem fuit: debet etiam ratio determinata in obiecto quæritum, quum de *quodam* gloriae diuinæ testimonio sermo instituitur, & v. g. rogatur: cur in Petro DEVS misericordiae potius, quam iustitiae laudem & gloriam destinauerit? Non potes aliter respondere, nisi more Leibnitii, quia conuenientius determinate fuit, hunc determinate eligere, quam alium reprobum. Nullam autem conuenientiam indicabis in Petro ad electionem impetrandam, quam fidem. *Secundum* decretum supralapsariorum premitur eodem defectu. Pertinet id ad creandum. Cur autem DEVS hoc creauit homines, angelos, nec alios, *a quibus forsā equalis gloria expectari poterat?* reſpondis, *forsā*: conuenientius fuit hos condere propter horum conditionem, quam alios. In *tertio & quarto* decreto obseruatur idem. Si DEVS lapsum permisit, quæritur, cur potius permittere quam impedire voluerit? Num alleganda est voluntas a ratione seiuncta, id est, absoluta? atque ipsa voluntas ut & eius actus ratio esse non potest: prouoco ad antecedentia. Quid voluntatem determinauit ad permittendum magis quam impediendum malum? rationem oportet adesse in obiecto, quia conuenientius erat primum, quam secundum, ex conditione systematis optimi. Vides igitur & hanc voluntatem, atque potius decretum, non sine ratione in obiecto formatum. Simile iudicium est de missione Christi, decreto quippe quarto. (456)

(456) Qui rationem decreti de vniuerso condendo in obiecto, quod optimum fuerit, quærit; is etiam in singulis obiecti partibus easdem rationes *maioris conuenientie* singulares admittere debet, ita vt si quærat: *cur Petrus in hoc optimo mundo electus fuerit?* respondendum sit, non aliter ac de vniuerso systemate responsum est, quia in his circumstantiis, (*quis autem fidem ab illis eximat?*) conuenientius fuit, eum eligi, quam reprobari. Reuoca, si placet, in memoriam simile §. 283. sub nota (452) exhibitum. *Adde similitudini, quod oblitus eram, valere ibi dicta, si vel maxime etiam supponatur, quod rex vires militibus in bellum excurrendi tribuisset, ita vt illi nihil ad victoriam suis viribus, bene tamen ad fugam, viribus regis resistendo, conferrent.* Dico hæc, ne quis cauillando simile extra tertium extendat, nosque obiurget, quod ex simili nimium tribuatur libero arbitrio. *Tota predestinationis doctrina verior, quatenus exhaurit infinitas, in tanto sententiarum diuortio, difficultates, eo simili commodissime illustrari potest.*

§. 287.

Pergimus ad sententiam *infralapsariorum*, Sententia
uæ & in synodo Dordracena cooptata. *Primum infralapsarium*
ecretum esse aiunt formatum de creando homine. *psariorum.*
secundum (457) de permittendo eius lapsu. Ter-
ium de quibusdam eligendis, ceteris in sua nati-
a corruptione relinquendis. Quartum de Christo
n mundum mittendo. Quintum de vocandis
efficaciter electis per euangelii præconium & spiritus
donum. Primo infralapsariis responderi po-
est, quod ipsi obiiciunt supralapsariis, vt affir-
mare non dubitem, suis hypothefibus magis con-
sentanea docere hos, quam illos, ob quam causam
quoque Vitus Cassellensis laudandus, qui
per te supralapsariorum sententiam profitetur.
(458) Post obseruandum, & infralapsarios ad-

*Exami-
natur.*

uersus axioma docere: *determinati euentus datur determinata ratio.* Primum decretum ad homines creandos pertinuisse dicunt. Cur autem quæso ad hos, nec ad alios? Annon ipsa obiectum id est, mundi creandi maior cum gloria DEI consensus hos homines poposcit nec alios? sin hanc creandi rationem ab obiecto petitam concesseris etiam in ceteris decernendi rationes *determinatas* ab obiectis sumere potes & debes: si fueris refragatus; *determinati* de creando decreti non erit ratio *determinata*: quod est absurdum. Ita secundi decreti de *permittendo lapsu* pariter non habetur definita ratio, nisi recurras ad obiectum, id est, lapsum ipsum, quippe qui in mundo optimus futurus sapienter poterat permitti. *Tertium decretum de quibusdam eligendis, ceteris in corruptione natua relinquendis,* manifeste adeo axioma euertit, ut nihil possit esse manifestius. *Esse e. æquo corruptos omnes dnn. reformati concedunt inculcant, urgent.* (a) Igitur peccatum non potest esse definita reprobationis causa, multo minus electionis: nam quod omnibus commune est, inter omnes non distinguit. Fateantur igitur oportet, nullam esse determinatam de eligendis his deferendis illis, rationem, quam decretum DEI Sed de decreti ratione quæritur, quod sane si ipsius ratio esse nequit. Aliter esset determinatum quia esset determinatum; quod est rationi dissentaneum. Recurrunt h. l. omnes difficultates, quas §. 277. 278. & seqq. insuperabiles ostendi subinde debetur responsio: *cur ex massa corrupta Petrus præcise, nec alius, electus? An DEUS hunc voluit,*

ait, quia hunc voluit? annon opus est ratione determinata eximendi a pernicie hunc? An igitur hæc individua Dei inclinatio existit sine ratione? non poteris regerere: habet rationem, sed nobis cognitam. De ea enim incognita quæro: an ne quidem perspectum sit, vtrum ea ratio sit in obiecto, DEO, an extra eum, in obiecto? si id exploratum quoque ipsum neges; fateris, quod non vultes fateri, sciri non posse, an DEI decretum obiecti conditionem respiciat nec ne, id est, an prædestinatio sit absoluta, num conditionata? Nemo quippe dubitat, absolutam esse prædestinationem, si ratio nulla detur nisi in subiecto prædestinante; conditionatam vero, si ratio inueniatur in obiecto prædestinato. Qui igitur annuis, exoratum non esse, an ratio eligentis Petrum DEI sit in subiecto, an in obiecto? fateris, te ignorare, et sententia tua de absoluto decreto sententia vera sit, an falsa? Quod si autem dicas, rationem eatenus esse incognitam, quatenus sciri possit, quod eligendi momentum non sit in obiecto, sed solo subiecto, DEO: respondeo non debuisses mea difficultate pressus provocare ad ignorantiam: visus enim es elabens, aut potius tegendi tantum, difficultatem meam, non vero soluendi consilium agitaſſe. Nam nunc respondeo, quod paulo ante dixi, quomodo potest ratio v. g. Petrum eligendi determinata in DEO esse? si ab obiecti conditione, quæ sola determinat, disceſſeris. Num ratio determinata est in voluntate? atqui voluntas, vt sæpe dixi, est indifferens. Num determinate Petrum vult, quia determinate vult? quis ita respondentem ferat?

An pronocabis, allegando determinatam rationem ad iustitiam, sanctitatem, sapientiam? caue id facias: ea enim adtributa obiecta extra DEum siue possibilia, siue existentia, supponunt, eoque rationes *obiectivas* offerunt, quas nolles: nisi forte fuerit, ut arbitrariarum essentiarum sententiam contra fidei tuæ socios recoquere instituas, atque dicas, *rem ideo sanctam, sapientem, iustam esse quia DEVS velit*: tum nouus metus orietur: vrgeberis enim: *cur DEVS determinate hoc uoluerit sanctum esse, nec potius aliud quiddam*: Vides tandem, doctissime reformate! fidem tuam contra rationis palmarium dogma pugnare, quod eo tibi molestius esse debet, quia rationem sanam non captiuandam esse in aliis fidei articulis, mirifice vrges.

(457) Vid. hunc ordinem apud Francisc. Turretin. theol. elenctic. L. IV. de prædest. quæst. 13. §. 21. 22.

(458) Professio Viti in apolog. p. 363. §. 60. hæc est que *hactenus pro supralapsariis dixi, ea nolim Lutherani fratres nostræ ecclesiæ tribuant. Publica enim nostra fides, ut inter omnes constat, tota infralapsaria est. Neque ego, licet cum supralapsariis sentiam, quidquam in publica fide mutatum uolo. Ceterum, quæ in textu dixi, confirmo. Obiiciunt supralapsarii infralapsariis: si prædestinationis decretum non prius est decreto creandi, sequitur, DEVM incerto sine hominem condidisse. Respondent infralapsarii, v. g. Turretin Loc. IV. de prædest. quæst. 9. §. 22. Nec enim si Deus pro sine non habuit patefactionem misericordiæ & iustitiæ in salute vel damnatione, illico dicendum est, omni sine caruisse. Quidam enim DEVS in utroque gloriam suam patefacere uoluit per exercitium aliorum adtributorum, potentiæ, sapientiæ, bonitatis, licet non respexerit adhuc ad misericordiam & iustitiam, quia nondum erat eorum obiectum constitutum? Quidquid hic respondet infralapsarius; poterit ei etiam obuerti*

a Lutheranis, quos incommode ita vocant. Arguit contra eos Hottinger in *dissertat. de voluntate anteced. & conseq. que histor. de grat. & predestin. subiuncta* T. II. p. 458. §. 44. *voluntatem humanam non posse inter duo decreta ita interuenire, ut prius seu antecedens aliquod DEI decretum (v. g. hominem seruandi voluntas) ab homine rescindatur, DEVS suo fine excidat, & per voluntatem consequentem illud velle, (ut Arminiani, Lutherani, loquuntur) cogatur, quod per interuenientem hominis voluntatem liceat: nobis esse dicendum, paulo inferius §. 45. pergit, hoc vel illud faciemus, si Deus permiserit. Iacob. IV. 15. Hebr. VI. 3. at illi inuertunt, DEVS hoc vel illud faciet, si homo voluerit; si per homines licuerit. Atqui Turretinus fidei socius, clarissime Hottinger! ut intellexisti modo, statuit, posse DEVM primo cogitare de manifestandis aliis adtributis, quam iustitia, & misericordia, quippe que ante cogitationem lapsus nondum semet exerendi obiectum habeant: tum demum, interueniente lapsus prescientia, DEVM respicere manifestandas misericordiam, & iustitiam vindicantem. Quid autem hoc est aliud, quam se adcommodare ad voluntatis humanæ interuentum in decernendo, & si odiose loqui tecum, vir optime! vellem, quid hoc esset, quam consilium mutare? Quidquid mihi responderis, socio tuo infralapsario responsum est. Si DEVS ex mente infralapsariorum primam voluntatem manifestandi alia adtributa, quam iustitiam & misericordiam, dimittere potest, ob interuentum lapsus, eoque iustitiæ & misericordiæ laudem post lapsum præuisum destinare; poterit etiam primo *omnium miseri*ri, deinde præuisa incredulitate certorum, alia de his statuere. Magis igitur consentanea docent supralapsarii, quam infralapsarii; interim tamen non ex omni parte vera. Arguo enim contra supralapsarios: aut Deus illud bonum, quod nunquam futurum est, nec fuit olim, nec existit, amat, aut odio habet, aut ambigit inter odium, & amorem: Si postremum dixeris; non est DEVS benignissimus, quippe quo cogitari potest benignior, amans & id bonum, quod nunquam fuit, aut futurum est: Si secundum placuerit, DEVM scilicet odio habere illud bonum; tum est*

ex parte malignus, quo nihil dici potest scelestius: primum adoptaueris, *DEVM illud bonum amare*; tu vult utique omne bonum serio, etiam id, quod ne euenit, quale est v. g. salus reprobis: cum autem *rationaliter*, liceat ita loqui, omne fieri non possi facit certe tantum, quantum præstari potest, id est decernit *optimum*. Datur igitur voluntas anteceder & consequens, quam tantopere impugnat Hottingrus cit. loc. Quod enim *DEVS* pro se sub certo ordine vult, nec tamen existit, id pertinet ad voluntatem antecedentem; quod vero *actu* præstat, quia omnibus bonis, quæ amauit, cum ratione, & sapientia fieri potuit, id est voluntatis consequentis. Maiori iure egomet ad soluendum hoc argumentum reformatos omnes animose prouocarem, quam *VITVS* aduersarios in apolog. p. 364. §. 60. prouocauit, n. vererer, ne eam temeritatem pro *thrasonismo* haberent viri eruditi. Id habeo tamen perspectum, quod hoc ratiocinium nemo vnquam distincte, & ex instructo examinauerit, quoniam a nemine, quod sciam ita instructum est. Audiamus verba ill. Bilfingeri: dilucid. §. 432. *Intendit DEVS omne bonum; decernit optimum*. Non igitur locutio est exclusiua, cum dicitur, *DEVM velle & eligere optimum*, quali in diuino consilio, ubi *systema optimum ceteris imperfectioribus præfertur*, diuina voluntas inclinatoria sese abstraheret ab eo omni, quod in optimo mundo futurum non esse præuidet. Vult optimum per hoc, quia vult omne bonum. Igitur non vult exesse ex suo opere hoc vel illud bonum, quod in optima serie abfuturum est v. g. non vult negligere aut exesse salutem reprobis quæ non futura est. Hæc est Leibnitii sententia, a discipulo exposita; cur ergo *Vitus* illustrem virum supra lapsariis adscribit? Vult illud cum ceteris simul omnibus, per vires in illo opere presentes possibilibus, iness operi; non vero illius præsentiam ita absolute decernit, ut eandem mediis quoque talibus efficiat, quæ cum effectu suo spectata *αποτελεσμα* præstarent imperfectum eo ipso, quod *iisdem* non adhibitis futurum fuisset. Falluntur igitur hic, qui formulam (*DEVS vult optimum in toto vniuersum*) ita intelligunt, ut putent, cum non solum velle præsentiam eius boni, per quod

optimum

optimus est, sed & absentiam illius boni, sine quo nihilominus est adhuc optimus; vel etiam, velle DEVM, ut viribus creaturarum naturalibus non præstetur id bonum, quod, si mediis absoluta Dei efficacia extraordinariis tantum obtineretur, ἀποτελεσμα imperfectius exhiberet illo, quod non obstante creaturarum vitio, per diuinam gubernationem cohibentem & corrigentem, nunc obtinetur. Vid. Leibnit. theod. §. 25.

§. 288.

Quæ igitur via, inquis, ineunda est? quem *Non datur ordo decretorum Dei.*
 decretorum DEI constituam ordinem? iam pridem uerso absolutissimo respondit Leibnitius. (459) *decretorum Dei.*
 Decretum DEI, etiam formaliter & in signo rationis, nonnisi unicum est, quod eo spectat, ut optimum rerum possibilium systema creetur, in quo possibile ab æterno fuit, collocari Petrum in his circumstantiis, ut fidem in Christum concipiat, Iudam autem in aliis, ut fidem non concipiat. Ecce determinatam rationem, quare hic præcise mundus fuerit conditus, nec alius quiuisset, cum hic scilicet optimus DEoque dignissimus fuerit. Ratio igitur decreti definita ab obiecto prodit. Si per obiecti deinceps partes iueris, quærendo, cur unicum DEI decretum hunc aut illum optimi mundi euentum voluerit? Non suppetit alia responsio, quam quæ data est, sciscitanti de toto vniuerso: nimirum, quia hic euentus alio quouis conuenientior erat. Ita seruabitur Petrus ob fidem: nulli enim rei magis conuenit malus, quam fidei; peribit Iudas ob incredulam malitiam: nulli enim rei magis pernicies congruit, quam perfidiæ. Determinata decreti ratio nulla foret, nisi respiceret ad maiorem huius, aut

394 *Cap. IX. Opportunitatem philos. recent.*
 illius euentus in mundo conuenientiam. Ca-
 dicas: *ergo etiam conuenientius fuit, malum*
optimo mundo exsistere, quam non exsistere: ne-
 enim conuenientius erat malum *exsistere*, se-
 melius erat malum *permitti*, quia in optimo
 mundo, qui propter DEI sapientiam condi-
 debat, erat futurum. Nullum cetera dubium
 est, quin DEVS malum studiosissime cauisset,
 aliud systema perfectius, idemque malo vacu-
 a diuino fuisset repræsentatum intellectu: quod
 disertissimis verbis innuit Leibnitius in theod.
 §. 22. seqq. Plurimum igitur differt hæc senten-
 tia a reformatorum doctrinis, quippe qui nu-
 quam concedunt, quod DEVS sub alia obie-
 conditione & qualitate alia decreuisset. Atque
 si alius mundus, a quo malum exulasset, ha-
 fuisset perfectior; DEVS illum condidisset: ne-
 potest igitur non obiecti condiciones intueri
 quod reformati negant.

(459) Vid. theod. Leibnit. §. 84.

§. 289.

Transitus
ad senten-
tiam Viti. *Cur autem hæc toties lectori, per se intel-*
genti, hætenus iniungo? Quoniam vir omnino
 doctissimus, & pacis studiosissimus, gymna-
 Cassel. professor, Vitus, multo conatu id egi-
 vt Leibnitium inter supralapsarios numerare
 Laudo institutum viri, quod ad conciliationem
 ecclesiasticam pertinet; hæreo autem circa me-
 dum illud exsequendi, quo *bellum maiori be-*
componere velle videtur. Quid enim potest esse
 intemptiuius, quam sub ineundæ pacis primo
 dia alterius partis asseclas, vt fecit clariss. Vitus

apolog. iam imperitos p. 350. iam impudentes & imprudentes p. 364. iam obtusissimos in præ-
t. §. 13. iam aliis conuitiis innumeris vocatos
ehonestare. Quid potest esse magis inexpecta-
um, quam ne ipsi quidem summo viro, cancel-
ario Tubing. D. Pfaffio, consummata eruditio-
is & pacis gloria celebratissimo, non parcere,
um tamen, qui pacem promouere studet, alios
ritando pacem non impediat. Respondebo
gomet ad præcipua sine æstu, vt decet, vtpote
emper irenicus in *praxi*, & quantum per verita-
is causam fieri poterit, etiam in *doctrina*. Vbi
xstitit irenicus ex vtroque; nihil potest eo in
umanis cogitari præstantius: vbi vero alter-
tro carendum; irenicum in *praxi* alteri, qui
& doctrina modo talis est, longissime antepo-
erem.

§. 290.

Omnes excellentissimi Viti machinas, pro
supralapsarianismo adstructas, demoliri, instituti
uius non est; ostensa tantum nonnullarum la-
itate & vitio, de ceteris tum iudicium ferri po-
erit. Contra sententiam v. g. *Lutheranorum*,
uos non maiori iure tales adpellat, quam refor-
nati quidem *Caluiniani* vocandi sunt, de gratia,
ui resisti potest, ita arguit. (460) *Quidquid in*
arbitrio hominis fuerit, quamobrem alius præ alio
salutem consequatur, aut erit malum, aut indif-
ferens, aut bonum. Sed cum neque malum esse
possit, a quo vno post vniuersalem gratiam homi-
nis, salus pendet, nec etiam indifferens, vt sa-
cienter Lutherus p. 73. demonstrat: nemo sane
mentis

Dubium a
Vito ob-
uersum.

396 Cap. IX. Opportunitatem philos. recent.
 mentis illud, quod a nostro arbitrio, præter gra-
 tiam ad nostram conversionem requirunt, non ver-
 bonum existimarit. Id igitur aut a gratia est
 & sic sola gratia omnis in hominibus regenerandis
 aut non regenerandis, discriminis causa est: au-
 a libero arbitrio; & Lutherani adeo contra Lu-
 therum & suos libros symbolicos cum Erasmo ali-
 quid boni a libero hominis, in peccatis adhuc mor-
 tui, arbitrio proficisci posse volunt, quod ali-
 præ aliis conversionem, fidem & salutem conse-
 quantur.

(460) Vid. apolog. Viti p. 135. seqq. §. 17.

§. 291.

Responsio.

Si quis omnem v. g. glaciem, quoties per-
 rumpitur, irresistibiliter, fas sit voci, diffringi
 probaturus, ita vt nec summa eius inertia dur-
 tiesque motui impresso obsistere potuisset, argue-
 ret: aut id, quod fractam glaciem a non per-
 rumpenda distinguit, est motus, (boni quid) aut
 quies, (mali quid,) aut indifferens. Atqui ne-
 potest esse motus, cum nihil ad sui fracturam con-
 ferat glacies; nec ambigere inter motum & qui-
 tem, cum omnino resistat: ergo est quies, eoque
 semper frangitur necessario. Quid responderes
 clariss. Vite! diffringi glaciem ob finitudines
 virium resistendi, hic & nunc autem ob virium
 motricium impingentium superpondium; ind-
 tamen non sequi, quod resistendi limes a vi mo-
 trice superatus quidquam contulerit ad fractu-
 ram: adderes futurum fuisse possibile, vt vires
 resistendi, hic & nunc in aliis circumstantiis gel-
 maiore exorto, fuissent superiores viribus motri-
 cibus:

bus, vt immota mansisset glacies. Cum euangelici gratiæ resisti posse docent, & aliquando non resisti, ita quidem, vt ab hac conditione euentum salutis suspendant; an inde sequitur, quod liberum arbitrium actione positiua emendationem promoueat? Non - resistendo haud agimus, sed actionem contumaciæ vltiorem suspendimus. Non resistere, fines virium, non vires suas arguit. An non - agendo agimus? Absurde! qui id fieri debet, si argumentum tuum clarissime Vite! contra aduersarios valeret. Dirigitur tela in Pelagianos, semipelagianos, & Arminianos, qui actionem quandam hominis naturalem in operatione Spiritus S. interuenire contendunt, non contra euangelicos, qui conditionem salutis in *non agendo* ponunt. (461)

(461) Simile de glacie ideo adhibui, quoniam eo vsus est Leibnitius in præfat. theod. p. m. 47. & quoniam ex eo intelligi potest, quæ mens viri illustris fuerit in hac doctrina, an reformatis adscribi possit, qui profiteretur, *hominem non resistendo gratiam admittere, & resistendo amittere* c. l. quod nemo reformatorum dixit vnquam. Plura dabimus in seq. discursu. *Non resistere* duplici sensu dicitur: vel hoc, vt positiuo actu contumaciam coortam homo suis viribus vincat; quo significato in hominem non cadit: vel innuitur, vt homo in certo oblectandi gradu tantum subsistat, vt gratia spiritus hic & nunc afficiens maior & fortior sit illa resistendi vi; quo sensu homini tribuendum est. Pendet igitur salus non ab arcana voluntate, rationibus in DEO solo quærendis, sed a conditione hominis, & gradu resistendi, id est, a ratione *obiectiua*. Duo h. l. inuestigari possunt. *Cur gradus resistendi tantopere in diuersis hominibus variet?* præterea *quantus esse debeat, vt irrito effectu gratia operetur.* Primum decidit Leibnitius l. c. pronuntians, *varietatem illam circumstantiarum, in quibus homo versetur,*

*versetur, diuersitati, gratia affantis aliis aliisque gr
 dibus, animi denique multiplici dispositioni tribue
 dam, hæc tamen omnia necessitatem non impone*
 Altera quæstio accurate definiri non potest. Ei tam
 illustrandæ inseruit distinctio inter varios resister
 modos. Alius est naturalis & perpetuus, alius m
 rosus: hoc iam theologi discrimen obseruarunt. S
 & ipse morosus resistendi conatus duplex est: ali
 quo obluetur homo effectui adminiculorum pæd
 gogicorum; alius, quo repugnat Spiritus S. per ve
 bum operantis efficaciam. Adminicula pædagogica pr
 ficiscuntur vel a lumine naturali, eiusque vsu, vel
 tractatione externa verbi diuini legitima, vt script
 ram legas, legendo animum aduertas, vt cupidus v
 luntatem DEI existas discendi. Qui his adminicu
 obluetur, gradum resistendi summum conscend
 nec via ordinaria reuocatur ad frugem. Hoc sensu
 arbitrio hominis positum, resistere, & non resister
 sed priori sensu homo non potest non, & naturalit
 & morose Spiritus operationi resistere. De posteriori c
 natu repugnandi intelligi debet regula: *facienti, qu
 in se est, DEVS non denegat gratiam.* De qua eximi
 dissertat. nuper edidit reu. cancellar. Tub. D. Pfaffi
 Nimirum *facienti, quod in se est*, id est, adminicu
 pædagogicis recte vtenti, (plura enim homo in p
 catis mortuus præstare nequit.) *DEVS non deneg
 gratiam.* Iudicet lector, an Leibnitius supralapsar
 rum, ne dicam de ceteris, numero habendus, &
 hanc regulam æternæ veritatis iudicat in theod. §.
Facienti, quod in se est, DEVS non denegat gratia
*An quisquam supralapsariorum admisit vnquam, pe
 dere a facto hominis, vt non denegetur gratia? I*
 mo vero, si regulam non explicasset, magis vider
 tur semipelagianis, quam supralapsariis fauere. C
 dixi in antecedentibus, resistendi suspensionem poni
 aliquo non agendo, locutus sum de absentia pug
 viterioris, qua operationi Spiritus obluetur; n
 autem de ea, qua desinimus resistere adminiculis p
 dagogicis. Hæc enim pugnae absentia, qua respue
 pædagogica cessamus, in positiuo actu recti scilic
 vsus luminis naturalis, & tractandi verbi, legend
 attendendo, collocatur. Dices: *ergo tandem sa*
om

omnis vertitur in actione naturali, recto rationis usu, frequentando templo, legendo verbo, quid autem est idolum liberi arbitrii erigere, si hoc non est? Caue confundas distinguenda. Qui liberi arbitrii efficaciam negant, in spiritualibus eam negant, non in naturalibus: iam vero has actiones spirituales esse, nemo tuorum aduersariorum dixit vnquam. Cur autem penderent, inquis, ab operationibus natura ea, quæ ad regenerationem pertinent? Non pendent ab iis tanquam a causis, sed tanquam a conditione sine qua non, vt a remotiorne valuarum conclaue non illustratur, sed a solis lumine. De actibus pædagog. vid. dissertat. Dn. Pfaffii de pacto inter Patrem & Filium in diuinis p. 12. 13. Formula concordix docet, adminiculis pædagogicis vtenti non defuturam gratiam L. L. symb. p. 671.

§. 292.

Audiamus nunc porro prouocantem suos *Aliud dubium Viti.*
 uersarios clariss. *Vitum.* Quæ hætenus de diuina præscientia aduersus te, doctissime Moshe-
 i! dixi, ea videntur exceptione maiora - -
 tantum huic meo argumento tribuo, vt tota hæc
 e causa cecidisse ultro largiturus sim, si, non
 icam mihi, sed idoneo cuius arbitro, sed iis
 dei tue sociis, qui sapiunt, sed ipse denique
 bi respondendo, argumentandoque feceris sa-
 is - - Tuum est, ex duobus his te laqueis, in
 nos te induxi, expedire. Primum vt contra me
 462) doceas, vel non eadem iniqua diuina bo-
 itati, sanctitati, iustitiæ ex Lutherana præsci-
 ntia & prædestinatione videri consequi, quæ vt
 x supralapsariorum hypothesi eliceres, magnopere
 mtendisti: vel alia ratione expediri posse, quam
 ua supralapsarii etiam suam sententiam a tuis
 rimationibus defendere possint: deinde vt de-
 onstres, eternam, eamque infallibilem, diuinam
 præ-

præscientiam tueri posse, qui neque supralapsariu sit, nec Manichæus, neque cum Spinoza sentiat neque brutum quoddam fatum DEO superius admittat. Eloquentissimi viri in locis, quæ citatum antecedunt, & consequuntur, labor omni in eo versatur, partim vt probet, tantunden difficultatum ex præscientia DEI, quam euangelici profiteantur, elici posse, quantum obuert queat supralapsariis, partim eo spectat, vt monstret, (463) posse DEVM ea agere superiores legibus, (464) quæ ad rationes humanorum officiorum exigunt nec possunt nec debeant. Hinc enim vrget de permissione mali dubia, quo vi Bælius ea potuit exaggerare vnquam. Dispar tamen consilio. Bælius enim id agebat, vt Manichæos ex ratione inuictos comprobaret: Viti autem statuit, extorquere aduersariis responsum supralapsariorum de mali permissione: noscitur ad regulas humani tribunalis exigenda esse DEI vias.

(462) Verba sunt Viti in apolog. p. 302. §. 48.

(463) Hoc intendit vir clar. in apolog. p. 326. per multas paginas sequentes.

(464) Vid. apolog. eiusd. p. 348. sub fin.

§. 293.

Responsio. Facilis est ex mente Leibnitii responsio a vtrumque. Omnes Viti machinæ prosternuntur & quidquid ex præscientia DEI, lapsum multante videntis permittentisque contra bonitatem iustitiam &c. caussatus est, id omne mox euanesct, vbi per sublimiores omnino rationes stetisse dicimus, quo minus malum DEVS impediret. Hæc ver

ero decisio satis consentanea est euangelicorum
e conditionatis decretis doctrinæ. Urget enim
posterior rationes *obiectiuas*, nec docet DEVM
igentem, nisi ratio fuerit determinata in condi-
one electi: prior vero Leibnitii explicat clarius,
uamnam sit illa ratio ab obiectis petita, electio-
em determinans? scilicet maxima obiecti cum
loria DEI conuenientia. Ita mundus hic præ-
ns non est decretus, nisi sub conditione opti-
mi, omittendus profecto, si optimus non fuis-
t: ita partes huius mundi, quotquot bonæ
ent, non electæ nisi sub conditione optimi.
etro decernitur salus, quia conuenientius est,
b fidem decerni illam, quam non decerni; de-
inantur adminicula salutis, quia accommoda-
us est, destinari sub his circumstantiis, quam
on destinari. Ita decernitur hoc vel illud ma-
um permittendum, quia satius est id permittere,
uam absolute obstare. Diuersissima vero est
pralapsariorum sententia. Destinat DEVS glo-
am in illustranda iustitia & misericordia, non
uia obiectum iustitiæ & misericordiæ *tale est,*
et tale; sed quia uult. Eligit Numen hos, re-
probat illos; non quia ratio maioris conuenien-
æ reprobandi hos, illos eligendi, est in *obie-*
o; sed quia minus determinata habetur in sub-
cto: quia stat pro ratione voluntas. Non igitur
otest supralapsariorum DEVS excusari, qui
ulla ratione, quam sua despotica voluntate du-
tus, peccatum permittit, hos amat, illos odit,
ignos amore aut odio in seruatore quodam, aut
xtra eum, parum curando, arbitrium duntaxat

sequendo. Excusari vero, immo summopere laudari euangelicorum & Leibnitii DEVS & potest, & debet, quia *nihil facit nisi cum ratione detestatus despoticam, sine causa exsertam, auctoritatem: qui permittit peccatum, quia sine ratione totiusque vniuersi detrimento non est absolute impediendum: qui amat & odit, non nisi amore & odio dignos. Eat nunc clar vir, & agnoscat, tam absurda ex euangelicorum doctrina non sequi, quam ex supralapsariorum.*

§. 294.

Occurri-
tur cete-
ris.

Cetera nunc sponte corruunt. Præscientiam DEI tueri potest, qui nec cum supralapsariis, nec cum Manichæis, nec cum Spinoza sentit. Supralapsarius docet, *præscire DEVM omnia: qui cuncta decreuit, v. g. & ipsum malum, cui tamen culpam non contrahat, quia lege est omni superior.* Manichæus fingit, *præscire DEVM bonum, & malum ipsum, quo tamen non coinquinetur, cum abs malo DEO trahat ortum.* Spinozista *omnia tribuit fato.* Sed ecce! patet quarta, quæ est veritatis, quam ii calcant, qui iniungunt, præscire DEVM cuncta, perspectaque quoque, quæ futura erant, malis, sed absque omni labe contrahenda; quia ad malum cauendum tantam curam adhibuit, quantam cum ratione potuit: id est, quia conuenientius egit, malum permittendo, quam absoluta potestate sufflaminando. Qui autem tanto molimine, æstu & facundia in apolog. p. 284. stabilita DEI præscientia, promiscuam rerum omnium necessitatem obtrudere conatur; neglecta aduersariorum, quæ
impu

impugnanda fuisset eorum sensu, *distinctione inter necessitatem consequentia, & consequentis, hypotheticam & absolutam*, is, ita me DEVS immet, aerem verberat, & irritis ictibus petit necio quos aduersarios. Potuisset vir doctissimus ex ill. Bilfingero notiones *necessitatis & contingentia* (465) explicatiores haurire, nec non intelligere, quod *præscientia DEI res determinatas præstet, necessarias non faciat*; quod plurimum intersit inter id, quod *unice futurum*, & alterum, quod *unice possibile* est: non ipsi difficile fuisset cognoscere, omne necessarium esse determinatum, sed non vicissim; omne necessarium certum, sed non vicissim: *præscientiam tam non nocere siue libertati, siue contingentia*, quantum abest, vt astronomi *prælagium inferat necessitatem eclipsi*.

(465) In dilucid. §. 42. §. 81. seq.

§. 295.

Præuideo fore, vt in risum propendat vir *eruditissimus*, nondum hoc lecto paragrapho *Annou*, inquiet, *ostendi, hoc simile longe ineptissimum esse? ab astronomo non pendet eclipsis; per-* Sz essentie sunt necessarie decretum Dei nec libertatem, nec contingentiam totit.
dent vero a DEI decreto omnia; immo vero in-
uertendum est simile: quemadmodum astrorum
curfus causarum concatenata serie, qua necessi-
tas continetur, perficitur: ita & hominum facta
DEVS necessario nexu coherentia præsentit. (466)
Sed salua res est. Quemadmodum ab æterno possibile fuit, *creari contingentes partim, partim liberar creaturas*: ita tantum abest, vt *Numinis decretum*, quod isthas res *possibiles existentia*

maclat, in iis mutare quidquam possit, ut potius nihil addat quam *possibilitatis complementum*, id est, existentiam. Si quid mutare instituit voluntas DEI, non variat rei *essentiam*, ut ex *possibili hoc redderet impossibile prorsus*; sed *existentiam* potius, quæ a DEI nutu pendet. Itaque decretum DEI non magis contingentiam rerum & libertatem tollit, ac astronomus præsciendo eclipseos contingentiam euertit. In eo ponitur discrimen, ut Numen res præscitas, quæ existunt, alterare possit, astronomus non possit; sed id ad variandam *essentiam* nihil pertinet. Quocirca si rerum *essentia*, seu *possibilitates*, libertatem & contingentiam inuoluunt, inuariata manet utraque, accedente licet existentia per decretum DEI. (467) Quisquis propterea per decretum DEI rebus necessitatem imponi contendit, *eum oportet ostendere, res non fuisse possibles, sine decreto DEI*: nam si res possibles sunt etiam tum, quum a voluntate DEI discesseris; non poterit eas arbitrium DEI aliter condere, quam eo modo, quo possibles erant: atque adeo, si possibilis fuerit libertas, contingentia, &c. decretum DEI creauerit liberum hominem, contingentem, ubi visum fuit, nec eius sustulerit naturam; aliter enim non conderet, quod condere voluit, scilicet rem, quæ *possibilis* est, hanc, nec aliam.

(466) Ita ad simile de astronomi præfagio respondet Vitus in ap. p. 306.

(467) Breuius rem ita habe. Aut res possibles sunt ante DEI decretum, aut non. Si prius placuerit; non potest DEVS eas alio modo creare, & existentia donare, ac possibles sunt: decretum igitur libertatem, si quæ possibilis condenda foret, non tollit: si posterius

sterius; tum præter rationem essentiaæ arbitrariæ cooptantur. Quodsi igitur nulla datur libertas, nulla contingentia: probandum est, vel eas esse impossibiles, quod nemo temere demonstrauerit; vel libertatem & contingentiam a DEO non maçtatam existentia, quod facile refutatur, sin examinemus, num definitio libertatis possibilis in vllam rem creatam cadat? Fac, eam definitionem in rem vnã alteramque cadere, libera ea erit, non obstante DEI decreto, quod nonnisi complementum possibilitatis exhibet. Prouocarem ego potiori iure dn. *Vitum* ad irrefragabile hoc ratiocinium soluendum, nisi me puderet vti thraso- nismis.

§. 296.

Tandem inquirendum erit: *an merito supralapsariismi coarguatur illustris Leibnitius?* *An Leibnitius supralapsarius?* quem vt in suas partes trahat, omnem lapidem nouet doctiss. Vitus. Non alienum erit, examinare opinionis rationes. (468) *Ipsè, inquit, scilicet Leibnitius a supralapsariis reliquis non differt, nisi quatenus aut DEVM sine certa grauique causa, consilii de seruandis, damnandisque rationem iniuisse ex indifferenti voluntatis libertate, supralapsarii existimant - - nam cum hi mali originem ad voluntatem diuinam fere referant, ille (Leibnitius) eandem altius adhuc scrutatur, & ex ipso intellectu diuino repetit, magis adhuc, quam qui hætenus existimabantur supralapsarii, supralapsarius est. Non igitur ipsam supralapsariorum hypothesin, qua malum ex DEI decreto futurum statuunt, reiecit, sed quod aut indifferente libertate hac in re usum velint, aut eas rationes diuini consilii reddant, quas ipse (Leibnitius) minus probat.*

(468) Vid. apolog. Viti §. 61. p. 365. .

Responsio.

Obstupui, cum hæc legerem: vel enim vi longe eruditissimus systematum de prædestinatione atque decretorum ordinem se nosse dissimulat, vel affectu, quo per librum omnem calebat disputandi abreptus, non continuo in memoriam reuocauit, omne discrimen systematum de prædestinatione in allegandis aliis aliisque rationibus vel *obiectiuis*, vel *subiectiuis* verti. Concedit viduus doctus. Leibnitium alias rationes decreti vrgere quam supralapsarios: nouit, rationem Leibniti esse ab *obiecto*, id est, optimo mundo petitam. En! admittit igitur *definitionem decreti conditionati* a Leibnitio crediti; *definitum* vero non admittit, eumque supralapsariis adgregare constituit. Hæc solent euenire iis, qui saltim ex vocabulorum sono, nec ex idearum intuitu philosophantur. Varietas rationum decernendi varietate prædestinatione systemata parit. Quodsi igitur Leibnitius, vti concedit antagonista, alias De rationes eligendi assignauit, quam supralapsarii profecto etiam aliud systema habuit, quam hinc neque cum iis sociandus est. Si vir excellentissimus distincte cogitasset, *quæ sit definitio ordinis decretorum*, in quem omnium circa hoc negotium doctrinarum diuersitas resoluitur: non potuisset tam dissentanea scribere, concedendo, in systemate Leibnitiano alias prædestinandi rationes indicari, quam in supralapsariorum, & nihilo secius hoc confundere cum illo. Quid *ordo decretorum sit?* supra commonefeci. Est nimirum *nexus, quæ unum decretum alterum respicit tanquam*

quam eius motiūm. Nemo temere negauerit hanc definitionem. Itaque si fatente Vito doctiss. decretum DEI in Leibnitii sententia alia motiua habet, quam in sententia supralapsariorum; alius ibi ordo, aliud systema oritur. Quomodo ergo Leibnitii systema potest cum supralapsariorum esse vnum, quod quippe est aliud, vt modo demonstraui?

§. 298.

In sententia supralapsariorum DEVS primo decreuit manifestare misericordiam, & iustitiam, in damnandis nonnullis, ceterisque seruandis; in Leibnitii systemate destinat Numen non speciatim gloriam huius aut illius adtributi, sed gloriam possibilem omnem, ex creando optimo comparandam; tum demum, quia cum optimo malum connexum erat, decernit eodem actu non malum, vt ipsi affingitur, sed permissionem mali, eoque demum exercitium iustitiæ. Ex mente ergo supralapsariorum decretum manifestandæ iustitiæ motiūm nullum habet determinatum: est igitur figmentum, ob axioma superius; ex mente Leibnitii decretum mali permittendi & iustitiæ exercendæ motiūm determinatum habet, scilicet *nexum mali cum mundo optimo.* Ex definitione proin ordinis, in systemate Leibnitii cogitatio diuina de iustitia illustranda non est prima, vti prima est penes supralapsarios; sed est *secundarium* decreti de optimo principalis *adiunctum*: quam cogitationem exercendæ iustitiæ DEVS non suscepisset, nisi malum in optimo mundo fuisset. Ergo alius hic ordo, quam ibi constituitur. Si

supralapsarios audias, DEVS non habet ratione *obiectiuas* decernendi gloriam iustitiæ, verum duntaxat *subiectiuas*, quia sic decernere vult: (Leibnitium sequaris; Deus plane nullas rationes nisi mere *obiectiuas* respicit, non ita decernit quia vult, sed quia obiecti conditio hæc optima est, non autem alia, quia partes in obiecto v. g. salus Petri conuenientior est, quam perniciēs nimirum ob fidem. Si vel vnicum supralapsarium allegare possit Vitus doctissimus, admittentem *rationes obiectiuas*; tota hac caussa cecidero. Iterum atque iterum inculco, vt, modeste tamen, prouocatum velim heic publice professorem Casselensem, velit, si placuerit, vel vnicum nominare supralapsarium, qui rationes decreti diuini *obiectiuas* concedat. Per orbem, qua patet, omnem vulgatum est, in eo poni decretorum absolutorum a conditionatis discrimen, vt illa non nisi rationes *subiectiuas* in DEO eligente, hæc autem *obiectiuas* in re electa requirant.

§. 299.

*Viti dubium re-
uocetur.*

Non possum satis mirari cetera, quæ excell. *Vitus* subiunxit. *Leibnitium scilicet magis ad huc supralapsarium esse, quam sint ipsi supralapsarii: quia originem mali alius scrutetur, & non ex voluntate diuina, cum supralapsariis, sed ex ipso DEI intellectu repetat.* Quæso, quo non abripit æstus disputandi? an cui potest competere definitio, in quem non cadat definitum? Num quis potest esse animal rationale, ac tamen elephæntus? An quis mali originem ex intellectu potest repetere diuino, & tamen non esse

con-

conditionati decreti patronus? Cur ex cognitione vocabulorum symbolica arguimus, missa earum intuitiva? Quid loquimur quæso? substituiamus ideas & definitiones in locum vocabulorum, queis utimur. Qui essentiarum omnium, bonæ & malæ, seu limitationis earum originem ab intellectu diuino arcessit, quid ille loquitur? substituiamus definitionem. Eo spectat sententia, *intellectum DEI res omnes representasse, ut ad hæc possibiles tali, vel tali modo, si condi deberent, affectas: obtulisse igitur voluntati infinitam istam cognoscendi vim varia, ex quibus voluntas optimum eligeret, quia ut tale fuit representatum; ex quibus voluntas cooptaret res, quia tales sint representatæ, non quia velit: aliter intellectu opus non esset.* Cur igitur intellectus DEI, res repræsentans, decretum antecedere debet? Annon ideo, ut rerum possibilium conditiones perspiciat, ut posthac voluntatis decretum pro ratione obiecti repræsentati decidere queat? Si tantum decidit ita, *quia vult;* intellectus præuia cognitione opus non est. Quocirca vel ignarissimus videt, quia electionis ratio in repræsentatione intellectus quærat, stabiliri rationes *obiectiuas*, quæ *absolutissimum* funditus uertunt.

§. 300.

Dat etiam clar. *Vitus* p. 366. verba Leibnitii ex theod. P. II. §. 239. quæ ita habent: „L'on ne voit pas aussi, comment celui, qui non seulement fait, qu'un homme puisse tomber, mais qui dispose les circonstances en sorte, qu'elles

Aliud dubium Viti soluitur.

contribuent a le faire tomber : n'en soit point coupable, S'IL N'Y A D'AVTRES RAISONS QVI L'OBLIGENT. Subiungit: *aut fallor ego vehementer, aut eo consilio ultima verba, quae ad naturam huius periodi pertinent, omisit dectiss. Moshemius, ut vel me tacite argueret erroris &c.* Neque igitur hoc loco ipsam supralapsariorum hypothesein, sed rationes tantum, quae quidem hypotheseos suae reddunt, refutavit ille Leibnitius. Ipse enim eiusdem rei aliam tantum rationem ibi reddit. Aut fallor ego potius vehementer, aut qui aliam permissi mali rationem & motiuum reddit, aliud exhibet systema. Nam in varietate motiuorum decernendi, ordo decretorum collocatur varius. Annon omnes decreti DEI de malo admittunt? & euangelici & reformati? in quonam ergo ponitur sententiarum varietas? quod euangelici alias allegant rationes quam reformati, eoque ipso diuersum ex motiuis diuersis decretorum ordinem constituunt. Euangelici hanc rationem allegant, vt ex Budde citauit §. 221. *quod contra debitum fecisset DEVS malum absolute impediendo: vel, quod idem sonat, ex mente Leibnitii, quia omnibus circumstantiis computatis conuenientius fuit permittere peccatum, quam impedire, id est, quia hic mundus fuit DEO conuenientior.* Reformati contra supralapsarii rationem non permissi, sed, vt putant, decreti, mali in eo quaerunt, *quia DEVS superior legibus, ad regulas rationis humanae iudicari non debeat: breuiter, quia DEUS est dominus, despota, cuius stat pro ratione voluntas.*

an forsan etiam nullum discrimen est inter euangelicos & reformatos, quia in allegandis tantum decreti de malo rationibus variant? An prorsus euangelici pro supralapsariis habendi? Cur igitur eos tantopere obiurgas, criminaris, perstringis? *Absit*, inquires, *ut nullum discrimen inter utrasque partes esse quisquam affirmet.* Atqui eodem argumento probare potero, nullum esse discrimen inter euangelicos & reformatos, quo tu ostendere voluisti, *Leibnitium esse supralapsarium.* Nimirum quia, si tu audiaris, eadem prædestinationis sententia inuariata manere potest, etiamsi rationes prædestinandi aliæ allegentur; poterit etiam vna esse euangelicorum & reformatorum doctrina circa hoc punctum, quia non nisi in adsignandis decreti rationibus diuersa sentiunt.

§. 301.

Continuat suum discursum excell. *Vitus præ-* *Aliud Vitæ*
terea h. m. Caue existimes, Leibnitium, cum saepe *dubium.*
præuisi permissique peccati & impœnitentiæ finalis
mentionem facit, eamque præuisionem decretis di-
uinis priorem constituit, cum supralapsariis non
sentire. Toto enim cælo Leibnitiana hæc præsci-
entia & permissio a Lutherana differt. Quæso
autem cur? Illa enim, cum tantum circa pecca-
tum versetur, quatenus possibile est, & quatenus
futurum esse non poterat, nisi ex DEI decernen-
tis voluntate, tota supralapsaria est: Lutherano-
rum autem, cum circa peccatum versetur, qua-
tenus futurum iam est, & quatenus futuri hæc
mali existentia non ex DEI voluntate pendet, sed
ex

412 Cap. IX. Opportunitatem philos. recent.
ex indifferente creatarum mentium arbitrio, aut
Manichaam esse, aut contradictoriam supra de
monstravi. - - Dicitur igitur non potest (469), quan-
tum supralapsariis Leibnitius, in Lutheranae licet
ecclesiae sinu natus & educatus, profuerit? Magnum
enim hoc humani ingenii prodigium praclare sen-
sit &c. Dicitur vix potest, quantum a vera Leibniti
sententia aberret clariss. Viti. Non credidissem
fieri posse, ut, qui vel fando duntaxat de Leibni-
tii sententia cognosset quidquam, adeo detor-
queret eius doctrinam.

(469) Lege hæc verba in apolog. Viti p. 368. 369.

§. 302.

Responsio.

Primum falsissimum est, præscientiam Luthe-
ranorum, quos ita male vocat, circa peccatum
versari, quatenus futurum iam est, & quatenus
futuri hæc mali existentia non ex DEI voluntate
pendet. Quis evangelicorum unquam affirmavit,
præscientiam DEI versari circa malum olim fu-
turum sine DEI decreto? Annon omnes faten-
tur, permissionem mali, non vero malum ipsum,
a DEI sanctissima voluntate oriri, decerni? Non
igitur futurum esset malum, nisi decreuisset
DEVS permittere; sed aliud est, velle peccatum
fieri ab aliis, ut reformati DEO affingunt; aliud
velle permittere ob graves rationes, ut peccatum
fiat ab aliis: id quod evangelici contendunt.
(470) Atqui hæc ipsissima est Leibnitii sententia.
Nunquam ille docuit, DEVM in optimo mundo
peccatum velle, sed velle permittere, quoniam
cum optimo mundo, adhuc ut possibili spectato,
coniunctum erat. Decreto igitur optimo mun-
do

do, *rationabiliter*, (*fas sit verbo*) non poterat non eius quoque existentiam permittere. Hinc si cum ratione potuisset separari ab optimo mundo, nunquam fuisset futurum. An hæc quisquam supralapsariorum dixerit? Evoluat, quæso, lector extra partium collocatus studia theodic. Leibnitianæ §§. 22. 23. 24. 25. quibus nihil potest extare disertius: distinguit Leibnitius inter voluntatem DEI antecedentem & consequentem, quam distinctionem nemo reformatorum adoptavit unquam, immo nuper demum clar. Hottinger peculiari dissertatione adgressus est: inculcat vir illustris, *voluntate antecedente DEVM velle omne bonum, quia bonum est, licet nunquam futurum*, eoque hæc adplicando, vult & salutem reprobis, licet non futuram, saltim ideo, quoniam bona est. Quis reformatorum hoc admisit? Addit, DEVM velle *serio omnes homines salvos*: quid potest esse clarius? An hæc in mentem venerunt reformatis? annon huic veritati *πυξ και λαξ* repugnant? Pergit generosissimus baro, *voluntatem antecedentem adeo efficacem, ut, nisi fortiores rationes, voluntatis consequentis, interuenirent, effectus secuturus esset*, id est, salus reprobis futura esset: quomodo hæc cum sententia tua conciliabis, doctissime Vite!

(470) Ita Buddeus in theol. dogmat. p. 577. *Cum David de Simei dicit, dominum dixisse ei, ut malediceret Dauidi II. Sam. XVI. 10. 11. nemo profecto sibi persuadebit, per reuelationem quandam peculiarem DEVM hoc iussisse, vel præcepisse Simei. Vnde longe est manifestissimum, nil aliud sibi velle Dauidem, quam hoc, non sine Numinis voluntate & permissione fieri, ut Si-*
mei

mei maledicat. Quis non hinc intelligit, euangelicos malum futurum non statuere sine DEI decreto sed *permittente, non efficaciter operante*, quod reformati mallent. In finitis testimoniis, hanc doctrinam euangelicorum esse, demonstrare possem, nisi impium foret, soli lucem velle affundere.

§. 303.

Quantum
Leibnitius
a reformati-
s dif-
ferat.

Idem ill. Leibnitius theod. §. 22. voluntatem antecedentem ita describit, ut non nudam *velleitatem*, (sic enim barbare loquuntur,) indicasse luce meridiana clarius sit. Quid est barbarum *velleitatis* monstrum? *Quum voluntas tendit, aut in rem fieri nesciam per se, aut in talem, cuius impetranda laborem auersatur.* At insensatus est, qui Leibnitianam voluntatis antecedentis definitionem ita exponit, aut cognoscet, toto cœlo eam a *velleitate* diuersam. Dicit enim, ex voluntatibus antecedentibus earumque pugna oriri consequentem, quemadmodum in mechanica concursu tendentiarum mobilis, *αποτελεσμα* resultet, quod omnibus tendentiis prioribus, quoad fieri possit, satisfaciat. Num parentis voluntas, quæ & locupletem & piam filio sponsam adiungere vult, circumstantiarum autem concursu impedita in probitate sponsæ adquiescit, *velleitatis* titulo meræ dehonesta est? Annon voluntas hæc consequens est effectus antecedentis? Atqui similia perfecte de DEO docet Leibnitius c. 1. Prodeant nunc reformati, qui ita animo affecti sunt; non erit spes pacis forsitan tantopere remota.

§. 304.

Quid de ceteris, quæso, doctrinis Leibnitii *Illustratur*
 cam, eodem loco expositis? Annon scribit, *potro.*
velle DEVM omne bonum antecedenter; optimum
pro, quia omnia bona simul in systemate non
petrantur, consequenter? Quid potest esse ex-
catius, quam cum §. 25. theod. ait, voluntatem
consequentem, quæ circa malum tanquam ob-
jectum versetur, non nisi permissiuam esse. Num-
quid ita sentiunt supralapsarii? Quis nescit, eos
permissionem grauissime inuehi? Quem fugit,
malum absoluto, pro iustitia illustranda, DEI
creto, non autem permissioni tribuere? Non
dicunt vt Leibnitius, velle DEVM omne bo-
num, etiam quod nunquam euenit, aut eueniet:
non asserunt, si fieri per rationes sublimiores potuis-
set, DEVM quoque bonum, quod non fit, procu-
ratum fuisse; sed id contendunt, malum de-
uuisse DEVM, sine ratione obiectiua, non esse
causam, cur ei culpam affricemus, quia sit legi-
bus superior. Id iniungunt, quod non sit euentum
 bonum, plane nunquam Deum voluisse.

§. 305.

Vt sententiam Leibnitii distinctius expositam *Metaphy-*
 indicarem, viri illustris non tam existimationi, *sicæ Poireti*
 quam religioni euangelicorum debebam. *reforma-*
 Per- *tatis fa-*
 am ad cetera, quæ nunc succurrunt. *uet; Leib-*
 philosophicus absolutismus, de quo supra, theo- *nitii eu-*
 gico reformatorum *absolutismo* præstruitur *angelicis.*
 nunquam speciei genus. Quod ille generatim
 e omni diuina actione, foras prodeunte, affir-
 mat;

mat; hi ad prædestinationem & electionem applicant. Quemadmodum ille negat, DEVM vlla ratione, ab obiecto petita, decernere quidquam; ita hi speciatim in negotio salutis sentiunt idem. *Consentanea igitur magis docent, quæ Poireti essentias arbitrarias ex reformatis amplectuntur*: non potest enim absolutum decretum sine illis consistere. v. g. excellentissimus Vitus cum omni orationis limpidissimo flumine in eo est, vt probet, *præscientiam DEI (471) rebus actionibusque cunctis, & liberis omnino, imponere necessitatem*: in eo monstrando adeo effertur, vt euangelicos, id negantes, *capta rationis, extremæ dementiæ, stoliditatis* coarguerit omnibusque propemodum conuictis, *pacis ecclesiasticæ causæ*, p. 307. 308. onerauerit. A si calculos recte subduxerimus; tota vis huius doctrinæ in opinionem arbitrariarum essentiarum erumpit.

(471) Vid. apolog. Viti p. 307. 308. seqq.

§. 306.

Absolutissimus penitus eueritur per dogma de essentis necessariis.

Corroborabo, quæ dixi, argumento. *Quæ essentias necessarias statuit, ille fallitur, quum decretum DEI rebus necessitatem asserere pronuntiat*: atqui excellentiss. Vitus non falli se credit ergo necessarias rerum essentias improbat. *Veritas*: dn. Vitus essentias necessarias statuit: ergo in apologia fallitur. Prima propositio facillime demonstratur, postquam minor hypothesin continet, experientiamque. Quodsi essentiæ necessariae sunt; voluntas DEI, siue decretum eas non alterat. *Per essentias intelligo rerum-possibilitates*

Liber.

Libertas & contingentia essentia non destituuntur: sunt enim absque dubio possibiles; id quod x superioribus §. 192. dictis cognoscitur. In libertate momenta quinque distinguenda dixi: quatuor ab experientia probavi; quintum a ratione. Existit igitur libertas, quia quinque eius requisita existunt: si existit, possibilis est: nam b actu ad potentiam V. C. Quisquis propterea essentias, id est, possibilitates necessarias statuit; admittere quoque debet ab æterno possibilem, sique necessario, fuisse libertatem, id est, facultatem agendi & non agendi, agendi hoc & illud, positis omnibus ad agendum circumstantiis. Decretum DEI quum res possibiles existentes facit: aut rem creandam, possibilem hactenus, mutat in essentia, id est, possibilitate præcise hac, ut non mutat: si mutat, reddit ex possibili impossibile, ex libertate possibili libertatem impossibilem; quod absurdum: Si non mutat in rebus quidquam; tum non variat possibilitatem hanc ut illam, v. g. libertatem, si quam condere vult, nihil addens nisi possibilitatis complementum & futuritionem. Quemadmodum igitur ab æterno non impossibile erat existere facultatem agendi & non agendi, &c. ita licet nunc quidem per decretum DEI existat libertas, eadem erit, quæ antea. Ergo fallitur, qui essentias necessarias docet, & nihilo secius decretum rebus necessitatem imponere contendit: quod erat demonstrandum. Aut igitur clariss. Vitus essentias necessarias admittit; tum non docet consentanea, deceptus quippe, quum pronuntiauit, decretum

DEI libertatem tollere : aut arbitrarías essentia cum Poireto cooptat ; tum alieníssima a vero scribit, aut credit. Si ratiocinio hoc compulsus distinctionibus dispicere occipiat, diuisurus necessitatem in varias species ; caueat, ne aduersarium propriis telis adgrediantur, easdem distinctiones ipsi obuertendo.

§. 307.

Quale
Bædos
apud e-
uangelicos
sit ?
quale
apud re-
formatos ?

Sæpe quæsitum est : *num euangelici, an reformati ad Bædos in explicanda predestinatione recurrant ?* Mea tenui sententia utriusque eo con fugere debent, sed non sine discrimine palpabili Bædos, quod dñn. reformati inuenisse sibi persuadent, sine ratione *obiectiua* locum habere dicitur in sola DEI voluntate ; id autem, quod euangelici agnoscunt, consistit ratione firmatum *obiectiua*. Reformatæ ecclesiæ Bædos non solum *non comprehendendi*, sed *nec concipi potest*. (472) *Nec concipi dicitur*, quod ratione caret *sufficienti* eademque *determinata* ; sic *determinate* nihil adest, cur præcise Petrus, nec alius quiuus, ex masculinum corrupta salutis fuerit destinatus, quod disceditur a conditione obiecti, subsistendo in absoluta a rationibus DEI voluntate ; quod copiose exposui supra. *Non comprehendendi* vero dicitur, cuius ratio quidem *determinata* habetur sed quod *intelligendo* non potest *exhauriri*. Euangelicorum Bædos *concipi potest*, *comprehendi* licet non possit. Reformatorum Bædos incognitum est & secundum rationes *generales*, & *speciales* : si quæsiueris, *cur Petrus seruetur, nec alius quiuus reprobus ?* nec summam, nec per partem eund.

ando respondere poteris; sufficiat tibi, quod ita
pluerit DEVS, volueritque, quia voluerit, non
spiciendo conditionem obiecti: euangelicorum
item *Bados* obscurum quidem secundum ratio-
es *speciales*, non vero *uniuersales*. Si fueris
iscitatus, cur *Petrum* seruauerit Numen, ex-
us aliis? summam ratio reddi potest, quod
onuenientius fuerit ob fidem hominis, hic &
anc conceptam: sin institeris, cur in his cir-
stantiis fuerit præ aliis collocatus, ut fidem
nceperit, quam ceteri neglexerunt? denuo re-
ondendum, quia in optimo systemate res ali-
r disponi non debebant, idque summam quæ-
ionem definit; sed in specialiora non est, cur
escendas. Nam si circumstantias, in quibus per-
andi occasionem sumserat *Nero* tyrannus, exa-
inare, hominis temperamentum, educationem,
cebras, & quæ sunt alia, inquirere, si, cur ab
s parentibus, nec aliis Christo addictis, geni-
is fuerit, excutere, atque iudicare institueres:
non omnia DEVS aliter coordinare, fataque
ranni ita dirigere potuisset, aut debuisset, ut
mo scelestissimus ab aliis parentibus natus, in
uersis circumstantiis versatus, fidem in serua-
rem concepisset: immensum tibi aperiretur ma-
: infinitarum meditationum, quas intelligendo
unquam exhaurires, cum nosse tamen summa-
m sufficiat, habere te DEVM, qui, omnibus
is circumstantiis exactissime ab æterno pensatis,
x ratione uniuersi publica per immensum patente,
atuerit conuenientius esse, *Neronem* his inserere
erum euentibus, quam aliis quibuscunque. Suf-

ficit, quod, si lumen naturæ tyrannus dextre adhibuisset, pædagogia ad gratiam nunquam fuisse defutura, vt expressis vocibus Leibnitius innuit in theod. § 95. Sufficit, vti monebam, quosummatim Numen faciat conuenientius perperim, quodque Neronem non absolute ab omni salutis spe exclusit.

(472) Hanc distinctionem inter id, quod concipi alquando potest, comprehendere non potest, lege apud Leibnit. in dem vertheidigten systemate harmoniæ præstabilitæ p. 50. sub not. (c) Sub finem claudo hanc disceptationem simili, quod §. 283. sub not. (452) inchoaui. Quodsi inter typos belli gerendi oblati regum vnus, idemque optimus sit, qui suadeat exercitum in oras mittere, quibus acerrima prælia occasione quibusdam militibus dant capessendi fugam, inquit supplicii discrimen incurrendi: annon sufficit militibus, si certo sciant, hunc modum belli gerendi causæ publicæ maxime salutarem, nec sine eius detrimento sapienter mutari? An *BaD* tale non concipi potest, cur scilicet hic miles pœnæ occasionem, vt e delicti repererit, quia conuenientius reipublicæ est bellum ita, adeoque acriter suscipi, quam modo leni? Num *BaD* comprehendere debet, vt milites conclauis regii omnia documenta perlustrent, suffragia ministrorum ponderent, itinerum exercitus fortuitos casus exploratos habeant, & nihil vicissitudinum belli nesciant quo distinctissime peruideant origines occasionis, quæ commilito ad aufugiendum, & supplicium merendum inductus fuit? Haudquaquam sane! Quis affirmet vero, regem, quia hunc belli gerendi typum, in quo militem punitum iri præfagiit, elegerit, voluisse, miles pereat? Quis ad instar supralapsariorum causatur, regem, cum de optimo belli persequendi typum eligendo statuerit, statim initio id consilium agitasse vt auctoritatem suam in supplicio quorundam militum ansam fugiendi sumptuorum, declararet? Annon quilibet intelligit, regem omni nisu declinaturum fuisse militis pœnam, si per sublimiorem optimi typi, :
gere

gerendum bellum, rationem id fieri decuisset? Num dubitandum est, regem voluntate antecedente maxime serio salutem puniti voluisse? Cum ergo in Leibnitii sententia regi tali DEVS similis sit, cur eum in supralapsariorum partes trahere volunt? An rex peccatum militis, vt supplicium sequeretur, decreuit? An non potius decernendo optimum belli typum permissionem eius statuit? An hoc decretum non ab absoluto supplicii, gloriæ causa infligendi, decreto longissime differt? sed & annon vno decreto post examinatum typum omnia acta? sint militum vires eundi & pugnandi omnes a rege ipso: nihil ipsis remaneat, quam resistendi contumacia; manebit profecto semper talis rex culpæ omnis expertus, etiam coram hominibus morosissimis, ita vt eo nihil sapientius, iustius nihil, excogitari vnquam possit. Regem hunc DEVM veneror, *der da recht hat in seinen Worten, und rein bleibt, wenn er beurtheilet wird.*

CAPVT X.

DE IVSTIFICATIONE.

§. 308.

[Iustificationem, quæ sola fide, Christi sanguine *Articuli grauitas.*
nixa, continetur, præclarissimum religionis protestantium palladium esse, toto corde profitemur omnes. Indignum eorum facinus non potest non reprehendi, qui tantum viliori pretio simelium venum exponere, vel & spurio illud dogomachiarum radio micare contendunt. (473)
Non ego vel tanti facerem philosophiæ genus vltimum, quod melliflua huius doctrinæ solatia disturbaret, aut nullo consensu cum eisdem posset componi. Tradit philosophia Leibnitii aliquot notiones generales in disciplina morali, quæ fidei de iustificatione caput eximie, nisi fallor,

illustrant. Dispicemus de illis breuiter ve propterea, quod instituti ratione id facere iubemur.

(473) Non dicam de Poireto, Dippelio, fanaticisque, qui *Christi pro nobis* grauissimum dogma obscurantes vix omnem DEO placendi quærunt penes Seruatorem in nobis habitantem: quod eo ineptius est, quo periculosius salutis ordinem interuertit, qui coniungenda se parat. Loquar tantum de iis, qui nimio, ut fieri solet, pacis studio ducti, parumper deflexerunt. Et vera sunt, quæ Bossuetus episcop. Meld. histoire de variations livr. III. n. 42. 43. p. 124. 125. de Bucer tradit, parum abfuit, quin hic doctrinam de iustificatione per solam fidem *pacis causa, sed veritatis detrimento*, proderet. His enim Bucerum in solenni conuentu verbis vsum scribit: *puisque Dieu jugera chacun selon ses œuvres, il ne faut pas que les bonnes œuvres faites par la grace de Jesus Christ, & qu'il opere lui même dans ses serviteurs, ne MERITENT la vie éternelle: non point à la vérité pour leur propre dignité mais par l'acceptation & la promesse de Dieu & le pain fait avec lui. Car, c'est à telles œuvres, que l'Écriture promet la récompense &c.* De quibus verbis Vosfius in epist. 457. p. 403. col. 1. ita iudicat: *non possum non sanius iudicium optare quibusdam, qui hoc nostro seculo plurimos admodum turbarunt hoc paradoxo: sola fide nos seruari, cum viderent tamen hoc errari, ac si iustitiam sola animi existimatione finirent, & bona opera secluderent. Que iam illa charitas, quæ huic malo vno verbulo dedignatur mederi, ut dicerent fide formata iustificamur.* Quoties ad hæc talia iam responsum est? vid. synopsis. theol. purior dogmat. Hofmanni profess. Tubing. p. 179. 180. aliosque innumeratos, vbi de iustificatione commentati sunt. Logomachias cætera in articulo de iustificatione non prorsus deesse largior: vbi v. g. quæritur: *an fides qua viuat, aut quæ est viuata seruet?* vbi de formula Amsdorfii explicanda agitur, ceterisque similibus: sed quod ad questionis caput pertinet, *quam potissimum re a peccatis liberati DEO rigidissime iudicanti possimus probari?* existimo litem hanc, si vllam aliam, maxime

me res, & quidem grauissimas, attingere. Sed de his dicendi iam non est locus.

§. 309.

Nisi explicatiores *meriti & mercedis* (474) *Definitio meriti & mercedis.* notiones exhibeantur, non poterit iustificationis dogma vlla ratione collustrari. *Qui non perfecte debitum in alios confert, ita ut vires suas alicuium vertere potuisset; is dicitur mereri.* Si ius accesserit ex lege compensationem postulandi; *meritum* oritur *rigorosissimo sensu intellectum.* Merito respondet merces, *quæ compensatio est debita operi, quo meremur.* (475) Sunt hæ definitiones haustæ ex doctrinis recentiorum: si quam ergo lucem rebus affundunt, (476) vsus earum negari non potest, nec debet.

(474) Patres primitiuae ecclesiae, & speciatim Ignatium, non fauere merito operum, quod pontificii vellent, dissertatione probauit historico-theol. Io. Georg. Iochius Tremonia 1716. Obseruauit iam Io. Dalæus de vsu patrum L. I. c. 5. p. 149. *quoslibet patres certis in suo stilo idiotismis uti.* Quodsi in modo loquendi aliquando cum Græcis aut recentioribus conueniunt, multum tamen differunt significatu. Errant, qui meritum operum suo sensu se apud patres legere putant, quum voces *merere, mercedem* reportare &c. inueniunt. Legendus est in hanc rem Isaac. Casaubon. in notis ad Ælii Spartiani Adrianum cæsarem p. 40.

(475) Similia propemodum tradit auctor anonymus *monstri politici detecti* c. 10. vbi de merito operum aduersus quendam apostatam agit, in quem vehementer inuectus est.

(476) Expendantur verba ill. Bilfingeri in dilucid. §. 446. *Pendet, inquit, (meritum) ex eo, 1. quod prestari ab homine homini possint, quæ non antea debebat perfecte, in estimatione saltim ciuili. 2. quod item vires agendi habeat non illi debitas, a quo expectat remunerationem.* Hæc meriti notio adeo liquida est,

vt non videam, an ab ipsis Romanensibus repudietur?

§. 310.

*An Deum
liceat de-
vincere
merito?*

DEUM imperare rebus creatis omnibus iure eo, quo maius ne cogitari quidem potest, ita videtur in promptu esse, vt nulla egeat disputatione. Etiam si sint, qui de fundamento eius imperii non omnino consentiant. (477) Imperanti debetur obsequium. Summo in ciuitate imperanti, summa obedientia *ibidem*. Summo autem totius orbis imperanti summum debetur obsequium *in omni omnino genere*. Quidquid ergo DEI causa facimus boni, cum lege eius æstimandum sit; id prorsus debetur. Cum autem is tantum mereatur, qui non perfecte debitum in alios confert: perspicuum est, nos nullo DEVM merito vnquam obstructuros; quidquid enim facimus, debitum est. Si ea loquor, quæ & in aliis systematis peruulgata sunt, vitio id verti mihi nolim: sufficit monuisse, pro ratione instituti, vniuersales huius philosophiæ notiones eiusmodi esse, vt & omnium, certe multorum, consensu firmentur, & vsum in theologia præstent non contemnendum.

(477) Famosa est Hobbesii sententia de imperii tam generatim spectati, quam speciatim diuini, fundamento. Namque in libello de ciue cap. 15. p. 112. *Iis*, inquit, *quorum potentia resisti non potest, & per consequens DEO omnipotenti ius dominandi ab ipsa potentia deriuatur*. Quod idem in leuiathan. cap. 22. p. 167. affirmat. Consentanea hæc erant cum scopo Hobbesii in stabilienda monarchia, quam suo tempore in Anglia vastatam vidit Hobbesius. Lege vitam Hobbes. p. 45. Iudicium Carresii de hac sententia inuenitur apud

apud Baillet *vie des Cartes* T. II. p. 174. vbi monarchicum statum libello suo Hobbesium probare voluisse, idque in gratiam civium, obseruat. Non desunt, qui fundamentum imperii, speciatimque diuini, in *excellencia nature* quærunt. Quorum numero est Moses Amyraldus dissert. *de iure DEI in creaturas*. Quo & spectat Democriti effatum apud Grot. libr. II. c. 20. §. 3. de I. B. & P. *Φυσει το αρεχειν οικηιον τω κρητασωνι*. Contra Pufendorf. de I. N. & G. L. I. cap. 6. §. 9. Hobbesium refutat. Pro sententia Amyraldi etiam pugnatum in Belgio. vid. Osiand. AntiTurrett. I. p. 156. 157. *Infima radix imperii omnis est conuenientia rerum*. Ex conuenientia nascitur summum beneficium creationis, conseruationis: cur enim DEVS nos mac̄tat his beneficiis? quia *conuenientius* iudicat, gloriam illustrare, quam non illustrare, quia conuenientissimum illi obtemperare. Ex beneficio hoc insigni IVS oritur generalissime spectatum, id est, *facultas agendi pro rerum conuenientia*. Si lex vel diuina vel humana facultatem isthanc confirmauerit; obuersatur ius speciale locum inter homines tenens. Nisi forte ius DEI in homines sua ipsius lege confirmari dixeris. Quod per me fieri licet. Similis ratio est vltroanei consensus, qui ius in imperantem transfert. *Cur consentiunt: vel tacite, vel expresse in alterius imperium?* quia id salutaris iudicant? *cur non refragandum est consensu semel facto?* ne turbetur tranquillitas vel externa, vel interna animi, qua lex naturæ continetur. Cum iustitia dicatur benignitas sapienter administrata; patet, quomodo *notionem iuris* cognitione attingat? Tumultuario discursu vtor, quia per instituti rationem distinctiore vti non licet.

§. 311.

Reuocanda est ad animum *iustitia* idea, delineata in antecedentibus. Est nimirum, quod plus decies monui, *benignitas administrata pro rerum congruitate sapienter*. Summa igitur iustitia benignitatem exercet sapientissime non solum, sed & semper ac certissime, vt ne in vno

*Expomitur
ulterius.*

casu esse desinat summa. Inferior iustitia administrat quidem benignitatem sapienter, sed ita ut & aliquando non sapienter eam comprobare inque contrarium vitium degenerare queat. Leigitur huic præscribi debet, quæ est norma ostendens, quando & quomodo rebus conueniente agi deceat. Quisquis igitur ab altero compensationem exigere potest, non solum propter conuenientiam sui operis cum expectanda compensatione, sed & ob legem, qua illam superiore confirmarunt; ille meritum præstitit, rigorose sensu acceptum. Cum autem nonnisi ea iustitia ad compensandum legibus adstringatur, quæ imperfecta & inferior est, qualis in DEVM non cadit: sequitur etiam, neminem accurate loquendo a Numine (478) quidquam mereri. Et quoniam omne meritum aliquid in alios conferri per vires, quæ & aliorum impendi potuissent tum ne laxiori quidem sensu, quo remunerantem lex non obligat, a DEO inire meritum possumus. Omnes enim nostræ ipsi debentur vires.

(478) Mirum videri debet, quod Io. Claudius, singulari eruditione ac zelo pro reformata fide conspicuus, inexpectatam hanc sententiam docuerit: *non omne genus bonorum operum ab apostolo in iustificatione hominis peccatoris excludi, quorum quedam non per viam meriti, sed per viam conditionis ibi interueniant.* In explicat. epistolæ S. Pauli ad Roman. ex versu 28. cap. 3. *L'Ouverture de l'épître de S. Paul aux Romains &c.* Cumque propterea a nonnullis Hollandiæ theologis confutatus esset; obuiam iuit in *declarationibus, scandalis ex libro, explicatio epistolæ ad Romanos, inscripto, iniuste acceptis, oppositis Londini 1687. éclaircissement sur les scandales &c.* Cum tamen idem hic Claudius scriptis, aduersus pontificios editis, incomparabilem

rabilem famam nactus sit, Ms. Port-Royal occasionem dedit scripto: *la perpetuité de la foi de l'eglise catholique touchant l'eucharistie*. Cui Claudius respondit. Cumque responhonem aduersarius examinandam sumeret; *secura est reponse aux deux traites intitulez: la perpetuité de la foi de l'eglise catholique touchant l'eucharistie*. Sed hæc non sunt huius loci.

§. 312.

Ex nostra definitione intelligitur, triplici *Meriti di-* sensu adpellari meritum: quod obseruatu, in ex- *uersa si-* tricandis his controuersis, longe est dignissimum. *gnificatio.*
Primum stricto & adcurato sensu est, cum bonum in alium conferimus compensatione æquandum, non solum ob conuenientiam, quia vires agendi & alibi impendere potuissemus, sed & ob legem, quæ remunerationem præcipit. Huic merito merces respondet perfecto iure debita, qualis ex pacto v. g. operariis, mercede conductis, aliisque similibus adiudicatur. Talem vt a DEO impetremus, plane fieri nequit. Laxiori sensu meritum vocatur, cum officia aliis præstamus, quæ propter nullam legem compensanda sunt, sed ob conuenientiam duntaxat, quia vires potuissemus ad alios adplicare. Horum in classe meritorum numerantur *beneficia*, quibus alii alios demerentur, nulla tamen compensationem postulante lege. Sed ne hoc quidem merito DEVM licet devincire. *Quis prior ei quidquam dedit? quis beneficiis eum affecit, aut afficere potuit? vt ius haberet expectandi remunerationem?* Rom. XI. 35. Hactenus duplex meriti, licet inæqualis, genus motiuum remunerandi præbet, propter conuenientiam, vt actio actione, res re æquetur.

*Tertia
meriti
significa-
tio.*

Vocatur tertio meritum, *sed improprie*, id quum quis officia præstat ita, vt alio ea conferri non licuisset, quorum & remuneratio nulla lege inculcata est, destinatur autem ob fauorem remunerantis. Motiuum compensandi priora duo merita sumitur a studio æquandi paria paribus; motiuum vero remunerandi meritum hoc tertii generis depromitur ab operis rectitudine comparata ad obligationem operantis. Hoc sensu potuit Adam in statu integritatis demereri DEVM: licet enim omnia ipsi debebat, nec etiam DEVS remunerandi lege tenebatur; ita tamen recta (479) ad normam obligationis eius fuere opera, vt DEVM commouerint, non æquandi studio, quod inter opus finitum, & æternam gloriam non datur, sed adprobandi recta instinctu, decernere compensationem. Huius generis merita, si quidem rectitudinis & internæ gloria florent, sunt præclara subditorum erga patriam aut ecclesiam opera. (480) Quidquid facimus in munere nostro constituti, id perfecto iure reipublicæ, ac ecclesiæ Christi debetur: nisi igitur summus magistratus remunerationem suo ipsius motu vltro destinauerit; non est, cur meritis nostris gloriantes superbiamus, siue orationibus funebribus aliisque monumentis curemus ea seruanda. (481) Ne hoc quidem modo in statu peccati DEVM villo devincire merito possumus, quoniam opera nostra rectitudine omnimoda plane destituuntur.

(479) *Merita Adami, licet naturalia saltem, fuere merita gratia, merita improprie.* Sunt verba D. Pfaffii cano. Tub. in dissertat. de pacto inter DEVM Patrem & Filium confecto, &c. p. 4. not. (b) confer quoque primam de eo argument. dissert. p. 18. Forfan & meritis in rem litterariam claruit? quis id sibi persuaderet? Rabbini adeo insulsi sunt, ut Adamum librum de creatione mundi concinnasse dicant. Vid. Heidegg. histor. patr. T. I. p. 481. Adde Salian. T. I. p. 230. Quid quod nonnulli psalmum 92. Adamo tribuant. Vid. Casp. Schott. techn. curios. p. 556. *inprimis vero* Petr. Lambec. in prodrom. histor. litterar. L. I. c. III. & IV.

(480) Reipublicæ, in qua degimus, debentur, secundum DEVM, omnia. *Partem ortus nostri patria sibi vindicat*, Cicero in officiis scribit L. I. Oratoriæ igitur panegyricæ & encomiasticæ fœtus sunt meritorum laudes, quibus hos aut illos in patriam fuisse inclutos non sine vanitate scribunt. Maioris tamen faciendos in republica viros honestate & eruditione claros, quam inutiles, multo minus illos ob virtutem affligendos, luce meridiana clarius est. Quis non detestatur ciuem Atheniensem, qui cum rogaretur, cur Aristidem patriæ pellendum scriberet, aut quid Aristides commisisset, cur tanta pœna dignus diceretur? respondit, se ignorare Aristidem, sed sibi non placere, quod cupide elaborasset, ut præter ceteros iustus adpellaretur. Vid. Cornel. Nepot. in vita Aristidis. Sic & cardinali Bellarmino, quo minus papa crearetur, impedimento fuerunt merita, ut memoriæ prodidit auctor de Paulo V. conclau. p. 512.

(481) Si rectissime facta in rempublicam merita proprie adpellanda non sunt; quid de iis sentiendum, quæ priuatæ utilitatis studio suscepta, & larua virtutis, curæque pro publica salute testæ meritorum speciem mentiuntur?

§. 314.

Nulla igitur significatu DEVM homo sibi met obstringere per meritum potest. Sed forsan DEUS se ad nostram imbecillitatem accommodat:

forfan

Оскупателны
обиды.

forſan non vult ſummo iure nobiſcum agere, ſe actiones noſtras noſtro arbitrio ſubiicit, eo conſilio ut (482) aliquid mereri poſſimus. In hoc effugium omnis Romanenſium diſputandi vis erumpit. *Videbimus.* Fundamentum obſequii, quod DEO debetur, *creatio eſt & conſervatio.* Itaque in ipſa rerum natura, nullo facto aut conſenſu iacere ſolet. Id eſt momenti maximi. Quia obedientia, parentibus debita, naturalis eſt ex fine educationis, ad quam ob generationem obligamur, orta propter euitandas officiorum confuſiones; matrimonia filiorum matrumque, aut filiarum & patrum, in infinitum prohibita ſunt. Neque enim poteſt per inſtitutum acceſſorium, quale coniugium habetur, obligatio a natura coorta ſufflaminari: cum tamen nihil obſtet, quo minus obligatio per conſenſum introducta alia eiufdem generis, quæ pariter ex facto hominum, aut conſenſu naſcitur, ſuspendatur: nil impedit, fœminam ſummæ rerum præeſſe ſubiecto marito. Imperium quippe mariti conſenſu (483) fundatur mutuo. Pater vero ſubditus non veneratur filium regem, niſi iam emancipatum, quando arctius obſequii vinculum ceſſauit, remanente in filio tantum veneratione quadam, & priſtinorum beneficiorum memoria. (484) Perpetua vero naturalis obligatio ad præſtandum obſequium nullo facto acceſſorio, repugnante naturali conuenientia, turbari poteſt.

(482) Cum proteſtantes obſciunt pontificiis: *omnia præterquam DEO deberi, qui vero ſoluat, nihil mereri: reſpondent: DEVM nobiſcum ſummo iure non agere, actiones noſtras noſtro arbitrio & dominio ſubiice-*

re, ac certo pretio nobiscum pacisci &c. vid. Burghaber controuers. 57. parte poster. §. 18. p. 370.

(483) Sic Anna, Angliæ regina, Georgium Daniæ principem maritum habuit, non regem, sed sibi subiectum.

(484) Est forsan, cuius animum subeat, instantiam a patre subdito, qui filio regi pareat, satis ostendere, quod & naturali obligationi aliquando derogat obligatio ex instituto demum superueniens: patri filium natura debere obsequium; eo tamen non obstante posse obtemperare filio regi, cuius imperium non nitatur causa naturali; nec responsionem sufficere, filium v. g. per electionem prius regem fieri non posse nisi mature fiet aetas, & patria potestate exierit: eoque hanc rationem ab officiorum confusione depromptam parum esse efficacem: filiam v. g. parenti nubere haud posse ob rationem honesti & decori, non iusti. vid. Thomas. in fundament. I. N. & G. ed. quart. p. 258. Verum dispar est ratio. Patri filia debet perpetuam venerationem, quæ in arctissima societate, qualis est coniugalis, profus absorbetur; in ciuili autem societate, vbi summo imperio filius potitur, latissime patens coniunctio innumerorum non impedit reuerentiam filii regis erga patrem subditum. In matrimonio coniugum amor requiritur, qui venerationem filiarum filiorumque cuerit; diuersa est ratio imperii ciuilis: neque enim hoc reuerentiæ parentibus debitæ obstat.

§. 315.

Cum nulla obtemperandi a natura profecta *Responsio.* necessitas facto aut arbitrario instituto subsequenti debeat impediri, *salua rerum conuenientia*: cognoscitur, sapientiam DEI, quæ rerum congruitates obseruat, non permittere, vt suo Deus exigendi nostram obedientiam natura debitam iure cedat, vt ab ipso merita inire possimus. Quantum abest, vt pater se abdicet iure dirigendi actiones filii nondum domo sua egressi, & inspectione egentis. (Tali enim filio assimilandi omnes

omnes homines si cum DEO creatore suo conferantur:) Tantum abest, ut id faciat hominum causa DEVS. Quemadmodum ineptum foret si parens cum filio pacisceretur, ut posthac obedientiam natura sibi debitam in sua potestate haberet, meritique loco parenti offerret: ita etiam incongruum foret de DEO talia cogitare. Quod autem incongruum est, id sapientia diuina detestatur: cumque *iustitia sit benignitas per sapientiam administrata*; fatendum est, benignitatem DEI hoc incongruo modo inire cum hominibus pactum non posse, id est, iustitiam obstare, quo minus, ut pontificii volunt, DEVS adeo liberaliter nobiscum paciscatur, ad præstandos nos meritorum capaces: quod erat probandum. (485)

(485) Probauimus vero omnia, ut vides B. L. ex definitionibus *meriti & iustitiæ*, quas adcommodata valde Leibnitius exhibuit.

§. 316.

De imputatione alienæ iustitiæ.

Sed nunc arcem causæ petimus, quæ in imputatione alienæ iustitiæ collocata est. Iustificatio per opera capitali defectu & hiatu laborat qui omnium distinctissime per notiones generale huius philosophiæ detegitur. Liceat iustitiæ definitionem repetere. Nimirum qui *sapienter benignum* se præbet, is *iustus* adpellatur. Cap. anteced. VIII. probauimus, per iustitiam DEI fieri non posse, ut peccata DEVS impunia dimittat sapientiam quippe DEI, quæ cum benignitate copulata iustitiam parit, non posse non dissensum per peccata systemati illatum, siue præteritum
 siu

ve futurum compensare, ne lacuna remaneat, uæ sapientissimo systematis præfidi iure impu-
etur. Respicit igitur iustitia peccatum quoque
præteritum, & quidem (486) maxime: aliter
nim satisfactioe opus non foret, quoniam
omnia præsentia delicta tandem præterita sunt,
uo pacto tandem nullum plane expiandum
oret.

(486) Falsum est, omnem pœnarum finem futura vel
puniti, vel aliorum, emendatione contineri. vid. Kul-
pis ad Grot. II. 20. p. 115. maxime respicitur præte-
ritorum expiatio, seu turbati ordinis compensatio.

§. 317.

Quodsi igitur peccatorum culpa exsoluimur *Quæ pro-*
per iustitiam quandam inhærentem, in actu non *batur.*
orensi, sed physico positam; tum plane negli-
untur peccata præterita. Per nullam operatio-
nem, si ab imputatione in doctrina morali di-
cesseris, ne per diuinam quidem, *factum inse-*
ctum reddi potest. Implicat quippe contradictio-
nem, factum quod est physice, eo modo per
ctionem physicam fieri non factum. *Vbi te*
ossibile est actu, vocatur præsens; quod ab actu
ecidit in statum possibilitatis, dicitur præteri-
um. (487) Præteritum igitur non amplius ex-
istit: quod autem non existit, in id & non
operari licet. Fac ergo, perfecta nos exornari iu-
stitia inhærente, *quod tamen largiri ex animi*
ententia nolumus: an ista iustitia inhærens actu
uo physico ulterius porrigitur, quam ad præ-
ens, aut, si durat, ad futurum? an peccata etiam
olim commissa, quorum, vt probaui, in iudicio

DEI maxima habetur ratio, potest reddere infecta, ut queant condonari? An culpa præteritorum non est ens morale, quod nulla præsentis physica operatione irritum reddi potest?

(487) Lege hanc *præsentis* & *præteriti* definitionem apud Thümmigium in instit. ph. W. p. 52. §. 52.

§. 318.

*Vindica-
turque.*

Nihil factum infectum reddere potest, quam æstimum morale, cum actio mala olim commissa, cuius auctor quis habetur, ita ut propter eam ad reddendam rationem adstringi possit, utque quod inde oritur, in eum redundet, (488) censetur non commissa, declaratur fictione morali sed maxime fundata, pro infecta, & quidem actu forensi in iudicio superioris. Peccata igitur hominis iustificati præterita tolluntur, nec aliter quidem tolli possunt, quam actu forensi: physico enim actu ea deleri contradictionem inuoluit. Quod cum ita sit; nihil superest, quam vel ob propriam inhærentem iustitiam pristina iustificati peccata actu forensi auferenda dicant pontificii, aut ob alienam Christi: hoc si dixerint; causa ceciderunt: prius si affirmauerint: ne sic quidem vel tantillum proficiunt. Primo enim sua merita tingi caussantur sanguine Christi, quo ipso saltim *mediatam* iustitiæ Seruatoris ad præterita peccata tollenda imputationem concedere debent: deinde eadem ratione, qua aduersarii alienæ iustitiæ imputationem negant: *quia non detur* (489) *sapiens sine inhærente sapientia dono, albedo sine presente physico accidente &c.* potest etiam propriæ iustitiæ ad præterita crimina delenda

lenda imputatio oppugnari: neque enim in-
 ærens qualitas ea purgat, cum iam sint præterita.
 Quum autem hoc non obstante actu forensi ea
 leleri posse negare nequeant: non est, cur im-
 possibilem dicant alienæ imputationem iustitiæ,
 mo vero quia potior est Seruatoris iustitia, cur
 iam primo imputandam non continuo fatentur?

(488) Est hæc definitio imputationis Pufendorfiana in
 L. de O. H. & C. L. I. c. 1. §. 17. Non pudet me, con-
 tra pontificios ad hunc libellum prouocare: ipse enim
 papa Innocentius XI. in defensione iurium suorum ad
 opus Pufendorffii prouocauit. vid. Thomastii *kleine*
Schriften p. 219. 220.

(489) Alienæ iustitiæ imputationem impossibilem iu-
 dicant pontificii. vid. e. g. Burghaber controu. § 1. Part.
 prior. p. 329. §. 7. *Concilium*, inquit, *Tridentinum*
non tantum affirmat modum præsentem iustificandi in-
trinsæcum, sed simul etiam negat possibilitatem omnis al-
terius modi iustificandi, per formam nobis extrinsæ-
cam & moraliter imputatam. Probauimus h. l. con-
 trarium.

CAPVT XI. DE LEGE DIVINA.

§. 319.

Cessante otio, quoniam officii ordinaria red- *An lex*
 eunt munia, abrumpendum est huius libelli *naturæ*
 filum. Pauca igitur adhuc & summatim adtin- *consilium.*
 gam. Num leges diuinæ, præsertim naturales,
 consiliorum loco habenda sint nec ne? inter sum-
 mos viros disputatum est. (490) Qui in legibus
 naturæ nonnisi consilia agnoscunt, hac potissi-
 mum ratione (491) ducuntur: quia ratio sibi
 relicta nesciat, quod DEVM concipere debet, ut

dominum, qui pœnas externas arbitrarias velit inferre iis, qui contra præcepta iuris naturæ faciunt, quia videat, omnes pœnas, transgressores iuris naturalis secutas, esse naturales, adeoque improprie dictas. Sed ex Leibnitii ac Wolfii mente componi forsan his non sine utriusque partis calculo potest. Regula, ad quam obligamur (motiuo certo impellimur) componere actiones liberas, generalissimo sensu adpellatur lex, (492) seiungendo cogitationem auctoris, a quo isthæc regula præscripta sit. Hoc sensu, prout consilium definiueris, lex naturæ, id est, regula ex humanæ naturæ consideratione hausta, abstrahendo a Numine, quod legislatoriam voluntatem addit, est consilium. Quid enim est consilium, quam regula aliquid faciendi, cuius motiua ex ipsa negotii indole petuntur, discedendo ab omni alio respectu? Contra si illustris vir consiliorum naturæ assertor, ultra procedat affirmando: *naturam sibi relictam nescire, num isthanc naturæ regulam DEVS legislatoria voluntate velit, iubeat, mandet, cum non adsint pœne arbitrariae, sed nexu tantum naturali consequentes*; non difficile est, contrarium ex Leibnitii & Wolfii cogitationis ostendere, atque commonstrare, regulam naturæ legis faciem induere, quoniam superuenerit DEI tanquam supremi imperantis mandatum, perinde ac si principis iussus consilium, quod ægroto medicus rationibus ab ipsa rei natura depromptis præbuit, confirmaret, & legis loco illud a decumbente haberi vellet. Posset profecto eo casu, pro diuersa regulæ
 ægroto

ægroto præscriptæ, consideratione, iam consilium dici, quatenus cogitando seiungeremus principis voluntatem; iam vero etiam lex, in quantum regula ista cogitaretur cum omni respectu interno & externo: qui, quo loco talis habenda sit regula, anxie disputarent, non adeo dissentirent, quin facillime conciliari possent. Habuit enim princeps rationem ægroto præcipiendi, ut consilium medici exsequendo salutem suam non posthaberet; quemadmodum etiam DEVS rationem habuit, ea omnia, quæ lege naturæ continentur, præcipiendi, & sua firmandi auctoritate, ita quidem, ut illa ratio præcipiendi nunc in se spectata, absque DEI voluntate legislatoria superueniente, non dissimilis sit consilio, cui obtemperamus ob intrinsecam eius bonitatem; nunc vero ratio illa considerata, prout auctoritate DEI corroboratur, legis accuratius appellatæ formam nanciscatur.

(490) Inter summum virum Christ. Thomasius in obseruat. Halens. T. VI. obseruat. 27. p. 255. In fundamentis I. N. & G. L. I. c. 5. §. 37. edit. quart. & ex altera parte inter Albertum Riperum in dissert. de legib. diu. in gener. & legibus positiu. vniuers. Buddeum in theol. moral. P. II. c. I. §. 10. seqq. cui vero respondit Thomasius in præfat. edit. quart. p. 12.

(491) Hanc rationem allegat ill. Thomas. in fundam. I. N. & G. L. I. c. 5. §. 37.

(492) Consideret, quæso, lector hanc Wolfianam legis, eandemque generalissimam definitionem in moralib. C. I. §. 16. *eine Regel, darnach wir verbunden sind, unsre freye Handlungen einzurichten, heisset ein Gesetz*: Intelletu profecto, sponte sua euanescere, quod præstantissimi viri opposuerunt sententiæ Wolfii de lege naturæ locum habitura, *si vel maxime DEVS non exsisteret*, aut, quod in effectu perinde est, *si vel*

maxime ignoraretur. Loquuntur enim aduersarii de lege suo sensu, qui ab hoc diuersus est, accepta: igitur mirum haud videri debet, quod vtraque pars in sua opinione, non commota dubiis alterius perstiterit: neutra enim vero destituebatur suo sensu. Primo lex naturæ, id est, regula ex naturæ humanæ consideratione hausta obligaret, id est, ex sensu Wolfiano in moral. §. 8. motiua hoc aut illud recte agendi subministraret, etiam ei, qui DEVM existere nesciret: secundo lex naturæ sensu Buddeano, quatenus est decretum auctoris naturæ humanæ, non obligaret, propter defectum superioris, sensu stricto. Vterque dixit verum nec tamen non pugnavit vterque.

§. 320.

Lex naturæ est proprie lex suo sensu.

Quod si probari potest, naturam sibi relictam perspectum habere, quod DEVS sit respiciendus non solum ut consilii benigni auctor, sed & v. legislator; cessabit illustri Thomasi dubium atque adeo, quod altero respectu consilium est altero lex proprie dicta esse poterit. Atqui probant id recentiores. Quando imperans vult, v. subditi ad hanc vel illam normam actiones componant suas, (493) lex proprie dicta omnium consensu oritur. Iam vero DEVM hominibus ceu inferioribus imperare certum est; quisquis igitur probauerit, *DEVM voluisse, ut homine regulam isthanc, ex natura contemplatione desumptam, observent, is legem proprie dictam ostenderit.* In hanc igitur sententiam nonnemo recentiorum ita philosophatur. *Vt ab aeterno possibile fuit, per certas actiones liberam conditionem hominis fieri vel deteriore, vel perfectiore. ita DEVS certum rerum possibilium ordinem, id est, mundum decernendo ob rationem optimam, voluit etiam, ut homo condendus has nec alias*

suscipi-

fusciperet actiones, quibus conditio eius non deterior, sed perfectior, sed melior euaderet; cumque regula, qua iubemur facere, quod nostram conditionem ut & aliorum quorumuis meliorem reddit, legis naturalis titulo veniat; intelligitur, DEVM voluisse, ut regula isthac obseruetur, id est, ut regula illa fieret lex stricto sensu dicta: quod erat probandum. (494) Regula ex consideratione humanæ naturæ, v. g. socialitatis &c. ad honeste viuendum petita præcipit, ut quilibet faciat, quod ad meliorem suam & aliorum quorumuis conditionem præstandam aliquid confert. Aut igitur DEVS, summus hominum cunctorum imperans, voluit hanc regulam ab hominibus obseruatam, aut noluit. Si prius; tum regula voluntate summi imperantis lex proprie dicta euadit: si posterius ardeat; DEVS aut erit parum benignus & sapiens, quia non optime consultum cupit generi humano; aut erit non omniscius, quippe qui forsitan ignorauit, dari talem regulam naturæ, qua obseruata hominum conditio posset reddi melior. Vtrumque est absurdum. Ergo prius adfirmandum, voluntatem DEI regulam naturæ a nobis obseruatam cupere, id est, legis loco habendam velle-

(493) Hæc est definitio Pufendoriana *legis* in L. de I. N. & G. L. I. c. 6. §. 4. & de off. H. & C. L. I. c. 2. §. 2. emendata parumper a Thomasio in iurisprud. diu. L. I. c. 1. §. 29. vbi legem *iussu imperantis* vocat; non *decretum superioris*. Buddeus legem adpellat *decretum regentis* in theol. mor. P. II. c. 1. §. 3. Sed non differt a nobis. Barbeyracius ad Pufend. de iure naturæ & gentium L. I. c. 6. §. 4. p. 89. & §. 15. p. 109. quædam desiderat non magni momenti.

(494) Est hoc argumentum Wolfii paulo aliter inflexum in moral. §. 29. ad quod prouocat in annotat. ac Buddei consilium p. 33. sub not. (x) Quidquid obuertitur Wolfio *in der bescheidenen Antwort auf Herrn Wolfens Anmerkungen* p. 32. 33. *moralitatem scilicet obiectiuam Wolfii differre ab ea, quam theologi doceant. excludi enim a Wolfio voluntatem DEI, quam ceteri a moralitate ista non excluferint, statuere etiam Wolfium leges naturæ, etiamsi DEVS nullus existeret &c.* id omne ex hæcenus dictis declarari potest: non enim excludit Wolfius voluntatem a lege naturæ in *sensu diuiso*, id est, quatenus a DEO præscribitur, ut modo citauimus ex moral. §. 29. sed in *sensu composito*, quatenus consideratur ut mera regula honeste viuendi ex naturæ humanæ consideratione orta, non cogitando; quo auctore sit constituta? Hoc fit propter atheos, ut & ipsi talem regulam honeste viuendi ex naturæ contemplatione agnoscant, si vel maxime naturæ auctorem proterue negent. Vbi legem naturæ sine DEI notitia locum habere Wolfius contendit, accipit vocem sensu postremo, quod iam iam monui. Ex his in scriptis eristicis dn. Buddei & Wolfii omnia iudicari possunt. vid. *die nöthige Zugab zu Herrn Wolfens Bedenken* §. 31. p. 96. *In dem bescheidenen Beweis, daß das Buddeianische Bedenken noch fest stehe* p. 46. §. 2. eadem obiiciuntur, quæ Wolfius diluit *in dem klaren Beweis* &c. p. 79. quæst. 17.

§. 321.

Responde-
tur ad ar-
gumenta
contraria.

Sed consideranda est ratio, qua inductus vir illustris legem naturæ merum consilium esse voluit. *Pœna est malum arbitrarium, quod infligitur ob malum actionis: atqui violatores legum naturalium manent mala seu pœna, naturali nexu coherentes: ergo proprie dicta pœna non coercentur, eoque nec ipsa lex stricto sensu hoc nomine d qua, sed potius consilii titulo vocanda est.* Verum enimvero & ea mala, quæ naturali nexu imminent legis naturæ violatoribus, pendent ab

ab arbitrio DEI, eoque sunt mala arbitraria, quatenus Numen supremum ipsius naturæ auctor est, sine cuius arbitrio res nullæ existunt. Licet enim ipsa mali, ex peccato natura secuti, *possibilitas* a DEI voluntate non oriatur; *rerum enim essentia non sunt arbitraria*: tamen, nisi DEVS voluisset, ut res ab æterno possibles hoc, aut illo modo existerent, eoque mala naturaliter propter aliquod crimen possibles actu ipso orientur; primum profecto non potuissent. Diuersa igitur ratio est DEI, & imperantis humani. Quoniam ab imperante humano non pendet malum natura crimen secutum; neque enim v. g. per arbitrium regis stat, ut crapulam excipiant capitis dolores, deo opus est malis, a regis nutu profectis, quæ per naturam inflictæ non essent. Contra a DEO committuntur & ea mala, quæ ex natura delicti per se resultare solent: DEVS enim est auctor, quare natura hæc existat, nec alia, quare v. g. hominis corpus tale existat, quale mero nimio obrutum non potest non sentire incommoda. Non sunt igitur mala naturalia a DEI arbitrio secernenda, sed coniungenda potius. (495)

(495) Hæc fuit inter alia ratio condendi rerum ordinem præsentem, quia ita comparatus est, ut pleraque peccata malis puniantur naturalibus. DEVM igitur si respexeris, mala, crimen naturaliter manentia, arbitraria sunt, nec necessaria: potuisset enim DEVS res aliter coordinare, si voluisset. Sed si creatas res cogitaueris; naturale omnino est, quod ex actione per se, quia talis est, sequitur. Velim igitur, ut summa cura obseruetur, *naturales pœnas dici tantum propter res creatas, non propter creatorem*, quippe penes quem naturale est arbitrium, quia non existit per se, sed eius nutu.

*Nova re-
sponso.*

Ad hanc responsionem accedit alia momen-
multo grauissimi, quam eadem recentiorum disci-
plina subministrat. (496) Sæpe eiusmodi ma-
& bona turpem aut honestam vitam comitantur
quæ naturali nexu cum honestate aut turpitudine
non cohærent, sed ex parte hominum casu in-
missa videntur, ex parte vero DEI propter libe-
ram dispensationem adiudicata sunt. Mala & boni
motiua sunt vel agendi aliquid, vel & auersant
DEVS igitur, qui ab æterno decreuit, ut h
rerum ordo, nec alius, & quidem propter h
perfectiões existeret, voluit etiam, ut mala il
& bona non per naturam, sed liberam DEI d
ispensationem secuta, motiua essent fugiendi tu-
pitudinem, & colendi honestatem. Conne-
itaque DEVS legislator summus, mala & boni
arbitraria speciali sensu, id est, pœnas & præm
propriissime, & sensu humano adpellata, cum
actionibus creaturarum rationalium, confirma-
que legem naturæ obligatione peculiari. Voluit
DEVM propter fata illa specialia & arbitraria
ut homines virtutem colant, vitia detestentur
dubium relinquatur nullum: aliter enim fa-
illa non destinaret. Atqui voluntas legistate
ris quocumque modo de faciendis aut omitten-
dis declarata, non potest esse, nisi lex ætio
sensu vocata.

(496) Vid. hoc argumentum apud Wolfium in mora
§. 30. seq.

§. 323.

Dubium, quod heic suboriri posset, pridem *Qua uir-*
 vir celebris sustulit e medio. (497) Occurritur *dicatur.*
 uobis sequenti ratiocinio: *sape flagitiosissimos ho-*
nines prosperrima fortuna uti, contra bonos agi-
ari aduersa, iniqua, & omnium iudicio imme-
ita. Quod si igitur ex fatis de voluntate DEI
lecta faciendi, & omittendi turpia, statuendum;
uturum esse, ut non desint, qui ratiocinentur,
DEVM secunda flagitiosorum fortuna eorum cri-
nina adprobata & perpetrata uelle; quo nihil
celestius cogitari possit. Responso autem est in
 promptu. Primo quidem complures pro piis ha-
 bentur, qui fato aduerso sint indigni, cum ta-
 men honestatis speciem mentientibus nemo sit
 calamitatibus dignior. Post notandum, secun-
 dam fortunam vel scelestissimis motiuo esse non
 continuandi peccatum, sed potius declinandi.
 Nisi enim gnauiter insensati sint, præclare intelli-
 gunt, in se ipsis nihil esse, quod tam prosperos
 successus meruerit: itaque non possunt non eos
 benignitati diuinæ ferre acceptos, eoque DEI ve-
 neratione duci, & amore, quo pacto benignitas
 DEI ad resipiscentiam allecitat. Præterea sæpe
 maxima fortuna summi mali est prænuntia. *Tol-*
untur in altum, ut lapsu grauiore ruant. Ex
 aduerso iniqua, qua cum conflictamur, fortuna
 sæpe ad res florentes & prosperas præparat, spe-
 ctatosque reddit uirtute. Quid? quod frenum
 niiciat affectui, ad praua tumultuando conniten-
 ti, qui, si calamitate non vinciretur, exultando
 iugum excuteret, modumque transiliret mirifice.
 Quid?

Quidquid igitur factorum nobis euenit; id omnino ad fugienda peccata, & persequendam virtutem ex DEI mente referendum: quo ipso voluntate eius legislatoria cum maxime declaratur.

(497) Responſio eſt Wolffii in moral. §. 31. Adde & Thümmig. in inſtitut. philoſoph. practic. Wolffii p. 12. 13. §. 35.

§. 324.

De moralitate obiectiua.

De moralitate, quam vocant, obiectiua non hodie demum diſputari cœptum eſt. (498) Quam detritum hoc dogma videatur; dubitari tamen non debet, quin maximi ſit in theologia uſus. Obſeruauit, eſſe, qui id propterea tantum damnarent, quod a ſcholasticis profectum intelligerent: perinde ac ſi omne, quod a ſcholasticis accepimus, futile proſus & ineptum eſſet. (499) Scholasticorum deteſtatio adeo apud non nullos efficax eſt, ut vel ſola eorum mentio horrorem incutiat doctrinæ, quæ ab eis traditur. *Multi quum vitant vitia, in contraria currunt.* Loquor cum poëta, ſed aliquanto mitius. Virtus plerumque in mediocritate poſita eſt. Arbitror non eſſe proſus damnandos ſcholasticos, ne etiam ſemper audiendos, adhibendum potius prudentem rerum delectum. Dico igitur ingenuè, *ſine moralitate*, quam vocant, *obiectiua grauiffimas theologorum doctrinas in periculum incurrere.* Audiemus, quem uſum tam contemtu dogmatis Leibnitius aliique adnotauerint.

(500) Quis nescit, quot inde a Pufendorſii temporibus ſcripta in utramque partem emiſſa ſint? Eridis Scandiacæ, operi Pufendorſiano ſubiunctæ, non exigua pars in hac lite agitata verſatur. Iegerus in tract. de legibus

gibus passim moralitatem obiectiuam tuetur. Pertinent huc Velthemii duæ differt. de quaestione: *numm actus dentur per se honesti aut turpes?* Wernsdorf. in disputat. de absolutismo morali, eoque theol. p. 17. Hochstetter in colleg. Pufendorf. exerc. 2. §. 7. exercit. 4. §. 15. Io. Jacob. Müller in institut. ethic. P. I. c. 2. §. 10. Förtsch. in nucl. controu. nob. P. I. disp. 6. §. 14. p. 169. Leibnitijs & Wolfius. Valde dubito, an vllus veterum theologorum illustrium arbitriam moralitatem adoptauerit? vid. annotat. Wolfii ad consilium Budd. p. 33. Reprehendit quidem eruditissimus vir in respons. ad annotat. p. 32. hoc effatum de theologis veteribus: respondet vero Wolf. *in der Zugab* &c. p. 98.

(499) De scholasticorum vsu ill. Leibnitijs Recueil. T. II. p. 157. ita iudicat: les peres de l'eglise ont rejeté ce qu'il y avoit de mauvais dans la philosophie des Grecs; mais les scholastiques ont tâché d'employer utiliment pour le christianisme, ce qu'il y avoit de passable dans la philosophie des Payens. J'ai dit souvent, *aurum latere in stercore illo scholastica barbariei*; Et je souhaiterois qu'on pût trouver quelque habile homme versé dans cette philosophie Hibernoise ou Espagnole, qui eût de l'inclination & de la capacité pour en tirer le bon, &c.

§. 325.

Per moralitatem obiectiuam non omnes intelligere, quod intelligi debet, certissimum est. *Definitio huius moralitatis.* Hinc illæ dissensiones: hinc tot variantium sententiarum pugnæ. Si ipsius moralitatis nominatæ distinctam animo voluerent ideam Pufendorfiani, & qui moralitatem tuentur arbitriam; fieri non posset, vt ceteris contradicerent. Videre propterea licet, omnes arbitriaræ iustitiæ patronos aut aliter sibi obiectiuam moralitatem, quam impugnant, concipientes, aut mirantes, id a suis aduersariis inculcari, quod ipsi non negent. Id non

non potest non esse argumento, quod genuinè impugnatæ sententiæ notione destituantur. *Pe moralitatem obiectiuam intelligitur apud omnem ratio diuinæ legis, ex ipsa obiecti, circa quod leges diuinæ versantur, indole petita.* Hinc adpellatur obiectiua moralitas, quia ratio eius non est in subiecto præcipiente tantum, in sola eius voluntate, sed in obiecto, de quo præcipitur. Hinc adpellatur honestas & turpitude, quæ per se talis sit, *metonymice*: ponitur enim vox honestatis quæ alias effectum designat, pro causa, seu potius pro ratione honestatis. Quæ ratio, sicut immutabilis, nec a sola DEI voluntate pendula est ita honestas salutatur etiam per se talis, intrinseca, & fundamentalis. (500) Haud scio, an hoc sensu vel ipsi Pufendorffiani, qui tantoper scholastica dogmata sentientes exhibent, moralitatem obiectiuam audeant improbare? (501) Quis enim neget, habuisse DEVM hoc, vel illud præcipiendi, per legem naturæ, rationem?

(500) Ne dicas, quæso, nos *aliter iam declarare moralitatis obiectivæ ideam, quam scholasticos: si hoc sensu veteres eam accepissent, nunquam Pufendorffianus eiusque affectus aduersus eam pugnatos fuisse.* Erras si credis, alio sensu a quoquam vnquam moralitatem isthanc intellectam fuisse. Barbaras quidem in ea describenda voces adhibuerunt; vera autem vocum sententia si examinetur adcuratius, cum nostra definitione adcuratissime consentiet. Lege v. g. Hochstetterum in colleg. Pufendorff. exercit. II. §. 7. inueniet ita differentem: *theologi puriores NB. pro certo habuerunt, esse quædam per se citra omnem impositionem honesta ac turpia, Deumque talia lege naturæ præcipisse, non quod ipsi ita placuerit, sed quod per se bona vel mala cognouerit.* Ecce! prouocat ad rationem legis, ab obiecto desumptam. Ipsa ratio igitur legis natura-

lis est illa honestas voluntatem DEI antecedens. Allegat vir pie doctus Leibnitium ita philosophantem: *ut proportionum & aequalitatum; ita & aequitatis & convenientiæ regule æternis rationibus constant.* Vides igitur, honestatem per se talem explicari per rationes æternas, quibus DEVS impulsus legem naturæ tulit. Nisi quilibet scholastici sint ita quoque explicandi, causa cecidero omni. Explicarem aliquot, si temporis id permetteret angustia.

501) Gauisus fui, postquam cognoscerem, excellentissimum dn. Buddeum, eo ipso scripto, quo mirifice Wolfii moralitatem obiectiuam impugnat, concedere definitionem moralitatis obiectiuæ, quanquam definitum reiiciat. Largitur enim, semper posse allegari rationem naturalem, cur DEVS in lege naturali hoc aut illud vetuerit, præceperitque? *in der bescheidenen Antwort auf des Wolfen Anmerkungen: Man distinguirt, inquit, eben deswegen die natürliche Gesetze von den willkührlichen, daß iene ihren Grund in der Natur haben, und man also eine natürliche Vrsach angeben könne, warum GOTT dieß oder ienes verboten oder befohlen?* p. 34. §. 8. Atqui celeberrime vir! si hoc concedis, concedis aduersario omnia. *Hoc volumus*, habuisse DEVM hoc vel illud præcipiendi in lege naturali grauissimam rationem, eandemque rationem fuisse æternam, immutabilem salua DEI sanctitate, neque pendulam ab arbitrio, seu æquipollenter indifferenti voluntate diuina. Hanc rationem legis vocamus honestatem fundamentalem, quia est legis fundamentum; adpellamus obiectiuam, quia petitur ab obiecto, circa quod lex versatur. An inficiari quisquam audeat, hanc fuisse mentem scholasticorum? Iam autem si hoc verum est, & atheus perspicax has rationes a socialitate aliisque obiecti circumstantiis depromptas peruidere, iisque ad recte agendum impelli potest, etiamsi DEVM, cuius legislatoria voluntas accedat, negauerit. Ratio itaque legis vocatur a Wolfio lex naturæ, generali sensu, quatenus regulam subministrat ex natura obiecti haustam ad actiones liberas dirigendas. Fit autem lex strictè dicta, quæ superiorem arguit, quando voluntas DEI legislatoria superuenit. *Quoties aduersarios irri-*

to conatu adgredimur, quorum voces non eorum, sed nostro sensu intelligimus!

§. 326.

Probatur
moralitas
isthac.

Euoluta moralitatis obiectivæ idea, pronun-
erit, eam firmate argumentis, quælibet dubia su-
perantibus. (502) Aut DEVS rationem habuit
præcipiendi ea, quæ lege naturali cauta sunt, aut
non habuit. Postremum si dixeris; peccas pri-
mo in axioma generale sufficientis rationis: se-
cundo blasphemix v. g. turpitude a sola DEI vo-
luntate, sprete ratione decernentis, penderet
posset itaque eiusdem voluntatis alio decreto tan-
honestâ præstari blasphemia, quam nunc turp-
est. Primum vero si placeat, ut *cum ratione d-
xeris, DEVM præcipere, quæ continentur leg-
naturali*; quæro: num rationem præcipien-
admittas *obiectivam, an subiectivam*? Si prius
arrideat; præsto est, ex definitione paulo an-
data, obiectiva moralitas. Sin autem *subiectivam*
præcipiendi ratio se tibi commendat; quæna-
alia erit, quam voluntas DEI vel *sola*, vel quæ
sancta? De sola voluntate eadem quæstio re-
currit, utrum præcipiat cum aut sine ratione,
id quidem sine fine: ad voluntatem sanctam ver-
si cum Pufendorffio, in angustias redacto, tem-
contuleris, causa cecidisti. Sancta enim volun-
tas non potest non arguere rationes ferendæ leg-
obiectivas, id est, moralitatem obiectivam. San-
ctitas voluntatis est *ea DEI virtus, quæ non nisi
bonum vult, & non nisi malum vere tale aver-
sur*. Roganti ergo, *cur hæc lex naturalis, &
memine ledendo, lata sit?* respondendum: quod
DEI

DEI voluntas sancta, id est, quia non nisi bonum esse tale vult, & contrarium detestatur: erigitur actio præcepta per se bona, conueniens, rationem complexa in se, cur sanctitas voluntatem impulerit, vt præciperetur potius, quam prohiberetur.

(502) Præsenti ratiocinio in compendium mihi potissimum causæ præsidium, quod Pufendorffii antagonistæ vrserunt. Inter quos fuerunt Iosua Schvarzius, Nic. Becmannus, Io. Ad. Scherzerus, Valentinus Velthemi-
 mus, Valentinus Alberti, Io. Ioachim. Zentgrau. Samuel Strimesius, Fridericus Gesenius. Vid. *vitam & famam, fataque litteraria Pufendorffiana, quæ cum germanica versione Monzambani Lipsiæ prodierunt ann. 1710.* Addatur Thomasius in paulo pleniori *historiæ iuris naturalis.* c. 6. §. 14. seqq. qui tamen moralitatem obiectiuam in fundamentis I. N. & G. pristino honori restituit L. I. c. V. §. 50. seq. p. 156. & adoptauit. Contra legatur Pufendorff. in *specim. contro.* c. 5. Budd. in *institut. theol. moral.* L. II. c. 1. §. 29. not. Thomas. in *iurispr. diu.* L. I. c. 2. §. 74. seqq. Buddeus in *philos. pract.* P. II. c. 2. §. 39. Syrbius in *der ausführlichen Abfertigung derer unbefugten Beschuldigungen.* Confer. *Gottlieb Stolle in der Historie der Gelahrtheit* P. III. c. 2.

§. 327.

His præstructis non alienum erit, indicare, *Nexus dogmatis cum articulis fidei.* quibuscum grauibus theologiæ doctrinis moralibus obiectiua copuletur. Primo quidem ducam agnouere theologi non infimæ notæ, quod sine moralitate obiectiua discrimini exponatur necessitas satisfactionis Christi. (503) De qua re mentionem feci §. 257. Quod si enim, non dico, a voluntate DEI, sed a sola voluntate DEI pendet, ut malum quid sit morale, aut vero bonum; eadem profecto facilitate, qua DEVS, hoc vt

F f

malum

malum esset, *statuit*, poterit etiam statuere, ut eius culpa auferatur, eoque præstare, ut satisfactione tam cruenta opus non sit. Quemadmodum enim rex, sine fundamento in re ipsa, præcipiens, ut aliquid vitetur, subsecuto non solum principis filii, sed & cuiusvis clientis peccato, pœnam libere decretam tollere, atque ita delinquentem periculo liberare potest: ita etiam DEVS honestatem, quæ a *sola sua voluntate* penderet, licet a rebus creatis violatam, condonare, eoque ipsa voluntate, qua statuisset, irritam, & pœna vacuam declarare potuisset. Quod quantopere puriori theologiæ aduersetur, dici vix potest.

(503) Ita de hoc argumento differit Hochstetterus pi-eruditus in colleg. exercitat. I. §. 19. p. 32. edit. 1726 *Est moralitas obiectiua, fundamentum finis pœnarum interni, qui est satisfactio iustitiæ, compensatoriu scilicet & expiatoriu. Quem qui insuper habent, & profundiora theologiæ, quantamque a Filio DEVS satisfactionem exegerit, non expendunt, moralemq; disciplinam, habito solum ad vitam ciuilem respectu non in abstractione aut generaliore habitu excolum eos non miramur, heic dissentire, vel communiore vi insistere. Ceterum non altercandi libidine hæc traduntur, neque scholastica sunt, nisi omnia, quæcunque r. & distinctos earum conceptus curatius secernunt, inu- dioso hodie nomine velis traducere. Certe Iesuitarum probabilissimum vehementer euertit grauis hæc solidaq; illatio. Adde Wolfium in der nöthigen Zugab zu den Anmerkungen über Herrn Buddei Bedenken p. 90.*

§. 328.

*Alia con-
nexio.*

Est & aliud theologiæ incommodum long-
maximum, quod negata hac veritate existit. Pe-
tissima obedientiæ DEO debitæ præstantia in e-
vertitur, ut spiritu ducti spontaneo filiorum
amo

more Creatorem & Seruatorem prosequamur, laudquaquam vero seruili metu impulsī ei obtemperemus. Timor filialis est, quum omittimus mala, & bona colimus ob amorem præcipientis, quem nouimus grauissima ratione & commodi nostri causa commotum hoc aut illud mandasse. Metus autem seruilis est is, quo mala declinamus, acimusque bona propter metum pœnæ, quæ transgressori statuta est, ita quidem, vt subinde clandestino legis, tanta sanctione pœnali munitæ, odio flagremus. Illic in metu filiorum constituti amamus præceptum, ac toto corde paremus, quia cum ratione intrinseca, etiamsi a pœna discederemus, coniunctum esse intelligimus: hic vero in metu seruili odimus clam legem, externo tantum opere parentes, ne in pœnæ incurramus discrimen. Non perspicimus nimiam aliam legis rationem, quam nudam domini voluntatem, quæ rem nobis ingratam, sine causa interna obsequii iucunditatem pariente, inculcare solebat. (504) Moralitas obiectiua est, vt indicauī, quæ a DEO præcipitur cum summa ratione, ex obiecto legis depromta: arbitraria vero moralitas, quam inculcat DEVS saltim propterea, quia vult, ita vt si quæras, quare v. g. *nemo sit ex lege natura ledendus?* nulla alia possit allegari ratio, quam quia DEVS ita voluit. Non potest igitur non illa obiectiua spiritum parere spontaneum, metumque generare filialem, perspecta ratione, quam DEVS, ceu pater, nostri honori causa ex ipso obiecto desumpsit, vt hoc præciperet: ex aduerso moralitas arbitraria, quæ

fugienda & facienda saltim ideo inculcat, quia DEVS vult, & nulla ratione mouet, nisi pœnarum repræsentatione; non potest non metu seruilis esse fecunda mater.

(504) Vid. de timore seruili & filiali Wolf. moral. §. 694. seqq. add. Budd. theol. moral. c. 1. §. 22 p. 33. Bontekoe de animi & corpor. passion. P. I §. 15. P. II. §. 30. seq. Wefenfeld. in pathol. practic 2. c. 20. §. 20.

§. 329.

*Alia con-
nexio.*

Nec in eo subsistit arbitrariæ moralitatis pestilentissima feracitas, sed & vltèrius gangrænis serpit, reclusa absolutorum DEI decretorum ianua. Qui in vno decreto quidquam potest statuere absque ratione obiectiua, & v. g. præcipere, saltim quia vult, vt hoc illud inferiori faciant atque omittant; is & in aliis decretis sine ratione obiectiua, a conditione rei decretæ petita pro arbitrio disponere omnia poterit. Quemadmodum igitur DEVS absoluto decreto, a conditione obiecti plane non pendulo, voluit, vti iam alterum bonum sanctumque foret, alterum vero nefas, & malum: sic eodem decreto, ac obiecti conditionem plane non respiciente, hunc pœnis æternis destinare, alterum cœlestibus gaudiis consecrare quiret, nulla ratione obiecti habita, de quo statuitur. Cur vnum decretum absolutum foret, nec tamen alterum? Cur sine ratione obiectiua DEVS posset pro lubitu *malum culpa*, quale esse debeat, statuere, nec tamen etiam sine ratione obiectiua infligere *malum pœna*? Sunt enim hæc valde cognata: quæ vnus

con-

conditio est, talem esse & alteram oportet. Nec
 te ligitur, cur alterum ab altero possit seiungi,
 nisi manifesto hypothese inseruire, ac nonnulla
 uidem decreta conditione obiecti formata, ce-
 era vero absoluta contendere velis.

§. 330.

Non moramur itaque, quæ viri eruditi Leib- *Occupatio*
 itio obiiciunt. (505) *Ecquis auctor*, inquit *obiectio-*
 nonnemo, *determinans qualitates morales iusti* *num.*
iniusti alius, quam DEVS omnipotens, qui,
cet ab aeterno ita dete minauerit, pro caussa ta-
men determinationis istius utique habendus, nisi
causam DEO priorem statuere velimus. Alia
uestio est, an ista determinatio inuerso modo po-
uerit fieri a DEO, iustum pro iniusto haberi;
nam nullibi Pufendorffius affirmavit, licet petu-
antiam esse dicat de potentia DEI in hac caussa
iose disputare. Hic sedet vlcus: hoc fuisset
anandum. Quicquid a DEI voluntate pendet
bla, potest & aliter determinari: quia voluntas
est libera facultas faciendi hoc & illud &c. Quæ
uaso ista consequentia: origo moralitatis ex de-
terminatione DEI est, qui futuras hominum
ctiones ex suo arbitrio determinauit, & quæ iu-
ta, quæ iniuste esse debeant, secum constituit:
DEO liberum fuit ex iusto iniustum, & ex in-
usto iustum efficere? Cur hæc non legitima foret
consequentia? Si determinatio libera fuit, potuit
& aliter fieri, eoque iustum declarari iniustum:
liberum enim est, quod fieri potest hoc, & illo
nodo. Sed cur solo determinationis vocabulo
nteris? Cur non addis, liberamne intelligas an

necessariam determinationem DEI? Nosti omnino, obiectiuæ moralitatis patronos cum Leibnitio non inficiari, *quod iustum & iniustum Deus determinauerit*: credere eos tantum, *factum & esse necessario*, ne scilicet se ipsum abnegaret. Scilicet id agis, vt glaucoma lectoribus obiicias ne intelligant, in quo vertatur litis cardo: ec consilium spectat tuum, vt lector suspicetur, statuere Leibnitium veritates a DEO non pendentes. Absit autem id quam longissime! A DEO determinantur omnia; sed quædam necessario per principium contradictionis, quædam libere, per principium sufficientis rationis.

(505) Vid. responſion. Weber. ad Leibn. epistolam quæ extat *im Bücherſaal* T. I. p. 836. & quam separatam subiunxit editioni Pufend. libri de O. H. & C p. 28.

§. 331.

Continuatio.

Vt res, pergit vir doctus, euadat manifestior, do instantiam. DEVS, dum solare, i est, lucidum & calidum corpus ex arbitrio liber producere voluit, sine dubio ipsi hæc qualitates physicas assignauit, & determinatione sua attribuit, antequam reapse exsisterent. Iam quæro an inde sequatur, DEVM, posita ista libera de terminatione lucis & caloris, potuisse corpus solar quoddam opacum & frigidum creare? Id, vti nemo largietur; ita sane iniuriam faciunt Pufendorſio, qui talibus consequentiis suspectas redder conantur eius doctrinas. (506) Multa in hoc discursu vel ambigua, vel a vero aliena. Nescio quæ mens sit excellentissimi viri, quum dicit
DEVM.

DEVM libero arbitrio soli, *antequam existeret*, qualitates caloris & lucis assignasse. An id ita intelligendum? DEVM præstitisse *possibilitatem* lucius corporis lucidi & calidi, *antequam existeret*? Profecto, si id innuit, patronus est essentialium arbitrariarum cum Poireto, atque eum nitando distinguere debet possibile *anteideale*, & *postideale*, vt affirmet, etiam ipsum possibile cuius generis a libera DEI idea pendere: quod est absurdum. (507) Res enim non est his aut illis qualitatibus possibilis, quia DEVS ita libere vult h. m. possibilem, sed quia non inuoluit contradictionem. Aut vero significat vir celebris, qualitates físicas caloris & lucis fuisse iam ante decretum DEI possibles, hoc autem pertinuisse tantum ad earum, quum nondum existerent, vt barbarè loquar, *futuritionem*; tum profecto necessarias admittit essentias, adeoque etiam *morales essentias iusti & honesti necessarias*, haudquam vero arbitrarias concedere debet: (508) id ipsum est, quod volumus. Liberum igitur DEI arbitrium in condendo corpore lucido & calido pertinet modo ad *existentiam* eius, non ad *possibilitatem*: errat, si credit, penes voluntatem DEI liberam stetit, quascunque qualitates soli assignare, *antequam existeret*. Si enim alias assignasset, non creauisset solem, sed aliud quiddam, quod pro sole haberi non potuisset. Obseruo *ως εν παροδω*, aduersarios obiectiuæ moralitatis non posse ad argumenta sibi obuersa respondere, nisi vel aperte cum Poireto faciant, dicentes, DEVM rebus, *antequam existerent*, liberrime

qualitates certas assignasse, & hoc vel illo modo
possibiles reddidisse; (quod Weberus concessisse
videtur) vel sibi contradicant: nam si non datur
libera qualitatium, antequam res existant, assi-
gnatio, si, quod sol fieri debet, fatente Webero
non potest condi corpus opacum & frigidum
tum sane res ante decretum possibiles sunt, nec
ab arbitrio libero, qua possibiles, pendent; que
ipso victas nobis præbent manus.

(506) Verba sunt Weberi in responsione ad epistolam
Leibnitii citat. p. 28.

(507) Weberi responsio aut arguit cum Poirero omni-
um rerum essentias arbitrarias, aut nihil contra Leib-
nitium prælibitum in ea habetur. DEVS non potest so-
lem aliter condere, quam quidem possibilis est, ante
decretum: ergo nec alias leges ferre, quam quæ æter-
na rerum conuenientia comprehenduntur. Semper
igitur iustum seu conueniens quiddam, & possibile
decretum DEI & creatoris & legislatoris, antecedit
Vid. de arbitrariis essentiis Poirer. in cogitat. rationi
p. 395. L. III. cap. 10. §. 5. ubi ait, *ipsas veritates
posse a DEO pro lubitu mutari, alio atque alio statum
modo: quo nihil ineptius excogitatum est vnquam.*

(508) Vid. Hochstetter in colleg. Pufend. exerc. 2. §. 7.
not. (a). Qui veritates morales a DEI solo arbitrio
derivat, cum oportet inde arcessere omnes veritates in
vniuersum. Morales enim sunt ceterarum species.

§. 332.

*Soluantur
alia du-
bia.*

Alius quidam vir, & eruditionis & merito-
rum in orbem litteratum gloria florens, his con-
tra doctrinam præsentem ratiociniis utitur. (509)
*Agebis, quare ex scholastica sententibus, cur
auloxeris sit prohibita? Si responderint, quia sit
turpis per se, difficultates orientur insuperabiles:
non poterant explicare, quomodo per se turpis sit?
Etiam si enim ad actionis consecrarium provocave-
rint;*

rint ; tamen eis probandum erit , vitam esse bonum , hominemque ad eam tuendam obstrictum ; atque hic est offensionum lapis : neque enim obligatio vlla nisi ex lege oriri potest. Talia , quæ a viro perspicaci & iudicioso proficiscuntur , satis mirari non poteram. Non sentio scholastica , nisi quæ vera fuerint , *vir summe !* si tamen ex re quæres , cur *auoloxegia* per se sit turpis ? rogarem etiam te , num tu in probanda isthac turpitudine ex lege naturali , ad solam DEI voluntatem prouocare instituas ? sin quæstionem affirmes ; tota iuris disciplina frustranea , nihilque necessarium est , quam vt theses præceptorum huius iuris tradamus , subiungendo , ita *velle , iubere , mandare* DEVM. Sed quæso , vnde nosti hoc velle , iubere &c. DEVM ? Annon rationes allegandæ sunt ex ipsa obiecti , de quo quæritur , indole & natura ? Atqui illæ rationes , homicidio v. g. eiusque circumstantiis intrinsecæ , turpitudinem eius *obiectiuam* ostendunt , ex qua demum de voluntate DEI prohibitoria iudicari potest. Aduerte igitur animum , si placet ! *Nisi detur obiectiua moralitas , totum ius natura corruet.* Vnde nosti enim , hoc esse iuris naturæ præceptum ? Annon ex rationibus , ex ipsa actionum indole & circumstantia petitis ? Atqui has nullas , & per se indifferentes ais , a voluntate DEI si discesserimus. Quomodo ergo vis cognoscere DEI voluntatem in iure naturæ declaratam , cum obiecti ipsius conuenientiam & disconuenientiam , id est , turpitudinem & honestatem obiectiuam neges ? Respondeo igitur directe. Eo argumento egomet

αυλοχειρίας turpitudinem per se radicatam probo quo tu voluntatem DEI probare, & interdictionem a DEO hanc actionem demonstrare in animum induxeris tuum. Nimirum voluntatem DEI inuestigas, ut inquiras, an actio, de qua statuentum, per se habeat quid voluntate DEI indignum. Si quid habet, tum iudicas *eam a DEO prohibitam*; si nil tale complectitur, recte infers: *ergo est licita*, vel, si quid in ea DEI voluntate dignum sit, *præcepta*. Illam internam vero actionis siue dignitatem, siue indignitatem vocamus iure obiectiuam turpitudinem vel honestatem, imo existimo, nullum unquam scholasticum, licet sæpe multi obscure locuti sint, aliter sensisse, quam ita. Quod si ergo veritatis vir persentiscas, & hanc obiectiuam moralitatem omnino non negasse causseris; indicio id est, quo vel non recte perspexeris aduersariorum mentem vel orta huius explicationis luce ad te redire cœperis, veritatem, quam reieceras, agnoscendo.

(509) Vid. Walchium in philos. lexic. p. 1830. sub tit. *Moralitat.*

§. 333.

*Strictim
responde-
tur ad ce-
tera.*

Quæ subiiciuntur de obligatione semper & non nisi ex lege profecta; ea vera sunt de obligatione externa, non de ea, quæ obiecto interna est (510) qualis a recentioribus definitur *per connexionem motiui cum actione*: (511) sic & cetera quæ vir celebris (512) obiecit, solutu sunt facilia. Qui ante oculos habuerit explicationem nostram supra traditam, ei non amplius obscuræ erunt voces in hac doctrina adhibitæ: *antecedente*

er & consequenter ad voluntatem DEI. Quibus amen & abstinere possumus, si aures offendantur. *Peccatum quidem a Ioanne avouia vocatur*. Io. III. 4. nec tamen inde consequitur, moralitatem omnem sola, vt auctor concludit, lege contineri. Quis enim non videt, apostolum loqui de moralitate formata, non obiectiua, quæ formatæ fundamentum est & ratio.

(510) De interna obligatione Thomafius in fund. I. N. & G. L. I. c. 4. §. 61. p. 135. *Obligatio, inquit, duplex est, alia interna, que oritur ex conscientia periculi (incommodi) naturalis, vel externa, que oritur ex spe & metu ab arbitrio pendentis superiorum.*

(511) Vid. hanc obligationis internæ definit. apud Wolf. in moral. C. 1. §. 8.

(512) Sunt hæc argumenta dn. Walchii in lexico philos. p. 1830. 1831.

§. 334.

In definitione modo dictæ obligationis a viro, longe modestissimo pariter ac doctissimo, desiderata sunt complura. (513) Ait vir laudatissimus, *a definitio obligationis, qua per connexionem actionis cum graui motiuo describitur, abesse ideam DEI, superioris, quæ abesse non possit.* Recte id affirmat de obligatione externa, & per legem formata, non de obligatione interna, & ex actionis suscipiendæ indole petita. Hanc licet vocare obligationem: nam definitiones nominales sunt arbitrariæ. (514) Persequitur suum discursum vir idem præstantissimus. *Insignem hac definitio confusionem inuehit, & officia quæuis, ea admissa in pristinum chaos recidunt. Quum enim vbiuis rationes mouentes in promptu sint; distin-*

*Vindica-
tur defi-
nitio obli-
gationis.*

*distinguerere nullo modo possumus, quæ actionum
 physicarum, quæ moralium sit discrepantia; quæ
 officia perfectæ sint obligationis, quæ imperfectæ
 quid prudentia sit officium, quid iustitiæ? Fa-
 teor me aliter sentire. Ut motiua variant; sic di-
 uersa sunt & manent actionum genera. Stat igitur
 incolumis omnium officiorum discrepantia
 Vbi ratio aliquid suscipiendi non fuerit tantum
 conuenientia actionis ipsa, sed & voluntas supe-
 rioris; perfectæ obligationis oritur officium: (si
 sola sit conuenientia, non accedente motiuo a le-
 ge vlla petito; manet officium imperfectæ obli-
 gationis. Vides igitur officiorum discrimen non
 tolli admissa definitione, quæ generalis est, nec
 differentias motiuorum, eoque & actionum, ex-
 cludit. Forsan animum subit, in solo iuris natu-
 ralis foro versantibus non suppetere adminiculum
 ex solis actionum motiuis diiudicandi officia per-
 fectæ & imperfectæ: tum enim & hac de ipsa le-
 gislatoris voluntate quæri, utrum præsto sit, &
 actionis motiuum præbere queat, nec ne? atqui
 adeo nesciri, siue officium perfectæ seu imperfe-
 ctæ obligationis, prudentia vel iustitiæ munus:
 Sed salua res est. Nam & vbi voluntatem DEI in
 lege naturæ declaratam demum inuestigamus;
 ex motiuorum varietate elucet, quæ sit Numinis
 voluntas in anteponendis aut postponendis his
 illius officiiis? Quædam enim vt faciamus omit-
 tamus, suadet necessaria rerum conuenientia,
 sine qua summa confusio oriretur, vt v. g. nemi-
 nem lade, pacta seruato. Tanta quum conueni-
 entia necessitas motiuum agendi aut omittendi
 quid*

quid subministrat; recte colligimus, actionem esse iustitiæ, non prudentiæ munus: ex aduerso cognouerimus, actionis suscipiendæ non dari notium nisi vtilitatem & commoditatem; sine periculo decidimus, esse eam prudentiæ munus: illic veneramus voluntatem DEI legislatariam vt legis; hic voluntatem suasoriam vt patris. Quomodo igitur officiorum potest enasci confusio? quomodo motiuis mirifice variantibus, officia inuariata in pristinum reciderent chaos? Deinde recurrunt h. l. omnia, quæ §. 332. inculcata sunt. Annon, ante quam de voluntate DEI in lege naturali erudimur, omnes vnanimi consensu ex actionum circumstantiis ratiocinantur, *quæ sit circa eas DEI voluntas? quas perfecte debitas habere deceat? quas imperfecte debitas?* Atqui ex eodem circumstantiarum actionis fonte motiua petuntur: quodsi ergo ordinariæ definitionis promachi officia variæ obligationis distinguere possunt, poterunt id & facere huius definitionis patroni. Defini, si placet, obligationem scholasticis, iisdemque metaphoricis vocibus, quas alia vice detestari soles, *per qualitatem passiuam, in qua quis prestare quid aut agere tenetur, per vinculum morale &c.* Si quæstio incideret: *si sine ad hoc præsidium præcise actionem hic & nunc obligatus ex lege naturali, nec ne?* An præsidium quæris in definitione tua? Annon cum recentioribus ex actionum circumstantiis iudicas, iustane sit an turpis? Atqui hoc est obligationem inuestigare ex motiuis, quippe quæ circumstantiis continentur. Ostendit nostra definitio originem obligationis legis

legis naturalis, estque genetica, ob quam causam summopere laudanda venit. *Nemo enim sine actionum motibus cognouerit, num ad ullam actionem obligatus sit nec ne? vtrum legislato DEVS actionem præceperit, nec ne? si vel centies obligationem vrseris; non potes de ea certus fieri, nisi per motiua actionum ex circumstantiis desumenda.*

(513) Vid. doctiss. Treuer. in not. ad Pufendorf. lib. d. O. H. & C. p. 53. 54. seq.

(514) Vid. Wolf. in annotat. ad dn. Buddei consiliu p. 35. not. (y)

§. 335.

*Diluuntur
alia.*

Reliqua a viro æquissimo, qui atheismi culpam impugnatæ a semet sententiæ auctori impingere volebat, obuersa facile soluuntur. Dicit: *omnia metiamur motibus, cum vix vlla actio eo cogitari queat, cuius non detur ratio determinans, ne quidem illa, que dicuntur indifferentes, v. c. (515) vt dextrum pedem prius moueam omnes innoluturas obligationem: nullam ergo datum iri actionem indifferentem.* Sed non fugi excellentissimum virum, hæc a recentioribus omnino concedi, imo vrgeri. (516) Non ergo absurdum est eorum sententia, quod exprobratur. Omnia iure naturali determinata sunt; sed non omnia imputantur ob ignorantiam motiuorum & circumstantiarum incredibilem. Hin prius dextrum mouere pedem, vel & sinistrum *saltim ex ratione decori actio moralitatis capax est.* Integra societas seu exercitus cum corpore humano contenditur I. Cor. XII. Qui societate præest rex, in curandis reipublicæ negotiis capitibus:

*Num den-
sur actio-
nes indif-
ferentes.*

alibus; non potest animum aduertere ad specialissimas infimorum ciuium familiares actiones: cum summa enim rei & publica vniuersi cura comparatae euanescent in attentione principis, ut *infinite parua in calculo infinitesimali*. (517) Nemo tamen dixerit, illas ciuium actiones moralitatis, in foro saltem diuino, non capaces esse, respectu membrorum ciuitatis, si non respectu capituli, id est, regis. At similis est ratio corporis humani: actiones membrorum minutissimas rector corporis, animus, moderari omnes non potest, nec tantopere attentionem diuidere, ne minuatur in actionum grauissimarum summa: iterum licet eae minutiae animo non imputentur, caritas tamen, tantum abest, ut moralitatis capacitati eas subtrahat, vel determinationem moralem impediatur, quantum abest, ut familiarissimae infimi ex ciuili corpore membri actiones non determinatae, aut incapaces moralitatis sint. Quod specialius descendit principis prudentia sine detrimento negotiorum publicorum, ad specialissima ciuium facta, eo praestantior est. Quousque se ceteris paribus demittere potest, eo demitti oportet. Si ad omnia specialissima non descendit regis prudentia; id ex eo fit, vel quoniam omnia peruidere non potest rerum agendarum singularem motiua, vel quia quidem intelligit, maiora tamen & grauiora excellentius quiddam agendi motiua habet, minoribus anteposenda, id est, maiorem obligationem minori hic & nunc concurrenti praefendam: minime autem propterea ad minutissima & specialissima ciuium facta non

exporrigitur sapiens regis imperium, quoniam conduceret ciuitati *absolute loquendo*, ut *minuta determinata* haberentur. Quis enim dubitet, et maiorem futuram civilem felicitatem, quo accuratius consentirent omnes & minutissimæ ciuium ac domesticæ actiones cum communi ciuitatis scopo? Quod si hæc ad hominem adplicentur quippe microcosmum: perspicuum erit, quo simile tendat. Omnes actiones, etiam minutissimæ, lege naturali determinatæ sunt, & *obligationis capaces*, quia habent motiua proportionem respondentia; *sed actu non obligant omnes*, ut quia motiua isthæc discerni non amplius possunt tanquam *infinite parua*, vel quoniam discernuntur quidem, non possunt autem anteponi grauioribus motiuis ad præstantius quid agendum quæ hic & nunc colliduntur. Sic, cum in gratia pugna singulari duello cum hoste decertas, motiua decori in eleganter componendo corpore obseruare ob *comparatiuam* utilitatem in hoc certamine non potes &c.

(515) Est hoc alterum argumentum Treueri in notis: Pufend. de O. H. & C. p. 54.

(516) Vid. Wolf. in moral. §. 27. *Das Gesetz der Natur ist das allervollständigste, und hat alles unterschieden in einem jeden Fall, unerachtet es bisher noch nicht vollständig ist erkannt worden.* Motiua continentur cum actionibus minutissimis, non tamen obligant nisi cognita; sicut & in ceterorum philosophi legis obligatio actu non stringit, nisi promulgata Crassam actionum *ἀδίκων*, eamque atheam, Pyrrhoniorum, discrimen omne inter turpe & honestum tollentium, describit Io. Joach. Zentgrau. in *specimen antiquit. moral.* dissertat. II. quæ ab omnibus christianiæ aliena. Paulo tolerabiliorem Cynicorum ab Aristi-

tisthene descendendum, qui differentiam decori & indecori auferebant, delineauit Heumann. in actis philosoph. P. XIII. n. III. p. 899. seqq. Et ab hac christiani abhorrent. De subtiliori autem *αὐτὰρ ὁμοίως* & olim & nunc disputatum est. Thomistæ indifferentes dari actiones non concedebant, nisi in abstracto, in concreto autem tales esse negabant. Contra quam distinctionem Barbeyrac. in Pufend. de I. N. & G. L. I. c. 7. §. 5. n. 5. p. 106. nonnulla obiicit. Scotistæ contra dari tales & in concreto docebant. Quæ theologorum sit sententia, constat. vid. Buddei theolog. moral. P. II. c. 1. §. 30. Baier in theol. moral. P. III. c. 1. §. 11.

(517) Vid. Wolfens Anfangsgründe der Mathemat. Wissenschaften T. IV. p. 254. Merket wohl, daß eine unendliche kleine GröÙe nur in Ansehung einer andern für nichts zu achten, in sich aber nicht nichts ist. Solche Bewandniß hat es auch mit der Determination der Actionen.

§. 336.

Quinis, inquit vir doctus, poterit sibi rationes agendi vel non agendi representare, eoque ipsum obligare: quod tamen absolum est, quum Quinis sua voluntati libere nuntium mittere queat, deoque obligatorium foret non obligatorium. Qui motiua agendi quærit, non obligat seipsum: non enim necit ipse motiua, sed intelligendo tetegit, inuenit: si finxerit, ficta est obligatio. Non pendent motiua a libero arbitrio, sed ab intellectu, quæ potentia est omnium consentu necessaria, eoque nec nuntium remittere potest, uia facere nequit, vt de motiuis non conuictus uadat, quum conuictus est homo, nisi fortenuimus indurescat; sed tum simile metui debet circa obligationem a superiore profectam: forsan & alium sibi superiorem representare, & pro lu-

bitu se eius obligatione exsoluere potest. Quid mihi responderis, tibi esto responsum. Ad-
dit, *adprobata definitione etiam DEVM proprie obligatum ad plura esse, cum semper motiuo ducatur optimo.* Generali sensu, quo obligatum esse, idem sonat, ac necessitate morali teneri, quo minus concedatur, quid obstat?

§. 337.

*Noua
obiectio.*

Cur autem significatum vocis obligandi mutamus, in re tanti momenti, quæ totius moralis obligationis indolem peruertit? *cautius est philosophandum, nec talis idea vocabulo subiicienda.* Est hæc extrema dubitatio, qua nobis occurritur. (§ 18) Paucis accipe rationem assignati vocabulo præsentis significatus grauissimam. Qui, num DEVS in lege naturali ad hoc illudue faciendum nos obliget; dispiciunt, in quonam, amabo, versantur toti? Annon in eo, vt ex actionum circumstantiis, indeque pendentibus motiuis, præceptum DEI eruant? Non prouocant continuo ad voluntatem superioris obligatoriam in probanda lege, sed ex actionis indole & motiuo voluntatem obligandi diiudicant: ergo obligationis definitio, ab actionum motiuis petita, genetica & prima est, quæ *formalem* in iussu DEI positam, tanquam superioris, antecedit. *Nostri definitio genesin rei exponit; ordinaria vero characterem rei iam genita.* Quanto autem definitiones geneticae ceteris præstantiores sint, mathematici norunt. Quis dicat, *genesin rei explicantes malas obtrudere definitiones?* cum nihil in definitionibus illa explicatione nobilius, nihil adcommodatius sit.

it. Quomodo probabis, *DEVM* temet obligandi habere ius? An ex voluntate obligandi, quippe superioris? Petis principium: de ea enim anquiritur ipsa. Nonne prouocandum est ad *motium* beneficii summi in creando te & conseruando? Quoniam igitur prima obligationis radix in *motiuis* ponitur actionum, quæ & diffunditur per omnes obligationum ramos & surculos: (nam & voluntas superioris *motium* est;) intelligitur, hanc generalem obligationis ideam debere ceteris obligationum speciebus præstrui. Ita *obligatio naturalis* erit, *motium* ex natura actionis peti-uum: *formalis*, *motium* ex voluntate imperantis: *obligatio diuina*, *motium* ex iussu DEI de-romptum: *christiana obligatio*, *motium* ex iussu Christi: *humana* ex motiuo superiorum hominum &c. In eo præstat nostra definitio ordinariæ, quod nostra docet omnium primam inuestigare obligationem, ceterarum scaturiginem, qua deuincimur DEO: ordinaria id non ostendit. Nostra latissima est, & omnes species complectitur, etiam *obligationem naturalem*, a lege naturali, quatenus cogitando auctorem seiungimus, profectam, nec non obligationem internam, quæ est consilii, quod monuit ill. Thomasius: ordinaria vero definitio nonnisi ad externam & formalem obligationem pertinet.

(518) Vid. Treuer in not. ad Pufendorf. de O. H. & C. p. 54. p. 53. inter alia sic impugnat definitionem: *possumus in moralibus supersedere Deo, atque idea legis, & ad normam agendi nos obligantem sufficit argumentum solum utilitatis.* Atheismus hanc hypothesin (nostram definitionem intelligit) toti ethicæ substernit. Possumus in moralibus, hac definitione admitta, su-

perfedere Dei mentione, quamdiu contra atheos pugnamus ex eorum principiis, καὶ ἀνδρωπων. concedo: possumus superfedere Dei mentione in moralibus, in nostra ipsorum caussa versantes, nego. Si vellemus contra atheos præstruere, dari honestatis normam, a Deo superiore datam; peteremus principium. Igitur aliter sunt confutandi: mittimus tantisper mentionem De legislatoris, quæ est in quæstione: cumque athei negato DEO credant, se legis naturalis obligatione exolutos; ostendimus, eos turpissime falli, nec lucrari negato Deo quidquam: radicem honesti restare in ipsi obiectis, a quibus motiua vitæ innocentis petenda quod cum non possint non agnoscere, cessante atheism caussa, solutioris vitæ spe, cessabit ipse atheismus. Nihil igitur atheis cedimus, nisi quod maiori lucro sumus recuperaturi. *Atheismus non potest toti ethicæ definitionem obligationis nostram substernere.* Propriæ utilitatis intuitum substernit ethicæ, vt Spinozæ exemplum constat; non vero actionum omnium ex motiuis æstimationem. *Quantum distat hæc ab illa!* Actionum ex motiuis delectus complectitur omnia: *officia erga alios quosuis, ex motiuo socialitatis: erga se, ex motiuo conseruationis: erga Deum, ex motiuo diuinarum perfectionum.* At quantum hinc abít propriæ utilitatis respectus! Non æstimat actiones ex motiuis plene qui negato Deo præstantissima recte viuendi motiua eludit; ergo nec dici potest, *stante hac definitione, non posse in moralibus DEO superfedere.* Quoties reprehendimus optima, non satis ponderata! Si rebelles crederent absentem regem mortuum, legum iuga ob eam opinionem excussuri: an, qui ostenderet, si vel maxime rex esse desisset, alia tamen grauissima leges obseruandi argumenta extare, rebellibus faueret? Nun dici posset, ex eius hypothesi, posse rebelles superfedere regis imperio? Absit! Fiat, si placet, applicatio. Quamobrem tantopere damnamus hanc definitionem. Cum ipse Pufendorfius in obligatione fundanda maxime caussas, id est, motiua requirat, his verbis: *qu nullam rationem allegare nouit, quare mihi inuito velit impingere obligationem, præter solas vires, is terere quidem me potest: sed metu remoto nihil obstat, quin minus meo potius, quam illius arbitrio agam.* Aut so

non lucet ipso meridie, aut ex his verbis patet, obligationis & iuris fundamentum esse certa motiua, ex rei indole petita, quia in imperatorum consensu, vel ab eo insignibus sum beneficiis mactatus.

§. 338.

Restat vnicum hactenus, quod supra exposi- Soluitur
 s cum specie posset obuerti. *Scilicet leges DEI* dubium,
positiue aut cum ratione obiectiua a Deo latae sunt, a lege po-
ut sine ea: si prius nobis placeret, niterentur po- sitiua vni-
tiue leges etiam moralitate obiectiua (sic enim uersali
anc definiuimus); eoque existit confusio legum petitum,
aturalium positiuarumque: si posterius autem no- & a par-
is arrideat, discedimus ipsi a principio sufficientis ticulari.
ationis, quod tanto vrgemus opere. Sed res est
 in vado. Habuit Deus rationem obiectiuam fe-
 endi leges positiuas, veruntamen, quæ a parti-
 culari gentis, cui præscriptæ fuerunt, indole de-
 ducta, non autem a genio vniuersalis omnium
 hominum societatis petita erat, quo quippe discrimi-
 ne lex naturalis a positiuis seiuncta est. In posi-
 tiuis condendis ratio est particularis; in naturali
 ferenda, ratio vniuersalis. In illis formandis re-
 picitur ad certum populum, tempus, locum, in
 quo viuit; huic autem, naturali, stabiliendæ sub-
 iicitur ratio, quæ intuetur vniuersum genus hu-
 manum omni tempore, loco &c. viuens &c. *At*
nim lex positiua Dei vniuersalis, ad omnes homines
ertinens, supponet quoque rationem vniuersalem,
quæ respiciet totius generis humani indolem: Vni-
uersalis effectus, (lex) vniuersalem rationem po-
icit. Itaque confundetur hæc lex cum iure natu-
rali, quæ duo tamen adeo solcite a viris doctis
 nostro tempore discreta sunt. Sed pace aliorum

*Non datur lex
positiua
vniuers.*

dicam cum Thomasio in cogitationibus (519) posterioribus, *legem positiuam vniuersalem destitui fundamento, qua præcipua opportunitas huius disciplinae est, qua cauentur difficultates, talium legum patronis imminentes.*

(519) Vid. obseruat. select. T. VI. num. 27. Præsertim vero fundamenta I. N. & G. cap. proœmial. p. 9. edit. quart. §. 16. *Cum genuina meditatio legis diuina in genere etiam figmentum legis huius vniuersalis cognoscendum me ita manu duxerit, ut qui primus fui, qui idem stabiliui, etiam primus fuerim, qui id destruxerit.* Vid. obseru. 27. §. 23. & paulo plenior. histor. iuris nat. præfat. Quantopere vero de hac lege disputatum sit, nemini non est obuium. Pro lege stant Hochstetter colleg. Pufend. exerc. III. §. 19. p. 135. Weber in dissert. de legibus diuinæ positionis vniuersalibus: Grammlich in vindiciis harum legum &c Genzke in schediasm. moral. de principiis iusti &c Contra eos pugnant Thomasio, affeclæ. Vetere theologi nihil de ea docuerunt distincte. Vulgo huius tamen refertur Danhauer hod. phænom. VI. §. 2 p. 468. Ex instituto Thomasio posteriores sententia adgressus Albertus Riper. in dissert. *de lege & legibus diuinis in genere, & de vniuersalibus in specie.*

§. 339.

*De incestu
lineæ col-
lateralis.*

Examinabo strictim, quæ legis positivæ vniuersalis præcepta esse dicuntur. Primo sororum & fratrum coniugia iuris naturalis possunt esse interdita, licet ratio tam grauis ex ipsa natura reddi nequiret. Incestus lineæ rectæ omnium consensu lege naturæ prohibitus est, cum tamen plures de prohibitione isthac comprobanda desperent. Magnam oportet esse fratrum & sororum libidinem, qui tam probe a communi sanguinis ortu distantes, extincto pudore, coniungi cupiunt. Libido autem quin regulis honesti aduersetur,

referetur (§ 20) dubium relinquitur nullum. Vi-
 lendum etiam est, an incestus fratrum & sororo-
 rum non sit vniuersalis iuris gentium: (§ 21)
 de quo viri docti pridem disputarunt.

(§ 20) Vid. Thomas. I. N. & G. fundam. Lib. III. c. 2. §. 6.
 (§ 21) Vid. eundem cit. loc. §. 38.

§. 340.

Incestus cum amicitis & materteris &c. lineæ *De aliis*
 ascendenti obliquæ pugnant contra eandem ho- *præceptis*
 nestatis regulam. Velle enim cum iis coire, qui, *legis posit.*
 vel quæ, patrum aut matrum loco habendi, non *uniuers.*
 potest non libidinis æstrum prodere horrendum.
 Debetur quippe parentibus veneratio eiusmodi,
 qua coniugalis amor pellitur. Polygamiam virilem
 lege naturali, nulla vero positua, interdici, Wol-
 fius demonstrat. (§ 22) Idem auctor matrimonii
 vinculum solui nescium docet argumentis non
 contemnendis, ex sola quidem sana ratione. (§ 23)
 Imperium mariti in vxorem, quod etiam hæc-
 tenus ex sola positua lege probari posse putabant,
 idem scriptor ex iure naturali deriuat. (§ 24)

(§ 22) Wolf. in moral. C. II. §. 42.

(§ 23) Idem c. I. §. 44.

(§ 24) Idem c. I. §. 48. seqq.

§. 341.

Cetera præcepta maioris videntur indaginis *De arbore*
 esse, quam vt ad naturæ legem possent referri. *vetita in*
Quid enim de arbore in Paradiso vetita dicendum? paradiso.
 Annon syndici vices protoplastus agens legem il-
 lam accepit loco omnium? Est ergo vniuersalis
 positua. Nolim viri illustris (§ 25) adoptare re-
 sponsum *de spiritu terrestri, in fructu arboris*

concentrato. Hæc mihi videtur planior. Pote aliquis legem personalem, sibi latam soli, violando culpam contrahere, toti cuidam societa imputandam. Fac, ex pacto duarum gentium bello certantium, milites binos vtrunque hac electos lege, vt quisquis alterum vicerit, eius populus etiam victor censeatur, imputata vel victoriæ vel clade suis ciuibus. An eo casu dici posset, (§ 26) legem de ineundo duello fuisse latam omnibus militibus? an lex ista non est personalis? atqui imputatur tamen eius violatio, si miles ceterorum syndicus segnem se præbuerit, reliquis cunctis. Ergo & Adamus, licet violando legem de arborum vetita reatum contraxerit, nobis omnibus communem, potuit eam legem pro se accepisse solo, & non opus sit, vniuersalem istam confingere. Distinguenda est in lege obligatio generalis ad obtemperandum Deo, a personali, quatenus illa ad præsentem casum adplicata fuit. Illam protoplastum cum nostro detrimento temeravit; hæc autem specialis obligatio, circa arborem veritam non contrectandam, ad nos non pertinuit. *Vnde proba enim, futurum fuisse, Adamo non peccante, v illa arbor, post absolutam obsequii explorationem & ceteris omnibus prohiberetur? Num certo scis non fuisse tollendam post explorationem? Atque hæc omnia deberent esse perspecta, si præceptum istud vniuersale fuisset. Syndico sæpe negotiorum expediundorum regulæ præscribuntur, quibus violatis damnum redundat in ciuitatem: quis autem dixerit, illas regulas vniuersim ab omnibus fuisse obseruandas ciuibus?*

- (525) Est hæc sententia de spiritu terrestri in arbore delitescente Thomasi l. c. quem confurauit Hochstetter Coll. Pufend. exerc. III. §. 21. p. 141.
- (526) Similis casus fuit Goliathi duellum cum Dauide I. Sam. XVII. 9.

§. 342.

Lex de sabbato, id est, celebrando die Saturni, fatentibus cunctis, præceptum est ex adparatu ceremoniarum (527) ecclesiæ Iudaicæ. *Lex de sabbato.*
 Sed quatenus vnus ex numero septenario dies celebrandus est, iuris id positiui vniuersalis esse arbitrantur. (528) Sunt tamen, qui, quidquid sub lege sabbati latet, natura notum esse contendunt; (529) in quo turpiter falluntur. Recte vero, mea tenui sententia, ii iudicant, qui iuris naturalis esse docent, vt quoddam tempus DEO sacrum habeatur, temporis vero designationem ex alio iure, vel ceremoniali in V. T. (530) vel ecclesiastico vniuersali in N. T. deriuant, a quo sine summa temeritatis nota recedere ne integris quidem ecclesiis particularibus liceret. Fuisse enim diem solis in apostolica quoque ecclesia feriatum, puto indubium; num tamen singulari diuina reuelatione, aut iussu id factum, vt feriæ sabbati Iudaicæ in diem solis transferrentur, nondum exploratum est. Itaque consuetudo vniuersalis ecclesiæ omnis, quæ *ius gentium christianarum*, quæ talium, constituit, demonstrata est. (531)

(527) Ipse Paulus inter ceremonias per se cessantes in N. T. refert sabbatum Col. II. 16. Rom. XIV. 5. Gal. IV. 10. Præceptum de tempore non est magis posituum vniuersale, quam de loco, cui in N. T. nihil alligatum est Io. IV. 21. 23. vid. Budd. theol. moral. C. III. Sect. II. §. 35. p. 480.

(528) Ex ordinaria sententia tres distinctæ leges in

sabbati præcepto confluerent : vt dies præcise septimus, qui Saturni est, cum Iudæis celebraretur, fuit legis ceremonialis : vt aliquis ex numero septenario haberetur sacer, esset legis vniuersalis positivæ : denique vt generatim tempus quoddam diuino cultui destineretur, legis est omnino naturalis. Primum concedo, extremum vrgeo ; hæreo autem circa secundum. vid. Hofmanni synops. theol. p. 213. §. 3. ed. prim.

(529) Nathan. Eathon. inquisit. de sabbato & die dom. qu. 2. Antonius Walæus de sabbato cap. 5. homines lege naturali ad sabbatum celebrandum obstrictos contendunt. Huc pertinet Isaac Athias Iudæus in thesibus anno 1627. Venet. edit. Part. I. n. 157. apud Walchium in lexic. philos. p. 2168. Clemens Alexander. L. V. Strom. pag. 600. Euseb. L. 13. præp. euang. c. 7. p. 677. in Homero & Hesiodo vestigia septimi diei ceu sacri reperiri testantur. Mystera numeri septenarii vid. apud Gellium noct. Attic. L. III. c. 10. Macrobius in somn. Scip. L. I. c. V. Censorinus. c. 6. Sed hæc omnia incerta parum aut nihil probant. A Iudæis enim notitia sabbati ad gentes dimanauit, vt non mirum sit eas simile quid passim tenuisse. Tacit. histor. L. V. cap. 4. de Iudæis, *septimo*, inquit, *otium placuisse ferunt, quia is finem laborum tulerit*. Ex quo testimonio intelligitur famam sabbati & inter gentes percrebuisse. Adde Iustin. L. 36. cap. 2. *quo septem dierum ieiunio, per deserta Arabia cum populo suo fatigatus, cum tandem venisset, septimum diem more gentis sabbatum appellatum*. Plutarchi insignem locum vid. apud Budd. hist. eccles. V. T. T. I. sect. I. §. 31. Confer. Dio Cassius histor. libr. 37. p. 38. nec non Martial. L. IV. epigramm. 4. Naturalis igitur legis hoc præceptum esse, ex eo non probatur, quod & gentibus notum, & ex parte fuit obseruatum. Vid. Grot. de verit. rel. christ. L. I. c. 16. Huet. demonstrat. euangel. prop. 4. p. 227. imprimis Syrbius in disert. de sabbato gentilium. Non prætereundus Buddeus in select. I. N. & G. p. 234. Wernsdorf. in disert. de sabbato gentilium.

(530) Eminent. h. l. imprimis Io. Henr. Heidegger in histor. sacr. patriarchar. P. I. exercit. III. §. 53. Limborch. in theol. christian. L. V. c. 27. §. 7. seqq. Francisc. Gomarus

Somarus in tr. de origine sabbati: quæ inuestigatio cum non omnibus placeret, *defensionem inuestigationis* edere instituit. Iob. Spencerus de legibus Ebræorum ritualibus L. I. c. 4. Sect. 8. seqq. Ceterum de hac materia ex instituto commentati sunt Io. Prideaux, Io. Cocceius, Iosua le Vasseur, Thomas Brodæus &c.

(531) Multa apostoli instituta susceperunt propaganda deinceps per futurum tempus, quæ immediate iuris diuini non fuerunt. Inter apostolos v. g. de gentibus euangelio docendis conueniebat Gal. II. 9. Dubitandum vero est, num id iussu DEI immediato factum: (adprobationem post factum nemo negat) aliter enim pacto opus non fuisset, cum obsequium Deo sine conuentione debeatur. Confer. I. Cor. XVI. 1. 2. Pauci sunt, qui eleemosynæ erogandæ institutum singulis diebus dominicis obseruandum, peculiari reuelatione a DEO profectum, eoque iuris vniuersalis positiui præceptum esse contendunt, licet apostolorum iam sit commendatum memoria: quid obstat igitur, quo minus idem de die dominica sentiamus? quo minus fateamur, esse eius ferias iuris ecclesiastici, sed vniuersalis, a nulla vnquam ecclesia, vlllo tempore violandi? Has traditiones ecclesiæ vniuersales inde ab apostolorum memoria ad nos propagatas non repudiamus, vt nobis a R. ecclesia falso exprobratur; sed, quod & dn. Pfaffius Tub. alicubi monuit, veneramur sanctissime, *modo vniuersales sint*. Respondet talis ecclesiæ vniuersalis consuetudo, firmata consensu omnium, iuri gentium, quatenus a iure naturæ distinctum est: de quo tot Grotius suo loco docuit. Sicut enim ius gentium in vniuersali gentium consuetudine communi consensu roborata positum est, atque sanctissime quibusuis obseruandum: ita consuetudo vniuersalis ecclesiæ de die dominica, præsertim cum ratione nitatur factæ eodem temporis interuallo resurrectionis Christi, formam faciemque iuris induit, sed ecclesiastici vniuersalis. Approbo verba viri docti, cuius nomen haud obscurum est: *obseruatur inter christianos dies hebdomade primus, & iam apostolorum tempore obseruatus fuisse recte concluditur ex Io. XX. 26. Act. XX. 7. I. Cor. XVI. 2. Verum non ex obligatione diuini præcepti, sed libera electione, attamen conuenienti ratione nixa, quia illo die*

die Dominus ex mortuis resurrexit. Hæc autem liber electio non facit, ut dies ille hodie nobis sit arbitrarius quod enim ante electionem arbitrarium fuit, electione facta obligat. Nec absolum est, aliquid obligandi vim habere, quod libera omnium, qui ea obligantur, electione, vel etiam a magistratu imponitur. Et hæc ratio continua illa praxis vim legis obtinuit. Aliter de feriis apostolorum sentio, quæ iuris sunt eccles. particularis neque enim apostoli suos ipsorum celebrarunt dies.

§. 343.

*De sabba-
to inde a
creatione
mundi.*

Hæc de septimo die post eversam Judaicam ecclesiam dicta sufficiant, ex nouis paulo præcedentibus. Sed quid de sabbato habendum, inde a creatione mundi ad Israelitarum, Ægypto exeuntium, tempora? An etiam ea memoria septimo die cultui vacabant diuino? *Altissimum est ea de re silentium. Quamuis vir eruditissimus nullam eius rei commemoranda rationem forsitan fuisse dicat, (532) in eo tamen meris suspicionibus indulget. Mihi igitur placet illorum decisio, (533) qui pertendunt, Mosen Gen. II. 2. mentionem fecisse sanctificati a DEO sabbati, ut sui temporis homines ad originem rituum, a se institutorum, attentiores faciat, causamque alleget statim historię initio, ob quam posthac Iudæis sabbatum præscriptum. Huic explicationi non desunt sua argumenta: nam sanctificatio sabbati non incidit in diem septimum post creationem, sed post manna demissam cælo pluuiam Exod. XVI. 22. 23. Quis probabit autem, hunc diem septimum post manna acceptum, respondere illi septimo, qui a creatione numeratur? Noui, quod ad omnia, si ab hoc solo discesseris, cuius feci mentionem modo, respondeant contrarię sententię patroni, sed in ipsa*

sa responsione semper recurrunt ad hypothesin, quæ nullo argumento nititur, nisi vno oraculo Gen. II. 2. de cuius ipsius explicatione agitur. Hinc ea sunt vocanda ad mentem, quæ in loco *de scripturæ interpretatione* Cap. II. dixi.

(532) Innuo summum virum Buddeum theol. moral. c. III. P. II. sect. II. §. 33. p. 478. Dicit §. 34. *Ex silentio Moysis contrarium non colligi, nec consequi, quod patriarchæ sabbatum haud celebrauerint: potuisse abesse causam prægnantem, cur hoc commemoraret.* Sed in ea ipsa responsione iam supponit, oraculum, de quo, *qui explicandum sit?* certatur, sensu suo interpretandum esse.

(533) Vid. Cleric. commentar. pentateuch. in loc. Gen. II. 2. p. 16. b. Limborch. theol. christ. p. 478. §. 7. L. V. cap. 28. &c.

§. 344.

Superest vnicum adhuc præceptum, quod *Præceptum de* iuris positiui vniuersalis esse dicitur, de quo nunc *concupiscentia.* dispiciendum. *Nimirum procliuitas animi mala,* notiusque peccandi, *consensum voluntatis præcurrentes,* iure naturali non prohibentur; cum autem *sacrarum testimonio litterarum constet,* eos imputari, vid. Rom. VII. 7. *cunctis mortalibus:* necesse est dari ius positium vniuersale. Sed argumentum nullo nexu propositionum vitur. Confundit enim discernenda. Meo tenui iudicio distingui debet *inter ius naturale ipsum,* quod multo est perfectissimum, (534) *sanctitatisque diuinæ omnis complexum arguit,* & *inter applicationem eius ad has aut illas actiones,* quæ aliquando ob ignorantiam *quorundam datorum,* id est, factorum aliquot, manca & mutila euadit. Sic & motus peccandi, voluntatis adprobationem præ-

præuolantes, iuri naturæ aduersantur, agnoscente id homine solo rationis vsu instructo, quamprimum venit in facti notitiam, quæ adplicandæ legi naturali ad hunc casum inseruit: sed quamdiu factum antecedens nescit, non adplicat ius naturale ad casum præsentem. Si monueris hominem eorum, quæ ad historiam lapsus pertinent ex sacra scriptura, scilicet *ea, quæ nunc inuoluntaria sint, fuisse olim voluntaria in Adamo nostro omnium capite morali, potuisse eum cauere, ne vel in se, vel posteris tales motus orirentur*: profecto tum ex ipso lumine naturali peruidebit, has cupiditates, etiamsi animum occupent inuitum & refragantem, contra ius naturale admitti: sentit igitur, se rationi rectæ aduersa animo complecti. Interim, ubi facti, quod ad applicationem requiritur, notitia deest; non mirandum, motus omnium primos ad legem naturalem non referri. Aliud igitur est, *esse quid contra ius naturale*; aliud ob necessarij *dati defectum ignorari, num id pugnet contra legem naturalem nec ne?* Si quem videas ebrium, nec tamen perspectum habeas, sitne ebrietas eius voluntaria, annon? haud iudicari potest, num actio isthæc legem naturæ violauerit? cum tamen inde non consequatur, actionem istam, lege naturali non determinatam, eoque necessariam esse positiuam legem, vt de ea ferri sententia queat. Similis ratio est motuum peccati, ante voluntatis consensum emergentium. Cum sine reuelatione exploratum non habeatur, quæ origo sit illorum motuum, voluntaria, an inuoluntaria? quæ historia? non discerni hætenus potest, quo loco sint

nt habendi, cum tamen in se lege naturali iam
nt prohibiti, cuius duntaxat applicatio ad præ-
ntem actionem impedita est, ob sæpe dictam
istoriæ ignorantiam lapsus.

(534) Ita de lege naturali sentit Wolfius moral. §. 27.
Fac, aliquem hausto quodam philtro insanum sequioris
sexus amorem petulanter contrahere, similesque etiam
generare liberos, quibus de impio parentis facto nihil
innotesceret? annon hi crederent, *delirum, quo ra-
pantur, amorem iuri naturali haud aduersum esse,
quia inde a natiuitate trahat ortum, cum penes nemi-
nem stet, quali modo velit nasci?* An tum peculiaris
lex confingenda foret, vt homines tales peccati coar-
gui possent? Neutiquam! Amor insanus iam lege na-
turali fuit cautus, sed ob ignorantiam historiæ parentis
lex naturæ non applicatur ad præsentem casum. Sub-
stituatur nunc in locum huiusmodi liberorum genus hu-
manum, & in locum parentis Adamus: plana erit si-
militudinis intelligentia. Quantam hæc obseruatio
vti itatem pariat in confutandis pontificiis & Arminia-
nis, nullam cupiditatem, nisi voluntariam decalogo
vetitam contendentibus, dici vix potest. Putant an-
tagonistæ se triumphasse, quamprimum legem *non con-
cupiscendæ* de voluntario adpetitu peccandi exposuerint,
insistunt deinceps suæ hypothesi & interpretationi, &
omnia ex eadem argumenta soluunt; sed plane non
triumphant. Ex Wolfii & Leibnitii enim doctrina &
motus *primo primi*, quos vocant, iuri naturæ ipsi re-
pugnant: quod hoc simili manifestissime ostenditur,
modo quis historiam lapsus Adamitici in dubium non
vocet, cuius quippe notitia ad applicandum ius naturæ
in præsentem casu necessaria est. Quam historiam aduer-
sarii, cum quibus heic nobis res est, non negant, fa-
cilis propterea ex concessis redarguendi. Cum tam
prauis motus, voluntatis consensum antecedentes, in
Adamo ante lapsum exorti non fuissent, & vero proto-
plastus sciens & volens legem violando tantam sibi &
posteris corruptionem contraxerit: profecto motus illi,
etiam si nunc hoc rerum statu inuoluntarii sint, culpa
non vacabunt: quod erat probandum.

*Argumen-
tum con-
tra legem
positiuum
uniuers.*

Peruenio nunc ad illud causæ præsidium quo dari ius positiuum vniuersale negandum est. Nulla lex, siue naturalis, siue positiuæ, siue diuinæ siue humana ferri a prudente magistratu solet, si ratione *obiectiua*, ex ipsa subditorum indole, natura, temperamento, ciuitatisque constitutione loco, situ ex tempore &c. petita. Aliæ enim condantur leges ex rationibus *subiectiuis*, id est proprio imperantis emolumento, mero arbitrio &c. profectæ, inhumanæ merito censentur quales a DEO præscribuntur nunquam. Qui igitur indolem alicuius societatis profundius intelligit, eum fugere haudquaquam potest, qualis leges a magistratu prudenti *ferendæ essent*. Non dico, *quæ ferantur*: potest enim princeps indigere suo, vel ministrorum, genio, *sed quæ ferendæ essent, si mens non laua sit*. Supremum cœlis Numen nunquam alias leges fert, quæ præscribendæ sunt, ex rationibus scilicet *obiectiuis*, quibus solis æquitas continetur, deriuandas. Quemadmodum igitur leges ciuiles humanæ, si iustæ fuerint, ex singularum ciuitatum natura, & indole, & intelliguntur & iudicantur ita etiam leges Dei ex *obiecti*, circa quod versatur, natura semper erunt iudicandæ. *Quod si datur ius Dei positiuum vniuersale, aut habeat rationem in obiecto, aut non habebit: si posteris dicas, declarabis Deum despotam iniquum, solum subiectiuis ductum motiuis, cuius stat pro ratione voluntas; quod non potest non odium Dei, et metum seruilem incutere: si prius autem arrideat*

respi-

efficere Deum rationes obiectiuas; quoniam lex, le qua disceptamus, vniuersalis supponitur, ratio ius obiectiuum tam late patebit, quam hominum societas, cui data est. Itaque non in huius aut illius populi particularis natura & indole fundata erit ratio legis, sed in vniuersi generis humani communitate. Qui ergo societatem humanam omnem in se considerat, eiusque naturam & inuolentiam vniuersim inuestigat; is ex natura isthac perspiciet, cur lex talis lata sit? cur hoc præceptum, nec illud? id est, is versabitur circa legem naturalem. Quid enim est lex naturalis, (535) quam quæ ex natura societatis humanæ vniuersim spectatæ eruitur? Itaque lex ista aut nulla, aut naturalis: nititur enim ratione vel naturali, vel nulla.

(535) Obuertis forsan, *posse legis vniuersalis positiuæ rationes dari ex obiecto desumptas, sed nobis incognitas.* Verum parum proficies. Ostendi enim legum, quas ex iure positiuo vniuersali deriuas, maximam partem, ex manifestis naturæ humanæ societatisque communis necessitatibus posse probari. Quid? quod legis iam late, cuius argumentum & sensus constat, ad vniuersum quendam populum pertinentis ratio semper obuia sit prudentibus gentis & eius naturæ æstimatoribus.

§. 346.

Turbat, *credo*, animum dubitatio haud leuis, quam velles eximi. Si polygamia ac reliqua, quæ hæctenus iuri positiuo vniuersali adscripta fuerunt, ipsa lege naturali prohibita sunt: qui potuit fieri dispensatio? quomodo Deus isthac obligatione patriarchas ceterosque exsoluere potuit? *De polygamia patriarcharum.* *ius natura est indispensabile: nititur ipsa DEI iustitiae, quæ nunquam non sibi simillima cognoscitur.* Sæpe etiam ad hunc scopulum fui allisus.

Periculum autem ideo imminebat, quod magis ex vobis sono, quam idearum intuitu, fui ratiocinatus. Quid est lex naturæ? *Iussus DEI cum summa ratione coniunctus, cuius promulgatio profundiori naturæ hominum consideratione absoluitur.* Ut igitur naturæ humanæ necessitates aliquando variant: ita, quæ ratio hæctenus summa fuit hoc præcipiendi, succedente alia grauiore, desinit esse summa: *alia igitur ratio aliam dispensat, manente regula generali, cum summa ratione præcipiendi, id est, lege naturali stante inconcussa.* Audiamus viri illustris iudicium. *Itaque in iis, quæ (quantum ad ius naturæ) a Deo permittuntur, aut iubentur, aliunde ipsam malitatis rationem cessare dico; incestus inter fratres & sorores absolute malus non est, sed in liberis Adam ipsa naturali ratione permissus. (§ 36) Ratio enim non minus dispensatione utitur quam DEVS.*

(§ 36) Vid recensum librorum, qui prodiit Hanoueræ Jul. 1700. p. 379.

§. 347.

Conti-
nuatio.

DEVS igitur indulgendo patriarchis polygamiam, extra hunc casum legi naturæ aduersam non dispensauit in iure naturali, sed sublimior & extraordinaria ratio dispensauit in ratione ordinaria, inconcusso consilio, semper cum summa ratione præcipiendi, permittendi, id est, lege naturæ immota. Ut Numen miracula patraturum leges motus ordinarias non violat, sed suspendit sapientiam suam istis ostensam non abnegat, sed sublimiori modo commonstrat: sic a præcepti morum naturalibus quosdam eximendo casus, noi

tan

am ius naturæ violat, quam eius adplicationem hic & nunc suspendit, sanctitatemque non temerariat, sed extraordinario modo declarat. (537) Hæc enim Deus grauissimas rationes, polygamiam in V. T. tantisper permittendi, quæ in nouo ces-antes iuri naturæ ordinario vi postliminii reditum concesserunt. Vid. Matth. XIX. 8. Vbi ratio extraordinaria allegatur tolerati diuortii, non quasi hoc lege naturali haud improbaretur, sed quia sa-uis erat vnã inconuenientiam permittere, quam a impedita grauioribus præbere occasionem. Qui igitur collisa hinc ratione ordinaria graui, hinc extraordinaria grauiori, hanc anteponit illi; non abnegat sanctitatem, sed confirmat: aliter enim si faceret, foret abnegaturus, maius malum ligendo præ minori: non mutat ius naturale, sed extra ordinem hic & nunc sequitur legem æquitatis sublimiorem.

(537) Vid. omnino Leibnit. theod. §. 206. 207.

CAPVT XII.

DE LEGE CEREMONIALI.

§. 348.

EX idea *ceremonia* generatim formata, quam hodie viri docti subministrarunt, egregie iudicari & confirmari possunt omnes veritates, quas theologi hoc loco inculcant. (538) *Ceremonia est signum, quo certi instituti memoria animam subire debet.* Sic solemnia, quibus regum inauguratio ornatur, in memoriam reuocare debent maiestatem supremi imperantis, vt per ritus splendidos, in sensus incurrentes (539)

eo fortius subditorum animi ad obsequia præstanda percellantur.

(538) Non dico, per philosophiæ præcepta demonstrari primario theses theologicas, sed per eorum cum sacris consensu credo fidei articulos mirifice corroborari. Vana enim est fides, quæ aperte pugnat cum re-
cta ratione. vid. dissert. prælim. S. I. ;

(539) Vid. Wolf. moral. §. 276.

§. 349.

*Utilitas
ceremo-
niarum.*

Ceremoniæ igitur non omnes damnandæ sunt. Namque si quid significant, cuius memoria hic & nunc utilis & necessaria, nec alias facile obvia fuisset; dubium nullum est, quin rationi maxime sint consentaneæ. Omne cogitationes initium a sensibus capiunt, quo facto accedente phantasia & ratiociniorum ope mens aliis atque aliis cogitationibus afficitur. Cum igitur res nunc quidem sensibus obuersatæ haud excitassent memoriam eius, quod cogitari deberet; valde consultum est, adhibere ceremonias sensibus subiectas, quo necessaria cogitatio in nobis oriatur. Ex quibus intelligitur, quam sapienter a Deo in V. T. ceremoniæ præscriptæ, quarum monitu patres in Christi futuri recordationem inciderent.

§. 350.

*An ceremo-
nia le-
git. ex Æ-
gypto or-
ta?*

Quæcunque theses in præsentī capite theologi tradunt, eæ omnes, quod mirum videri potest ex hac recentiorum definitione pronò aluecfluunt. *Ceremonia est signum, quo certi institut memoria animum subire debet.* Quod si malum & superstitiosum fuerit institutum, sistitur per ceremoniam animo: si fuerit sanctum, denuo noi potel

potest non præsentē ceremonia cogitatio illius recurrere. Ægyptiorum ritus ad superstitionem & idololatriam alendam comparatos fuisse, quis nescit? (540) Non est igitur verosimile, Deum populo Israelis eas ceremonias præscripsisse, quantum præsentia ambigua fuisset, recolendæ tam superstitionum Ægypti, quam veri Numinis cultus memoriæ idonea: (541) quod viri cetera docti vobis persuadere conabantur.

(540) Vid. Io. Baptista Casalius in opere tripartito de profanis & sacris veteribus ritibus, cuius pars prima Ægyptiorum ritus exhibet.

(541) Noti sunt Marshaam in canone chronico: Spencerus in dissert. de *Vrim & Thummim* & de legibus Hebræorum, qui omnes Iudæorum leuiticas ceremonias ab Ægyptiis profectas esse statuebant. Iudicare hinc licet, quid de nonnullis ecclesiæ Romanæ ritibus habendum, quos a gentibus deriuatos viri eruditi obseruarunt, v. g. Mussardus in libro gallico, qui & germ. editus ita inscribitur: *gründliche Vorstellung der vor Zeiten aus dem Heidenthum in die Kirche eingeführten Gebräuche*, cum adnot. & præf. de prima orig. cerem. eccles. Lips. 1695. Plures tamen ritus a Iudæis in ecclesiam propagati. Vid. Budd. in dissert. de ritibus ecclesiæ Latinæ Iudaicis, quæ exstat in parerg. histor. theol. Idem sentit Augustinus epist. 119. ad Ianuar. Tot, inquit, seruilibus oneribus ecclesia premitur, ut tolerabilior sit conditio Iudæorum, quum, etiam si tempus libertatis non agnouerint, legalibus tamen sarcinis, non humanis præsumptionibus subiiciantur. Non improbo templa, altaria: nego tamen tot ab apostolis ædificata, aut Romæ octo templa a Christi discipulis condita; quod tamen scribit Clampin Part. I. de Mus. vet. cap. 18. p. 154.

§. 351.

Ceremonia sunt signa, quibus certi instituti memoria animum subire debet: non potuerunt

Ceremonia leuitica erant typi.

igitur V. T. ritus omni prorsus significatu eff-
cassi; id quod satis testantur apostolorum scripta
v. g. Hebr. VIII. 5. Verissima igitur est theolo-
gorum doctrina, qua *typicam his legibus vim as-
signare* cum scriptura solent. Nec obstat, *ritu
etiam N. T. significatu grauidos, nequaquam ve-
ro typicos.* Alia enim est ratio eorum in antiquo
fœdere, quam quæ in nouo. Si sola ceremoni-
illis veteribus pietas exprimenda, & in memoriam
reuocanda fuisset; tum nec tanto, nec tali appa-
ratu indignissent. Quorsum enim sanguis tauro-
rum, hircorum, immensa copia profusus? Annon
dixi generatim ceremonias rebus adcommo-
das, quas reuocare in mentem debent? At quan-
ei scopo attingendo inepta est sanguinis pecuin-
profusio, quæ magis crudelitatis, quam pietati
ideam excitasset, nisi altius suspiciendum fuisset
ad sanguinem suo tempore a seruatore profun-
dendum peccatorum causa?

§. 352.

*Ceremo-
nie obue-
labant
maiores
lucem.*

Ceremoniæ sunt signa: signa non tam viui-
dum animo notionem offerunt, quam res signatæ.
Quis non anteponat amorem sponsæ annulo eius.
& quis non maioris faciat potestatem regis ipsam
quam diadema, vel tegumentum capitis ex auro
conflatum? *quis non præferat sanguinem Christ.
sanguini taurorum?* Plus ergo nouit & habet, qui
rem ipsam nouit & habet, quam eius signa. Ne-
cesse est igitur, notitiam & felicitatem V. T. pa-
trum minorem fuisse, quam nostram. *Quæ tertia
est theologorum in hoc articulo doctrina.* Minorem
autem, *dico, non plane nullam.* Patres enim V. T.
non

non tantum norunt ceremonias vt nudas, sed vt
 significato certo feraces: aliter enim ceremonias
 vero sensu tales non cognouissent: non cognoue-
 runt tantum ceremonias, id est, signa; (quem-
 admodum subditi coronati regis spectant & intel-
 ligunt ornamenta) sed & habuerunt, & posse-
 derunt: qui autem ius gerit in signum, gerit &
 in rem signatam: qui anulum sponsæ possidet,
 possidet ipsam. *Fuerunt igitur patres & Seruato-
 ris peculium & hereditas.*

§. 353.

Ceremonia est signum, quo certa rei cogitatio Ceremo-
mente excitatur. Si vis de re cogitandi non *nia non*
 antea præsto sit, inutilis est ceremonia huic perso- *sanctifi-*
 næ. *Quod mentem sanctificat, vim ei indit de-* *cant nec*
liberato cogitandi non nisi bona. Cum igitur cere- *iustifi-*
 moniæ facultatem cogitandi de re non ingene- *cant.*
 rent, sed modo iam ingeneratam excitent: nulla
 profecto ceremonia sanctificare potest. (542)
 Turpissime igitur deceptus fuit Iudææ incola,
 pius & DEO gratum se per obseruatos ritus fieri
 persuasus, de qua re præclare Paulus Hebr. X. 1.
 seqq.

(542) Hæc est profundissima Iudæorum corruptio, cu-
 ius non affectus fueris penitioem ideam, quam *lecta*
Limborchii amica collatione cum erudito Iudæo. Oggar-
 nit apella: non perfectiora esse, quæ ratio nobis dicti-
 tet, quæque sint præcepta moralia, quam quæ Deus ipse
 reuelauerit ceremonialia, quorum rationem nos miseri
 ignoremus: grauius punita frequenter crimina aduersus
 ceremoniam, quam moralem legem commissa: qui
 falso peierauerit, pœnam subiisse; qui vero sabbatum
 violauerit, morte debuisse plecti; nullum discrimen a
 DEO statutum legum ceremonialium & moralium: ca-

*ptiuitatem immiffam ob terram feptimo quouis annu
quieti non relictam &c.* Sed facilis est refponfio. S
maior fuit ftatuta criminibus contra legem ceremonia-
lem patris pœna, maior etiam proærefis, quæ leg
morali aduerfatur, intercurrit. Sæpe metu adacti qui-
dam peierare folent non tam grauiter plectendi, v
illi, qui petulanter fabbatum violant, quia non funt
ob fabbari, qua ceremoniale præceptum eft, viola-
tionem puniendi, fed quatenus fuma malitia contra
legem moralem admiſſa, temeratum eft. vid. Lim-
borch. ipſum cit. loc.

§ 354.

*Opus ope-
ratum fu-
giendum.*

Excitant igitur & ſupponunt ritus cogitandi-
vim, non ingenerant: vti veſtes non calefaciunt
niſi corpus viuum, vim caloris naturalis prære-
quirentes. Cum ceremoniæ ſint ſigna, quibus
præſentibus in recordationem certarum rerum ve-
niri debet: deteſtandum eſt *opus operatum*, quod
vocant. Quando ſcilicet ceremoniæ cortici inhæ-
retur, nec mente agitur ea idea, quæ agitar
deberet. Grauiſſime propterea, at iure optime
in abufus ceremoniarum leuiticarum, quæ per-
agebantur ſine debita cogitatione, inuehitur pro-
pheta Iſai. c. I. (543)

(543) Alia tamen ratio eſt ſacramenti initiationis. Quin
gratiam enim infanti pariat ex *opere operato*, dubitan-
dum non eſt. Confert quippe fidem, non ſupponit,
vti ſacra cœna.

§. 355.

*Ceremo-
nia leuiti-
cæ ceſſa-
runt.*

*Ceremonia ad animum vocare debet alicuius
rei memoriam.* Si res autem ipſa præſto fuerit,
ſigno eius non erit porro opus. Ceremonias V. T.
eo ſpectaſſe, vt Chriſti futuri imaginem animo
offerrent, nemo temere negauerit: aduentante
igitur Chriſto, ritibus illis V. T. præclare potera-
mus

mus carere. Itaque cessavit per se lex isthac ecclesie ritualis. Non eger abrogatione, quod per se cessat. (544) Quocirca lex ceremonialis adcurate loquendo nec abrogata dici potest. (545)

(544) Si legem hanc a Christo abrogatam diceres, locus suspicandi relinqueretur, quod & Christus novas leges vel tulerit, vel saltem ferre potuisset. Qui enim antiquas leges abrogare potest, ei licet & novas eondere.

(545) Legem hanc abrogatam ait Iæger comp. p. 381. Vti cessarunt ritus Iudæorum; ita, idem vt fieret & accideret gentium superstitionis ceremoniis, optandum est, quas a Iudaicis ortum traxisse iure an falso? quidam affirmant. Daniel Clafenius in theologia gentili. Huetius in demonstrat. euang. Bocharius in geograph. sacra.

§. 356.

Ex his etiam, quid de adiaphoris in ecclesia *De adiaphoris.*
N. T. iudicari debeat, intelligitur, quorum causa
& olim & nostro tempore certatum est. (546)
De ceremoniis sacrorum iudicatur id negotii datum est, vt inquirat, num ritus ecclesiastici in memoriam reuocent, quod reuocare debent? Et an eius cogitatio sine isthoc ritu non sua sponte animum subiisset? (547) Dispiciendum ergo est, quid maxime in loco templi publico mentem pii auditoris percellere debeat. Num recte facit, si lætitiã de beneficiis Dei ad animam pertinentibus concipit? Quidni? ergo musices ceremonia cantionibus interstincta sacris voluptatem sanctam excitaturis laude non caret.

(546) Notæ sunt lites interimisticæ, quibus, an ea, quæ *casar & imperii ordines pontificii interim tenenda præscripserunt, adiaphora sint nec ne?* disceptatum est. Facile ex nostra generali notione sententia pronuntiar

solida poterit. Flacius princeps eorum fuit, qui se formulæ *interim* opposuerunt. Hinc scripta edidit complura aduersus adiaphoristas *Phil. Melanctonem, Georgium Maiorem, Io. Bugenhagium*, quæ a Io. Balthas. Rittero in descript. vit. Flacii p. 279. Io. Erdmanno Bieckio in dem dreytachen interim cap. III. p. 191. commemorantur. Adde Anton. Teiffierii *eloges des hommes scavans* T. I. p. 438. Schisma episcopalis & presbyterianæ in Angliæ ecclesiæ maximam partem ob ceremonias enatum Georg. Hornius docet p. 530. histor. eccles. vbi ait, *non defuisse, qui improbarent episcoporum superbam auctoritatem & hierarchiam, tanquam missæ nimis vicinam &c.* vid. Io. Henric. Heidegger in corp. Th. christ. L. XXVII. sect. I. §. 93. p. 606. Quantopere de liturgia Anglicana (*the common Prayer Book*) pugnatum fuerit, peruulgatum est. Puritani enim eam volebant abrogatam, nouam substituturi a Richardo Baxtero concinnatam. Hinc colloquium Londini habitum 1660. irrito euentu. Curiosius hoc exponit Nicholus in adparatu ad defens. eccles. Anglic. p. 58. Quid Puritani in liturgia desiderauerint, Nichols memoriæ prodidit c. I. P. II. cap. 4. p. 245. Heinrich. Ludolph. Benthem in dem Engelländischen Kirchen- und Schulstaat. Non est iam locus his recensendis.

(547) Ita ratiocinatur Wolfius in moral. Cap. III. §. 177.

§. 357.

De imaginibus in ecclesia.

Qui Christi in crucem pro nobis acti memoria commouetur in loco sacrorum publico, non potest non adprobari DEO: cum ergo imagines Seruatoris, suspensi ex cruce, ei scopo inseruiant; non video, quamobrem ex templis prorsus eiiciendæ sint, *dummodo caueatur idololatria*. Iudicare hinc licet, quid sentiendum sit, & de motibus ecclesiæ veteris iconoclasticis, & ex altera parte, de superstitione ecclesiarum quarundam (548) hodiernarum. Ceremonia est signum, quod ad ani-

animum reuocare certas cogitationes debet: nisi igitur cogitationes idololatricæ & supersticiosæ sint, non est, cur vitia vitantes in contraria curramus, omnibus plane & modestis ceremoniarum vestimentis religionem denudando. Mediotutissima præbebitur via.

(548) Valde quidem pleraque suspecta sunt, quæ Romanenses ge iconoclastis veteribus referunt, v. g. *restitutam a Turca tyrano Io. Damasceni; Leonis Isaurici instinctu, manum restitutam fuisse ope imaginis, virgini Mariæ sacræ.* Vid. Maimbourg. histor. des iconoclast. Livt. II. p. 123. Non tamen per omnia Iconoclastæ excusandi sunt, nisi forte fuerit, vt imaginum in templis præsentia non amplius potuerit propter populi superstitionem ab idololatria seiungi. Vid. Bayle in Dictionaire Hist. Crit. sub tit. *Damascenus.* Refutauit fabulam Frid. Spanhem. in hist. imag. restitut. sect. II. §. 13. tom. II. operum p. 740.

§. 358.

Actiones, quas intuitu DEI suscipimus, *Cultus non est ponendus in ceremoniis.* quasque esse omitturi, si forte ignorantia DEI omnimoda teneremur, vocantur cultus Dei. (549) Cumque actiones sint duplicis generis, vel animi, vt *intelligere, velle;* vel corporis, vt *moueri &c.* cultus DEI quoque duplex existit, *internus & externus.* Omne actionis motiuum cognitionem mentis arguit, & voluntatem. Si igitur cultus externus, id est, corporis motus ab interno seiunctus fuerit, id est, ab intellectu & voluntate; definit esse cultus, quia nullo impulsu perfectionum diuinarum, nullo motiuo DEI ducitur: *hec enim est cultus definitio.* Ceremoniæ igitur sacræ cum sint signa, quæ, quid boni cogitare nos deceat, commonefaciunt, quæque admonent, quid DEI causa

caussa faciendum? cultum DEI non constituunt, sed iam in homine plantatum excitant. Absit igitur, ut quisquam maximam cultus partem in iis solis collocare instituat. (550)

(549) Vid. hanc definitionem cultus apud Wolfium in moral. p. 517. §. 757.

(550) Hic sedet vlcus omnium ecclesiarum, quatenus deprauatæ sunt. De euangelicorum cœtu dicere nil attinet: obuium est, quid in iis populis, eorumque vita & cultu queat desiderari. Notabile vero est de orientali ecclesia testimonium Salomon. Schveig. L. II. cap. 62. itinerar. p. 215. vbi ait, *in tanta ceremoniarum pompa summam diuini cultus rationem amitti, pluris factio parergo, quam ipso ergo.*

§. 359.

Ceremonia arbitraria, nec necessaria ad salutem.

Ceremoniæ sacræ sunt signa ex instituto quodam pendentia, non naturæ cursu, quo sensu ignis fumus signum est. Potest igitur res esse sine signo, id est, cultus sine ceremonia. (loquor absolute, non quod id fieri semper expediat) Ceremoniæ igitur possunt esse hæ aut illæ, pro necessitatibus ecclesiæ. Sicut in omni lingua coli Deus potest, I. Cor. XIV. 15. Voces enim quid sunt quam cogitationum signa: sic in omnibus quoque potest coli ceremoniis, quæ nihil sunt, quam signa, quid cogitandum sit de DEO? quo affectu calefieri oporteat? Quidquid proin in DEI cultu arbitrarium, id non pertinet ad necessitatem salutis. Qui ergo ritus obtrudunt (551) sub dispendio vitæ æternæ, decipiunt & decipiuntur vehementissime.

(551) Hæc est verissima confessorum positio. Vid. Hofmann. commentat. synopt. in Aug. confess. p. 295. §. 10. De ecclesia orientali Spanhem. in elench. controu. p. 406. docet, Græcos existimare, *in ceremonis ne tantillum quidem salua sua ecclesia mutari posse:*

quo

quo colore hanc opinionem tingant, Ricaut docet, qui in illis oris fuit versatus, cap. 6. p. 32. *populum scilicet iis adsuefactum*: Sed nunquam hoc pacto excusantur ceremoniæ supersticiosæ, quales ibidem introductas, nemo nescit.

§. 360.

Tandem cum ceremoniæ signa sint monentia, *quid cogitari inter sacra debeat*, haud vero, *quid cogitari non debeat*: impii sunt illi ritus, qui ad cogitationes & affectus, verbo diuino contrarios, inducunt, vt v. g. in genua prouolutus imaginem adores, vt purgatorii terrore concutiaris, vt fiducia meritorum superbias &c. Itaque tales ritus non tolerandi sunt, qui magis de Deo sinistre sentiendi, quam recte, occasionem præbent. Ex eadem ratione cognoscitur, ceremoniarum pompam non debere esse iusto maiorem, ne animus, contra ceremoniarum scopum, multitudine obrutus, vel ritus non satis distinguendo, vel nimium admirando, cogitanda omittat: ex aduerso iuuat, non esse eas aut plane nullas, aut iusto rariores, animoque efficaciter percellendo incapaces; verum ita potius comparatas, vt significatus altissime animo impressus non tradatur obliuioni, donec redeunte sacrorum vice, noua fieri per eas possit commonefactio.

Ritus non sint nimis nec nulli.

CAPVT XIII. DE CONVERSIONE.

§. 361.

AD finem properare iubet instituti temporis-que ratio. Dicam igitur breuissimis, quid in hoc articulo adiumenti afferat recentiorum philosophandi

Duo extrema h. l. vitanda.

sophandi methodus. Duo heic extrema declinari debent. Dextrorsum quidem, ne gratiam fingas talem, cui resisti plane nequeat; sinistrorsum vero, ne vel tantillum tribuas in emendatione hominis viribus naturæ. Si mediam ingressus viam nec hinc, nec illinc, deflexeris; veritatem omnium recte sentientium iudicio es affectus.

§. 362.

Conuersio
est mira-
culum.]

Existimo autem viri illustris & affeclarum doctrinam cum eo, quod verum est, amicissimo nexu consentire. Fieri emendationem hominis viribus, supra naturam collocatis humanam, vnanimi theologorum, bene animatorum, calculo comprobatum est. *Miraculum est effectus, qui nec ex rei natura, nec ex vi mundi huius consequitur.* (552). Itaque conuersio miraculum est (553) quod in anima nostra editur.

(552) Vid hunc concept. mirac. apud Leibnit. T. I Recueil. p. 48. §. 43. apud Wolfium metaph. §. 633 ill. Bilfinger dilucid. §. 212.

(553) Velim expendantur verba ill. Bilfingeri dilucid §. 231. *Nonne id a theologis dicitur miraculum, quod est supra vires naturæ? Accipe argumentum. Aut operationes infidelibus spirituales sunt supra vires naturæ aut non. Si prius, sunt miracula: si secundum; adei Pelagianismus. Quid multa? si sunt operationes supernaturales, sunt (respectu naturæ) miracula.*

§. 363.

In regno
scilicet
naturæ.

Quidquid in anima contingit, quod eius vires excedit, nec a re creata proficisci potuit, id est miraculum. (554) Non igitur integrum est, at hac adpellatione conuersionem excludere. S tamen noua tibi videatur vocis impositio, poteris per me (555) distinguere *inter naturæ gratiaque regnum*

regnum. Erit conuersio, ad naturæ regnum respectu habito, miraculum; in oeconomia vero gratiæ non erit, quatenus gratiæ DEI ordinariæ in isthoc regno viribus procuratur. Contra in hoc regno miraculum dici poterit, quod extraordinarium est, *ut conuersio Pauli, ut conspiratio prophetarum &c.*

(554) Vid. Wolf. metaph. §. 759.

(555) Lege ill. Bilfing. dilucid. §. 231.

§. 364.

Cum ex recentiorum doctrina conuersio sit miraculum; tantum abest, ut homo quidquam ad eius vel initium, vel finem, conferre possit, quantum abest, ut v. g. quem natura cœcum protruserat, ad visus sui restitutionem facere non nihil potuerit. Oculorum quidem acie uti potuit, accepto Christi auxilio; sed ad primum usque videndi actum non potuit non esse patiens. Nec solum vires videndi, sed primus etiam actus Christi operatione pendebat. (556) Secundus autem videndi actus ceterique omnes consecutaria erant miraculi, in primo exerti, a viribus nunc videndi datiuis ordine profecta. Similis ratio debet esse conuersionis, quam in regno naturæ miraculum esse, non temere condocui.

Homo in ea mere patiens est.

(556) Vid. iudiciosissimi Hofmanni synops. theol. pur. p. 161. §. 2. *Neque etiam vires solum credendi sunt DEO, sed & ipse actus fidei; & quanquam homo ab hoc denominetur, & formaliter pœnitere & credere dicatur, Deus tamen vnice vires pœnitendi & credendi in actum deducit.*

*Conuer-
sionis pos-
sunt esse
certi gra-
dus.*

Si quidquam igitur Pelagianismum profligat, recentiorum certe dogmata eum euertunt, qui conuerfionem miraculum adpellant propriissime acceptum. Quemadmodum miraculum fit in momento, (557) ita etiam conuerfio (558). Sicuti tamen miraculi operationes esse possunt complures, ut exemplo cadauerum Ezech. XXXVII. 7. 8. constat, quæ orto DEI afflatu primum ossa collegerunt, post carne & uenis aucta, deinde cute uestita fuerunt, ut tamen hæcenuc deesset halitus, quem tandem propheta uaticinium inspirauit, ut occiperent uiuere: ita & conuerfionis certi gradus recte assignantur suis quisque criteriis distincti. (559)

(557) Hoc demonstrat Wolfius metaph. §. 688. Confer ill. Bilf. diluc. §. 229.

(558) Ita Iægerus comp. p. 306. *Conuerfio habet suos actus preparatorios, licet enim ipsa, ut est translata ex morte in uitam, sit momentanea &c.*

(559) Varios gratiæ gradus uid. apud Fechtium in disert. de ord. & modo grat. aph. 14. 15.

*Conuerfio
potest esse
resistibi-
lis.*

Quemadmodum porro miracula Dei ab hominibus possunt eludi, quatenus conditionem non implent, sub qua patrari possent, ac promissioni fide, deberent: namque rex populi Israelitici terram telo non pluries quam ter cum feriret, frequentioris uictoriæ spem sibi eripuit, testante id disertis uerbis Elisa, qui a facto regis splendorum uictoriam sperandam fuisse, sub conditione licet non impleta, confirmat II. Reg. XIII. 18. 19 ita præsertim non absurdum est, miraculum conuerfionis

fionis suspendi a conditione hominum : posse itaque conditione omiſſa impediri, id eſt, reſiſti, quando media pædagogica ad imitationem regis Iſraelitici non bene adhibentur. Corruunt igitur vel hoc ſolo exemplo omnes argutiæ eorum, qui iratia non poſſe reſiſti contendunt, qui DEO in glorium putant, reſpicere conditionem: qui conditione non reſiſtendi admiſſa hominem aliquid ad ſui conuersionem collaturum ſuſpiciantur: quaſi vero rex terram percutiendo victoriam miraculoſam promouiſſet: qui hominem ſe ipſum diſcernere ſententia hac ſtante criminantur: corruunt, nunquam, hæc argumenta quæuis, ſi recentiorum doctrina rite imbibatur.

§. 367.

Scilicet telluris percuffio, a rege ſuſcepta, non cauſa fuit victoriæ, ſed *conditio ſine qua non*: quod *Illustratur.* idem de conuersione habendum, ad quam procurandam nihil faciemus, niſi in foro exteriori, actus pædagogicos adhibendo. (560) Quis igitur non videt, nos duos vtrinque ſcopulos, §. 360. indicatos, præternaugando, veritatis naufragium ſcite declinaſſe.

(560) Confer Scherzer. ſyſtem. p. 155. vbi theſin de homine, in conuersione non niſi patiente, ad forum interius, non ad actus pædagogicos, reſtringit.

CAPVT XIV.

DE VITA ET MORTE.

§. 368.

TRiplicis eſſe generis vitam omnem, vel iis notum eſt, qui nondum ære lauantur. *Vita triplex.*

I i

Alia

Alia enim vita est *naturalis*, alia *spiritualis*, alia denique *aterna*. Similis ratio est mortis, quæ opponitur vitæ. Quem enim fugit, eam vel *naturalem*, vel *spiritualem*, vel denique *aternam* esse? De tribus his generibus pauca dicemus, pro ratione temporis & instituti. (561)

(561) Pertinet huc cancell. Tub. dissert. *de morte natural.* 1722. habita, qua ego quidem in hoc articulo nihil eruditius legi vnquam. Alio consilio Francisc. Bac. Verulam. *scripsit historiam vitæ & mortis.*

§. 369.

*Alia vitæ
diuisio.
Vita corporis.*

Quemadmodum hæc vulgaria sunt: ita parum obuia est distinctio primi membri noua, quæ *vitam naturalem complectitur*. Pertinet enim vita naturalis vel ad *corpus*, vel ad *animam*, vel ad totum *suppositum*. Definitiones heic adcuratas pariter & fecundas recentiorum tradit disciplina, Vita corporis *in circulatione sanguinis ponitur*, (562) seu generatim in tali *statu*, quo *corpus ad mouenda membra redditur aptum*. Concinit hæc definitio adcurate cum S. scriptura, vt nihil hæc parte obiici queat. (563)

(562) Vid. Wolfii *vernünfftige Gedanken von den Wirkungen der Natur* §. 455. *Das Leben ist der Zustand des Leibes, darinn derselbe zur Bewegung seiner Gliedmaassen aufgelegt ist. - - Vnd demnach siehet man, daß das Leben des Menschen vnd der Thiere dem Vmlauf des Geblütes zuzuschreiben.*

(563) Leuit. XVII. 11. *des Leibes Leben ist im Blut.* &c. hinc sanguinem fundere, est vitam ponere Io. X. 17.

§. 370.

*Anima
vita.*

Vita animæ est nihil aliud, quam *vis operandi, id est, cogitandi & adpetendi*, qua proprie loquendo substantia animæ continetur. Itaque anima

anima quamdiu existit, mori nequit: ipsa enim eius vitæ radix substantia est. (564) Non dicimus animam cogitationem, sed cogitandi vim. Hæc est perdurans; illa transitoria. Hæc complectitur vires; illa determinationem virium, quæ subinde alia atque alia esse solet. Hæc est veluti scaturigo operationum; illa riuus inde profluens. Hæc, vno verbo, est substantia; illa autem accidens. Non exponimur (565) igitur dubiis, quibus Cartesiani premuntur.

(564) Supra docuimus §. 27. characterem substantiæ in vi agendi quærendum, quod & h. l. adplicandum est. Confer. Braun. in doctrin. fœd. p. 299. §. 15. *Sedulo cauendum est, ne confundamus actum substantialem cogitandi ipsum cum eius variis modis ac determinationibus, quales sunt cogitationes particulares - - Nam quomodocunque determinetur actus cogitandi ad hanc vel illam cogitationem; tamen actus ipse substantialis semper idem est, cum modi & determinationes essentiam ipsam non destruant.* &c.

(565) Dubia Cartesianis obuersa sunt v. g. Si natura mentis consistit in cogitatione, sequitur eam esse accidens: si consistit in cogitatione; anima erit fluxa, peritura, quemadmodum ipsa cogitatio est fluxa, & singulis fere momentis perit: anima enim non est cogitatio hæc aut illa, sed ipse cogitandi actus substantialis, qui durat, licet series cogitandi modique innumeri esse queant. vid. Braun. in doctr. fœd. p. 306. §. 24. seqq. Potuissem adcuratius, seu saltim fecundius, animæ vitam adpellare vim representandi mundum pro situ corporis in vniuerso. Adcommodavi me autem ad sententiam ordinariam, ne quibusdam occasionem suppeditarem, circa hæc recte exposita, præter necessitatem hæsitandi.

§. 371.

Quid vita corporis sit, quidque vita animæ, *Vita totius suppositi.*
dixi: nunc explicandum est, quid sit vita totius *suppositi.*

suppositi ex anima & corpore conflati. Vita suppositi est harmonia motuum corporis organici, nec non cogitationum seu idearum adpetituumque mentis. (566) Vbi præsto est harmonia eiusmodi, ibi viuit homo; vbi cessat, moritur. Intelligere hinc licet distinctissime, quid sibi velit obscura philosophorum locutio *inter totum hominis, & totum hominem* distinguentium. Vita corporis & animæ, quam paulo ante definiuimus, exhibet *totum hominis*; harmonia vtriusque vitæ sistit *totum hominem*. Ita *totus homo* moritur: cessat enim harmonia actionum corporis & animi; non moritur autem *totum hominis*: namque & anima post mortem vitam tuetur suam, & corpus (567) existere pergit.

- (566) Harmoniam heic voco vitam suppositi: habet enim harmonia inter animæ corporisque actiones locum, iuxta omnia omnino systemata: id quod & ipsa testatur experientia. At proportio inter actiones animæ & corporis admitti nequit. *Proportio est comparatio homogeneorum secundum magnitudinem. Homogenea adpellamus, quorum vnum aliquoties repetitum potest alterum fieri, vel id equare, vel superare.* Atqui ex actione animæ, v. g. adpetitu quomodocunque replicato nunquam fieri motus potest corporis, & vicissim. Non deest tamen harmonia inter actiones vtriusque generis. Nimirum in harmonia mutationes animæ eandem *inter se* proportionem habent, quam mutationes corporis *inter se se* obseruant. Si motus corporis organici consequens sit, v. g. triplo vehementior quam antecedens, potest ei animi respondere adpetitus etiam triplo viuidior, quam adpetitus antecedens, & sic porro. Si alter cessat, potest finire alter, &c. vid. ill. Bilfing. harm. præst. p. 241. ed. prim.
- (567) Licet corpus resoluatur in cineres, existit tamen secundum partes, cum ne puluisculus quidem eiusdem sine miraculo perire vnquam possit. *Definitiones de vita*

vita & corporis & animæ—nemo temere vocauerit in dubium. Atqui ex iis patet, vitam vtramque ex actionibus hinc animæ, illinc corporis metiendam. Quod si igitur vita est operationum fons, intelligitur, quid de Leibnitii sententia iudicandum, qui in monadol. §. 71. *nil in natura sterile, nil mortuum, nihil incultum esse* affirmat: omne enim ens, ex illustris viri mente, procul omni dubio, quatenus est *positiuum*, vim agendi habet; quatenus est *priuatiuum*, vis illa limitata *passiuum* in re constituit. Si cum Malebranchio omnes res creatas dixeris mere *passiuas*, vel nonnullas certe; rem fingis ex meris defectibus & priuationibus conflatam: quid enim est, *patiens esse*, quam non agere, id est, *limitatum esse viribus agendi*? Staturis itaque limitationes sine re limitata, perinde ac si numerum computari posse diceres ex meris subtractionibus. Quocirca negari non debet, omnem rem, quæ & qua existit, vim agendi habere, magis minusque limitatam, pro re nata &c. Nihil igitur, suo modo, non viuunt, quia nihil non quadam agendi vi præditum est. Nisi forte fuerit, vt vitam adpelles tantum *scaturiginem operationum, quæ in sensus incurrunr*, quæ en gros adparent, atque excludas actiones minutiarum nostros fugientes sensus. Ita vero non viuunt iuxta te animalcula visu minora, & microscopiis detecta; secundo cum plebe senties, non cum philosophis: philosophi enim rationes, ob quas hoc aut illud *vite* titulo a plebe insignitur, & in aliis rebus fundatas vident, adeoque ob causas easdem idem de illis iudicant, cum interim vulgi iudicium omne ex solis sensibus pendeat. Atqui fatius est, rationem sequi, quam plebis vsum. Si tamen nolis, si communi querela vtaris, *mutari per nos vocabulorum significatus*, quanquam iniuste conqueraris, vt modo probaui: poteris tamen per me libertate tua frui, vitæque vocem tam arte circumscribere, ac placuerit. Qui interim nos cum ratione h. m. loquentes intelligere vult, ab eo iure poscimus, vt nostram discat linguam: sin autem fuerit refragatus, tantum abest, vt iure nos accusare possit, quantum abest, vt, qui cum Gallis conuersari cupit, merito querelas fundat, Gallicam discendi linguam necessitate constrictus.

*Vita sup-
positi car-
nalis.*

Vita suppositi hæcenus explicata denuo in aliquot ramos abit. Est enim vel *carnalis*, vel *animalis*. *Vita carnalis est harmonia actionum animæ & corporis in perpetrando malo*. Si v. g. homo peccat, vult primo peccare ipsa eiusdem mens; secundo respondent ei adpetitui motus corporis, vel externi, sicubi ipso opere peccatum admittitur, vel motus interni a cerebro & spiritibus animalibus profecti, quoties nimirum intra conatum malitia subsistit. Nam & singulis cogitationibus, siue pravis, siue bonis, respondet saltem in cerebro certa mutatio, quod omnes philosophi ultro fatentur. Hæc vita in sacris appellatur *vetus Adam* (568), *antiquus homo, corpus peccati* &c. Harmonia est vel in actu posita, vel in habitu. Si res duæ pluresue aliquoties consentiunt, vel semel, nec pluries; collocatur harmonia in *actu*: si vero sæpius repetatur, oritur proclivitas consentiendi, eoque *habitus*. Cum vero & a natura possit propensio ingenerata esse: patet, posse existere propensionem consentiendi inter actiones corporis & animæ naturalem: possibile propterea esse *peccatum originale*, de quo plura docent theologi.

(568) Oracula V. T. pro peccato originali facientia nuper in pecul. dissertat. vindicavit dn. Pfaffius cancell. Tub. Clerici sententia de peccato originali singulari legi potest in epist. theol. VI. p. 150. seqq. Accusatur & Elias Du Pin a Petidierio in observationibus ad bibliothec. script. eccles. quod in primis seculis nihil a patribus scriptum esse docuerit, distinctæ huius peccati explicationi inseruiens. Ad quas observat. Du Pin T. VI. bibliothec. quædam regessit. Novitatem autem dogma-

dogmatis de peccato originali, quam Pelagiani Augustino falso exprobrarunt, præsul Hipponensis ita amolitus est: *non ego finxi originale peccatum, quod catholica fides credidit antiquitus, sed tu, qui hoc negas, sine dubio novus es hereticus.* vid. L. de concup. & nuptiis L. II. Cap. 12. T. X. oper. p. 210.

§. 373.

Vita suppositi animalis est harmonia illarum Vita sup- anima & corporis actionum, quas homo cum bru- positi ani- tis communes habet, & quæ in se seorsum a sub- malis. iecto considerata nec male sunt, nec bone. Tales sunt v. g. his aut illis propensionibus affectum esse, quæ in anima & corpore sibi mutuo respondeant. Si anima proclivis ad ambitionem existat, vel si hanc peccatis adscribas, uti plerumque adscribi debet, ad appetitum honoris innoxium, qualis in observando decoro & alibi locum inuenit, respondet in corpore sanguis, flava bile abundans: quod idem de ceteris temperamentis sentiendum est. *Hæc de propensionibus animalis vitæ.* Ad actiones eiusdem sequentes referuntur, v. g. *adpetitus cibi & potus, instinctus procreandi sui simile, amor prolis &c.* Vita isthæc & in statu integro florebat, id est, instinctum agendi exercebat; (569) in altera autem cessabit. (570) Describitur a Paulo I. Cor. XV. 45.

(569) Potu enim & cibo Adamus integer utebatur. Falsa & Rabbinica est eorum sententia, qui Adamum androgynum fuisse volunt ex se ipso liberos procreaturum, uti Poireti, Petersenii &c. Impia Beuerlandi, quam, quo minus tangam, prohibet castitas. Contra notum est, adpetitum cibi & potus in altera vita cessaturum. vid. I. Cor. VI. 13.

(570) *Edere enim & bibere cum Christo in gloria regni ineffabile gaudium, non vero alimenti vsum denotat.*

§. 374.

Vsus distinctionis in materia de natura & gratia.

Præclarum hæc distinctio vsum præstat in discernendis gratiæ naturæque operationibus. Instinctus vitæ animalis cum gratiæ impulsibus sæpe concurrunt ad eundem finem consequendum, iisdemque mirifice implicantur, vt non exiguam attentionem poscat, euoluere distinguenda. Sæpe pii homines ad se v. g. suosque curandos feruntur, & instinctu animali (quidquid enim viuit, se conseruare studet) (571) & aliquo gratiæ impulsu, quia id iubet Deus, & eo incitat Spiritus S. &c. Frequenter, quorum emendata est mens, v. g. melancholici a prodigalitate sibi cauent, & per naturam, & per gratiam inducti &c. *Quid iam de his sentiendum?* Aut instinctus vitæ animalis cum gratiæ impulsu concurrat ad faciendum honestum, aut alter cum altero confligit: si prius contigerit, augetur quidem in persequendo honesto ardor & vehementia, iuxta proportionem vero illius augmenti minuitur actionis honestæ laus & pretium, quia potissima instinctus, vt ita loquar, pars animalis vitæ fructus est: si vero acciderit, vt vitæ vtriusque impulsus secum mutuo confligant, tum gratia vel superior euadit, vel victrix existit vita animalis. Priori casu minuitur quidem in bono colendo ardor, sed augetur pretium actionis. Quantus enim est nisus vitæ animalis contrarius, tantum gratiæ effectui derogatur. Fac, extrema fame regenitum laborare, nec habere, vnde satiari possit, nisi quod occasio offeratur, furtim aufe-

rendi

rendi panem in salutato domino. Si instinctus vitæ animalis, scilicet fames ad furtum sollicitet, gratia autem illi imperet; ardor abstinentiæ ob naturæ contrariam luctam languidior erit, victoriæ vero laus longe præstantissima. Posteriore vero casu, quo vita animalis euadit superior, peccatum admittitur, cuius culpa tantundem minuitur, quantum impulsus vehementia aucta fuit.

(571) Eleganter Cicero in offic. L. I. c. 3. §. 1. *Principio generi animantium omni est a natura tributum, ut se, vitam, corpusque tueatur, declinetque ea, quæ nocitura videantur, omniaque, quæcumque ad viuendum sint necessaria, inquirat, & paret, ut pastum, ut latibula, ut alia eiusdem generis.*

§. 375.

Quoties igitur animalis vitæ instinctus gratiæ nisum sufflammat, carnalis euadit: vitam enim carnalem harmoniam actionum corporis animique in perpetrando malo dixi: quicquid vero gratiæ resistit, contrahit malitiæ culpam. Hac via ostenditur distinctissime, quod Augustinus in tract. de nuptiis & concupiscentia probare conatus est, scilicet homines in peccato posse concipi, licet instinctus sobolem procreandi omnium animantium communis sit. Nam quoties vita animalis nobiliori instinctui obluetur, eundemque suffocat; non potest non commaculati peccato, adeoque fieri carnalis. Cumque vitæ animalis impulsus, qui bruta afficit, nunquam nobiliori instinctui resistat, quippe quem nec per gratiam, nec per rationem, habent; nec non vitæ animalis in Adamo adhuc integro impulsus nunquam imaginis diuinæ luminibus ac ductibus repugnasset:

Usus in explicanda Augustini sententia.

intelligitur, posse in vno subiecto impulsus eundem esse naturalem & culpa vacuum, qui in altero crimen habeat: ineptum igitur esse Pelagianorum (572) ratiocinium contra peccati originalis præsentiam formatum, quod huc redibat: *instinctum procreandi sobolem omnibus communem animalibus non posse non expertem criminis esse, eoque omnes in peccato gigni non posse.*

(572) Pelagianorum circa hanc aberrationem sententiam nemo studiosius recoxit, quam Crellius *in ethicis christiana virtutum & vitiorum*. Gignimur tamen in peccato non solum ob concupiscentiæ excessum, sed & ob corruptionem parentum hæreditariam.

§. 376.

Vita animalis limitat spirituales.

In ceteris casibus adsignandis non ero prolixus. Fieri potest, ut quis peccet contra instinctum & naturæ & gratiæ, vid. I. Tim. V. 8. tunc crimen admittitur enorme. Contingere potest, ut vterque sit solus, non coniunctus, nec collisus cum altero, ut actio oriatur vel bona vel indifferenti *saltim quoad nos*: de quibus omnibus iam dicendi locus non est. Id obiter duntaxat moneo, spirituales vitam ab animali semper limitari; a carnali vero peccaminosis imbecillitatibus coinquinari. Primum quidem tum fit, quum ob alimentorum parandorum, vitæ animali inservientium, curarum plurimum temporis huius mundi occupationibus tribuendum debito cultui diuino, eidemque perpetuo, surripitur: alterum autem contingit, dum hæc & eiusmodi curæ, affectuum excessus & languorem, tarditatem, molestiam adspargunt sacris functionibus.

§. 377.

Vnum ex animalis vitæ operibus summi est *De effectu*
 momenti, non prætereundum h. l. sicco pede. *huius vi-*
 Ad animale vitam referuntur *temperamenta.* *ta in in-*
spiratis.
 Videre licet homines atra bile abundantes, qui in
 omnibus suis negotiis rigidiores ceteris existunt,
 anxie solliciti, constantes in consiliis, nec mobi-
 les facile, qui viuacissima phantasia peccatorum
 orbis christiani indignitatem, iudiciorum DEI
 gravitatem &c. sibi repræsentare possunt. Quod si
 tales gratiæ nonnullo impulsu afficiantur, dici
 potest, quanta instinctuum utriusque generis
 omnimixtio oriatur. Inspiratorum nostro tempore
 rotantium turbas, exempla id conducere pos-
 unt. (573) Hinc vaticinia temperamenti im-
 petu verbis scripturæ prolata: hinc feruor cuncta
 reformandi sine consilio quidem incredibilis:
 hinc alia phænomena, quorum distinctio sum-
 mam attentionem meretur. Consilium certe
 DEO obtemperandi firmissimum gratiæ effectus
 est, sed mirifice & conturbatus, & obliquatus
 operationum vitæ animalis intercurso. Habes
 tum naturæ & gratiæ conglomeratum velut effe-
 ctum, ad quem euoluendum non nisi diuina suffi-
 cit perspicacia. Facit huc, quod cap. III. discursus
 præliminaris diximus.

(573) Vid. Io. Gustau. Reinbeckii *nöthigen Unterrichts*
von Prüfung der Geister. Halæ 1715. Io. Ioach. Lang.
in dem nöthigen Unterrichts von unmittelbaren Offen-
barungen. Halæ Sax. 1715. Martin. Chladen. in dispu-
 tat. de inspiratis sine spiritu. Witteb. 1715. Lysii
wahrhafte Erzählungen dessen, was mit den Inspirir-
ten zu Berlin vorgegangen. 1715. &c.

§. 378.

An in-
stinctus
vite ani-
malis
mansuri
in cælo?

Spiritum S. in prophetis & apostolis se-
quorūmuis temperamenta & propensiones :
commodasse, theologorum chorus vnanimi co-
sensu profitetur. Nouum id est argumentum lir-
tantis vitæ animalis spiritualem. Quod obi-
tango. *Sed num in cælo vitæ animalis functio*
cuncta cessatura sint? quæstio est longe graui-
ma. Vnam quidem & alteram operationem
structum iri §. 373. docui; de ceteris vero dis-
ptari potest. *An cœlites v. g. eandem sogynv ei*
relictos liberos post mortem sentient, quam hab-
runt ante, quam ex hac vita discederent? S.
etificabitur ne tantum (§74) ille amor, an pro-
enelletur?

(§74.) Controuersia hæc agitata est vehementi ani-
rum æstu inter viros doctissimos ecclesiæ euange-
ante tempus breue. Ministerii Augustani, senior,
temporis superintendens Herimontanus, librum ed-
ad οικοδομῶν præclare facientem, quem inscripsit:
Kranken Gesundheit und der Sterbenden Leben, in
ex ministri cuiusdam Stuttgardiani sermone sacro o-
habito quæstionem tractauit: *num cœlites semet in-*
cem sint agniture, futurique memores charitatum
hæc vita relictarum, immo num aliquando etiam b-
re defuncti suis in mortalitate adhuc degentibus pr-
esse queant? vid. p. 762. Adgressus est virum eru-
tum Lebrecht Petrus quispiam, quem refutauit
Grammlichius *in dem Vnterricht von dem Zustand*
Seeligverstorbenen &c. & ipse senior Vrlsperger *im Se-*
schreiben &c. Petrus aduersarios heterodoxiæ co-
guit; hi contra Petrum summæ impietatis accu-
runt, compensatis reciproce insultibus. vid. *das Se-*
schreiben p. 22. *Perinde ac si nemo ab aliis dissent-*
posset, nisi vel heterodoxus, vel impius.

§. 379.

Mea quidem sententia non euellitur amor *Deciditur*
 cœlitum erga relictas charitates, emendatur po- *genera-*
 ius, & sanctificatur. Recordantur ergo propin- *tim.*
 quorum amicorumque in hac vita, queis erepti
 ant; sed an in eorum etiam cognitionem veniant,
 uæ illi propinqui post horum obitum suscipiunt,
 nceps coniectura est. Non prouehemur tamen
 lterius in decidenda hac lite, quam hæctenus fa-
 tum, nisi ideam *sanctificationis*, qua amor cœli-
 um depurari dicitur, euoluerimus.

§. 380.

Quales sint actiones, *sanctane, naturales, an* *Euoluitur*
vitiosa? ex motiuis & impulsu agendi æstimari *notio san-*
 debet. vid. cap. III. dissertat. præliminaris. Actio *ctificatio-*
 gitur *mere* sancta est, *qua nonnisi ex motiuo illu-* *nis specia-*
tranda DEI gloria editur. Actio ex parte sancta, *tim.*
 uius generis non omnes quidem, pleræque tamen
 a hac vita existunt, ea est, *qua ex motiuo illu-*
tranda DEI gloriae pariter ac ex instinctu quodam
animalis vitæ perpetratur. Tales sunt, *liberos*
mare & propinquos ob mandatum Christi, cibum
& potum capere in nomine DEI I. Cor. X. 31.
onservationi propriae studere &c.

§. 381.

Virtutes nostræ omnes, queis ornatur in hac
 vita, non exclusis illis, quæ a gratiæ regno pen- *Quo sensu*
 dent, locum habent *ex mens* I. Cor. XIII. 10. *beati reli-*
 Cum vero in altera demum vita consummandæ *Etos pro-*
 int: I. c. intelligitur, sanctitatem actionum, *pinquos*
 arte nunc obuiam, commutatum iri cum sancti- *amens?*
 tate

tate mere tali, id est, ex definitionibus supra traditis, actiones cœlitum non nisi ex solo & unico motiuo illustrandæ DEI gloriæ profecturas: cessaturum igitur suo modo instinctum animalemm qui actionis pretium §. 374. minuit. Cum igitur dicimus, *perfecte sanctificandum esse amorem beatorum erga propinquos, non autem euellendum sensus hic est, ipsam naturalem intelligendi & adpetendi amandive vim, quæ substantia est, manifestam, nullo autem eam impulsu agitatum iri nisi eo, qui dirigatur in gloriam DEI.* Ergo factus est perfecte triumphantium in cœlo fidelium erga suos amor, si in hos non feruntur, nisi cœmotiuum gloriæ DEI ab eis promotæ, aut promouendæ; ita vt quoties motiuum gloriæ celsè degenerantibus in malignos propinquis, amocesset: si redierit postliminio, amor instauretur.

§. 382.

Soluitur
dubium.

Ipse instinctus in amore erga charitates naturalis & animalis, cum in filios v. g. tendat, non quia filii DEI sunt, sed quia nostri sunt, sanctitatem limitat, vt animum non occupare tot quanta quanta est, possit. I. Thess. V. 23. Limitatio illa imperfectionem arguit, quæ tum temporis erit auferenda. At, inquis, *concessum est modo, instinctum animalemm sanctificari, non eradicari: regnum utique gratiæ & gloriæ perficit natura regnum, non euertit.* Ita est profecto; sevelim in animali instinctu distinguas duo. Ipsam primo agendi vim, quæ substantia est, & virium deinceps agendi directionem, a varietate impulsuum profectam: ipsam substantiam, quæ aget

agendum impellitur, & motiuum, quod directionem addit impellendo. Illa in sanctificatione semper præstruitur, per se quippe in regno naturæ bona; hoc pro necessitate sanctificationis variandum est. Quoniam enim illud amoris motiuum, quo in filium v. g. ferimur, *quia noster, non solum quia DEI est per fidem*, aliquando agendi vim dirigere in malum potest, vrgendo ad amorem erga filium, qui DEO improbatur: cognoscitur, instinctum animale, quatenus accipitur pro motiuo, a generatione regni animalis desumpto, eradicandum esse in altera vita; quatenus vero accipitur pro vi agendi substantiæ, seiungendo cogitationem directionis & motiui, non euellendum esse.

§. 383.

Pro diuersa igitur vocabuli significatione *An beati* beati erga relictos propinquos amore flagrant, & *de repro-* non flagrant. Flagrant amore, sed sanctissimo, *bis propin-* ex nullo impulsu, quam gloriæ Dei illustrandæ, *quis con-* oportet: non flagrant amplius suorum amore, *tristetur?* quatenus motiuum amandi a generatione, in regno animali facta, desumitur. Hoc maxime interest inter amorem sanctorum huius & alterius vitæ. Huius vitæ sancti præter diuinas suos amandi rationes ducuntur & studio in suos, *quia sui,* quia a se generati, non solum, quoniam a DEO *regenerati sunt.* Hinc & nequissimos filios iam iam damnatos, eoque ad gloriam Dei promouendam ineptissimos, deplorando amorem significant, vt exemplo Dauidis, Absalonem reprobum tanto deflentis opere, constat. Alterius autem vitæ

vitæ sancti gaudebunt potius de propinquis reprobis, quam contristabuntur. Vnicum enim amandi motiuum habent gloriam Dei, cui illustrandæ, si ineptus euadat propinquus, æternisque nunc sit exponendus pœnis, cessante motiuo, cessat amor, imo gloria DEI nunc contraria via per pœnam manifestata, de pœnis lætandi motiuum sentiunt. Contra mortales horum temporum pii duplici, & generis quidem diuersi, motiuo vtuntur cognatos diligendi. Amant *vt suos* non amant solum tanquam *diuinos*. Licet igitur *diuini* esse propinqui desinant, euanescente altero motiuo; vrget tamen alterum, vt & de reprobis, quos adhuc amant, mœstitia afficiantur. Hæc si non distinxerimus, aërem in hac controuersia verberabimus, & magno disputandi molimine agemus nihil.

§. 384.

Cur non
contri-
stentur?

Instinctum animale, qua talem, id est, qua tenus *σοφῶν* erga filios oritur ex motiuo generationis in regno animali, in altera vita desituum facillime probatur. Ipse generandi instinctus euanesceat, teste Christo Matth. XXII. 30. Non ergo vitæ illius maiestati consentaneus, eoque imperfectus est. Quicquid ergo ex eo qua tali oritur v. g. *vt argumenta inde amoris capias*, id auferretur, quo cellissimum sanctificatio fastigium attingere queat. Quod si difficile conceptu videatur, *quomodo beati parentis v. g. Abrahami erga impium & damnatum filium amor*, v. g. erga diuitem epulonem Luc. XVI. 25. cessare queat, si suspiceris, *duraturum amorem, & mœstitiam d*
pernici

pernicie filii excitaturum: velim cogites, quid quotidie fiat in summorum principum animis, qui rationem sæpe status naturali erga propinquos longissime anteponunt, & eiusmodi affectibus adsuefiunt, vt nulla eorum cura tangantur, nisi quæ cum ratione status coniuncta est. Qui si huic obstiterint, funestum exoritur odium. Si tam efficax ratio est status in alterandis principum animis; quo non effectu gloriam DEI, mentibus cœlitum infixam, penitissime conspicuam fore autumas?

§. 395.

Intelligimus ex his, quousque beate defun- *De socia-*
 torum cum propinquis superstitibus conuersatio *litate cœ-*
 perari, aut non expectari queat. Nimirum si ad *litum*
 communitatem sanctorum, si ad vitam ecclesiæ
 triumphantis & militantis socialem prouoces;
 semper altero oculo isthæc distinctio respicienda
 est. Societas nulla a beatis expetitur, nisi tantum-
 modo pro necessitate gloriæ DEI, non pro instin-
 tu vitæ animalis, qui fertur ad amandos propin-
 quos, quia sunt propinqui. Cœlites igitur nonnul-
 ti de ecclesiæ militantis statu resciscere, problema
 in utramque partem disputabile, nec sub impie-
 tatis intentata nota obtrudendum negantibus;
 resto autem sapius esse in terra beatos, socialita-
 tisque causa colenda familiariter uti relictis pro-
 pinquis, valde obscurum, & incertum est: quia
 in sacris de ea coniunctione, præter pauca exem-
 pla extraordinaria, regulam non continuo fun-
 dentia, nihil distincte reuelatum legimus.

De vita
spirituali.

Incidimus nunc iusto ordine in mentionem vitæ spiritualis, quæ alterum diuisionis prima membrum constituit. Est vero vita spiritualis restituta a Spiritu S. harmonia actionum corpori & animi in persequenda virtute christiana omni. Seu, si mauis, determinatio virium agendi in anima & corpore ad faciendum id, quod DEO & Seruatori placet. Cumque inter actiones DEO placentes, prima sit fides, quam concipimus in Christum; verissimum est, quod vrgen theologi, vita spiritualis initium in viribus credendi esse positum.

§. 387.

Visus &
auditus
spiritua-
lis.

Vitæ spirituali tam non desunt sensus spirituales, quam non in vita naturali desiderari solent naturales. Definemus illos breuissimè. *Visus spiritualis* est facultas menti, per tertiam diuinitatis personam, indita, distinguendi & diiudicandi veritatem reuelatam ab errore, honestatem christianam a turpitudine Apoc. III. 18 Eph. I. 18. *Auditus spiritualis* est facultas, a eodem profecta auctore, aures præbendi, ut quod in sacris idem sonat, obtemperandi diuini voci. Contrarium vtriusque sensus est animu partim excacatus, partim is, qui ad vocem Dei induruit. Matth. XIII. 15. De auditu vero spirituali Seruator verba facit Io. X. 27. *Oues me audiunt vocem meam*, id est, obtemperant. Vbi vero est actus obtemperandi, ibi & facultas, eoque sensus spiritualis.

388.

Gustus spiritualis est facultas de immensa Dei in Christo benignitate gaudendi, ac de peccatorum mundi horrenda indignitate contristandi. Illa est dulcedo; hæc autem amaritudo; vtraque libanda a *gusto spirituali*. I. Petr. II. 3. II. Cor. XI. 29. *Tactus spiritualis* est facultas animaduerti impulsus gratiæ, diuinæque castigationis. Phil. I. 9. Ierem. V. 3. Denique *odoratus spiritualis* est facultas discernendi genuinas preces a iucatis, Deoque non probatis. Preces enim *suffimum esse*: quem quæso fugit? confer. Psal. CXLI. Atqui fideles obstricti sunt, vt caueant, ne prostrata Deo oratione offerant misere decepti ingratam. Iacob. IV. 3. Facultas vero id diiudicandi recte *olfactus* adpellatur *spiritualis*.

De gustu, tactu & odoratu spirituali.

§. 389.

In vita spirituali, recte diiudicanda, generaliter duarum est habenda facultatum ratio. Prima pertinet ad *lumen diuina cognitionis*, altera ad *ardorem sanctioris affectus* in persequenda honestate christiana. Affectus addit animo *impulsum agendi*, lumen vero præstat *impulsus directionem*. Ardor affectus sine lumine cognitionis est ζηλοϛ, αλλ' & καλ' επιγνωσιϛ Rom. X. 2. Lumen vero cognitionis sine adfectus ardore est cognitio mortua Rom. II. 19. 20. Vtraque igitur debet coniungi facultas. Quantuscunque existat agendi pro diuina gloria impetus, si separaueris rerum notitiam, & subactum iudicium; *nec te intereso bona, nec animus Deum colendi* Io. XVI. 20.

Dua facultates vitæ spiritualis, lumen & ardor.

nec prætexus conscientia inuerit, aut coram DEO culpa exsoluerit unquam. Impulsus enim licet vehementissimus, absque directione in obiectum debitum, tanto plus infert detrimenti, quanto nisus est rapidior: ut vel simili globorum, maximis tormentis non aduersus hostes, sed socios in bello explosorum, illustrari potest, in quibus nihil desideratur, nisi ictus directio, & militaris architecti prudentia. Ex aduerso si vel ad angelorum cognitionis fastigium esses euectus, sanctoque tamen careres agendi ardore & affectu; nullus existeres coram DEO I. Cor. XIII. 2. cum architecto militari comparandus, qui theoriam dirigendi & præparandi tormenta exacte perdidicisset, ab explodendis tamen iis abstineret semper. Scilicet præsto esse debet in vita spirituali & *lumen & ardor, & impulsus & directio.* Non est, cur hoc simile in re sacræ rideamus, quos ipse Spiritus S. cum militibus contendit II. Tim. II. 3. quorum ictus non veritatis defensoribus, sed errorum & diaboli feruis nocere debeant. Ephes. VI. 17. accenso & agendi impulsu, & impulsus suscepta prudente directione.

§. 390.

*De zelo
præpostere.*

Perspicuum hinc est, quid de iis sentiendum qui veritates sinistre intellectas, & ex transuersis velut adspèctas, ubi optica tanquam fraude aliam faciem referunt, mirifice persequuntur, bono animo gloriam DEI caussantes, nec non conscientia urgentis rationem interferentes. *At non sufficit, conscientiam prætexere, si conscientia*

non sit satis informata: nouimus enim omnes dari & erroneam. Non sufficit, ardenti gloriæ diuinæ impulsu flagrare, si impulsus dirigatur contra veritates: nullæ enim veritates a gloria DEI possunt seiungi.

§. 391.

Intelligitur ex præstructis porro, num consultum sit, *emendationem mentis inchoare a voluntate?* (§75) Ardor affectus ad voluntatem pertinet, lumen vero cognitionis ad intellectum. Num voluntas prius emendanda, an intellectus?

§. 389. Diximus vero parum prodesse ardorem agendi sine lumine. Itaque emendatio voluntatis, vbi quæritur primum, instinctum quidem & affectum parit DEO seruiendi: cum autem mens hætenus ignara sit, quorsum ille instinctus debeat dirigi, nondum quippe collustrato per cognitionem veritatis intellectu; potest fieri, vt voluntas præceps magno impetu ruat in modos Numen colendi minus adprobatos, imo prohibitos, idque sub conscientia prætextu, ex quo oritur pro pietate superstitio, pro constantia in veritate obstinatio (*la bigoterie*) (§76) quibus vitiis sæpe nihil perniciosius excogitari potest.

(§75) Hæc est sententia viri pie doctissimi Langii in medic. mentis, quam & præter alios multos, notarunt auctores *relat. innocentium* ad ann. 1704. p. 410. seqq. Quibus tamen Langius respondit in *den aufrichtigten Nachrichten* P. IV. ad ann. 1704. p. 63. seqq. Adde & *antibarbar.* P. II. p. 41. seq. nec non rectorem gymnasii Berolin. Bodenburgium in epist. gratulat. anno 1709. edit. Contra Ferberus in dissertat. de *fanaticis*, in *reclam rationem iniuriis* p. 12. varia reponit. Sunt plures, qui hanc sententiam tuentur, inter quos & Thomafius, de quibus dicere non vacat.

(§ 76) Prodiit ante semestre liber, qui inscribitur: *Gedanken über die Philosophische Bigoterie*, quo auctor Leibnitianæ & Wolfianæ philosophiæ affectas perstringit. Sed haud sane scio, quis magis huius virii accusandus fuerit? Num is, qui in re disputabili impugnatur, seque defendit? an alter, qui primum impugnat, nec se impugnando errasse, profiteri vult, licet monitus? Nullum vero dubium est, quin primis adscribendi sint Leibnitiani, secundis vero cl. Waltherus in *den Eleatischen Gräbern*, vbi satis ironice Wolfium vellicavit, vt proin sibi impurare debeat, quod a Müllero Wirtemb. pari mensura exceptus sit. Etiam si ego nec Waltheri satyras in Wolfium, nec Mülleri in Waltherum, adprobem: miror tamen esse, qui scommatibus a se in alios scriptis delectentur, ab aliis vero in se retortis incredibili æstu succenseant. *Qui alterum facit, altero non debet commoueri.* Vid. quæ Walthero respondit ill. Bilfinger. diluc. §. 460.

§. 392.

Dubium
proponi-
tur.

Posset nostræ sententiæ non sine summa specie obuerti, *sape litterarum expertes, qui parum cognitionis habeant, ardentius & rectius DEO seruire, quam eruditissimos sacrorum doctores, quorum pietas langueat, & ad conciliandum Numen longe sit ineptissima.* Non est contemnendum hoc dubium, ex quo colligunt, *satius esse de flectenda prius cogitare voluntate, quam de collustrando intellectu.* At vero sciendum est, si maior inflammet pietatis ardor hominem rudem, quam doctum quemlibet, in hoc studio frigentem, id propterea fieri, quod pauciora cognitionis efficaciam impedimenta in homine, litterarum sacrarum ignaro, obiiciantur, quam in impio theologiæ doctore. Quod si igitur de his iudicandum est, in duobus subiectis, altero erudito sacris, altero leuiter imbuto; *cetera debe-*

debemus cogitare, & ponere paria. Fac, esse eruditum theologiæ doctorem ex parte vna, & ex altera parte hominem ex plebe infima de summis fidei capitibus vix mediocriter instructum. Si in vno non compareat plus impedimenti & resistendi virium, quam in altero; profecto theologiæ doctor ob maiorem cognitionem plus proficiet in pietate, quam homo ille rudis. Quodlibet enim rerum sacrarum lumen efficax est, & nisum ad virtutem instigandi, qui luminis proportioni respondeat, exercet: *sin igitur plus luminis adest, plus etiam instinctus animo additur.* Aliter verbum DEI non esset efficax, sed mortua littera: quod est absurdum. Si verbum DEI est efficax, erit eo efficacior pietatis impulsus, quo distinctius diuina de salute voluntas cognoscitur. Aliter enim verbi efficacia in generali & confusa cognitione poneretur, nec pietatis incrementum responderet illuminationis profectibus: quod contra Coloss. I. 11. nemo theologorum dixerit temere.

§. 393.

Quodsi igitur rusticus v. g. sacrarum notitia *Responsio.*
rerum infra mediocritatem subsistens, pietate ac DEI timore vincat multo doctissimum theologum; pietatis profecto defectus in theologo non est adscribendus sterilitati cognitionis, intellectum ornantis, *perinde ac si emendatio mentis debuisset a voluntate incoari:* est enim rerum sacrarum notitia *semper efficax, conscientia stimulos addendo, αναπολογητων hominem reddendo, castigando &c.* licet non semper cognitio sit pietatis efficiens; sed causa illius sterilitatis est

in impedimentis quærenda, quibus præ rusticus theologus obliquatur, v. g. *munerum ambitu gloria cupiditate*, nimio litterarum studio, & Cetera igitur non sunt paria: quocirca nec affirmari potest, *perinde esse, siue magna intellectu luce collustretur, siue minus.* Qui id volunt fallaciam *non causse ut causse* mihi committer videntur. Quæ enim pietatis vacuitas in theologo ab aliis causis enascitur; eam luminis quod intellectui affunditur, inutilitati falso tribuunt, causamque ob eam credunt, quod voluntas prius amore DEI sit imbuenda, quam intellectus ornandus eius cognitione, cum tamen vel ignoti, vel non satis noti, utique nulla possit oriri cupido; pro gradu autem cognitioni certa proportione amor capiat vel incrementa vel decremента, *ceteris paribus.*

§. 394.

*Causse,
sur sæpe
eruditi
impit.*

Est & alia causa, quamobrem sæpe doctissimi litterarum expertibus pietate cedant. Versantur enim eruditi sæpe in veritatibus, quæ: pietatis studio sunt paulo remotiores, nec proxime praxin adtingunt. Frequenter & cognitionis latissime patentem amplitudinem magis, quam profunditatem, & inde pendulam assensus firmitatem, respiciunt, qua deficiente cognitio vim suam per animum pandere non potest. Fieri & solet, ut, dum animus historiæ litterariæ studio nimium distrahitur, nec non mediocri præditus iudicio controuersis tractandis operam nauat, aut non sentiat veritatum efficaciam, aut scepticismo theologico, ob litium deci-

decidendarum incapacitatem, laborare occipiat, quo, quantum nisus cognitionis ad honestatem christianam sufflaminetur, verbis vix exprimi potest. Ex quibus tamen nunquam sequitur, primum in id incumbendum esse, vt missa colustrandi intellectum cura, voluntatem emendemus omnium primo. Valeat igitur isthæc sententia, ex qua papismus & superstitio pridem enata est. (577)

(577) Quoniam cum diuinarum rerum notitia veritates philosophiæ complures necessario cohærent, vt exemplo metaphysiæ & moralis disciplinæ cognoscitur; quarum illa notiones suppeditat, in quas tandem omnis veritas distincte euoluta, siue naturalis, siue supernaturalis, resoluitur; hæc vero theologiæ morali inprimis ancillatur: negari sane non debet, ad cognitionem theologicam augendam & his adminiculis opus esse: & sicut illa saluo pietatis profectu negligi non potest; ita & hæc, si per circumstantias fieri possit, non contemnenda, nec tractanda desultorie, nec eos audiendos, qui contrariam viam siue suadent, siue præeunt ipsi.

§. 395.

In reuocando igitur ad pietatem christianam nomine lumen intellectus semper prælucere debet adfectibus animi, quibus in bonum ferimur: ubinde antecedit oportet veritatis cognitio in intellectu, quo sequi in voluntate possit honestatis amor & exercitium. At loquor hic de illuminatione, non de experientia spiritali, quarum hæc ab illa differt longissime. Illa enim præcedit emendationem hominis, ad quam ternit tramitem; hæc vero, sc. spiritalis experientia, emendationem hominis sequitur. Illa docet & vrget; hæc instillatas doctrinas hic

*Discrimen
illumina-
tionis &
experien-
tia spiritalis.*

& nunc adplicat. Illa ad *generalia* potissimum pertinet, repræsentans articulos fidei necessarios instruens de *virtutum christianarum cultura*, de *euangelio*, de *lege &c.* experientia vero spiritualis *singularia* maxime respicit, ipso pietatis vſu edocta de indiuiduis viarum DEI euentibus, de fidelium animorum in sacris gustu sensuque, de specialissima DEI circa suos hac aut illa prouidentia. Qui grauioris momenti iter ad extero meditatur, eum præscire antea oportet, *quo locorum excurrere consultum sit? quibus sumtibus utendum? qui comitis via adsciscendi? que prudentia in progressu apud peregrinos adhibenda quo scopo & fine loca sint adeunda alia?* quarum cautionum generalium, si vel vnica omittatur præsentissimum est singulis momentis oscitantis periculum. Istanc ego curam cum illuminatione contendo, quæ viæ ad cœlos emetiendi præmittenda est. Sed quemadmodum in ipsi constituti itinere *innumera vident, audiunt sentiunt, de quibus generales ante via ingressum regulas tradere, vel que cuncta præſagire, ne mo hominum potuisset*, variantibus in infinitum singulorum peregrinantium fatis: ita quoque de spirituali experientia specialiora non ante tradi possunt præcepta, quam ipso facto pietatis stadium incoando currendi ceperis experimentum.

§. 396.

*Illustratur
simili.*

De Turcia potest quis innumera legisse itineraria, vt plura norit *generalia* de istis oris quam ciuium quisquam, vt fata & historias regionis, vt rationem status, prouinciarum mul

titu

itudinem, magistratus & diuitias, reddituum copiam, & cetera quæuis habeat perspecta; nihil tamen obstat, quo minus idem a vili homine, qui in Turciam ipso excurrit facto, secundum *specialia quaedam* superetur, ita vt de nonnullis locis, quæ ab hoc visitata sunt, plura hic testari & enarrare queat, quam ille litteratissimus. Illius igitur exemplum, si cum animo oras illas visitandi coniunctum sit, *illuminationem* refert, quæ regenerationi præstruitur; huius vero factum sistit *experientiam spiritualem*. Ex quo intelligitur, *quomodo Spenerianorum & Wittebergensium controversia decidenda?* quomodo verba Seruatoris Luc. XII. 42. cum Pauli iudicio I. Cor. IV. 2. concilianda sint, quorum ille in christiano & *fidem & prudentiam*, hic vero *solam fidem* requirit? Namque Sospitator loquitur de christiano per experientiam spiritualem iam iam exercitato, consecutoque eo modo prudentiam; hic vero differit de fideli in se, primaque & necessaria eius virtute, seiungendo cogitationem, numquid illa virtus per subsecuta ornamenta accessoria, *spiritualem experientiam prudentiamque*, vterius exulta sit, annon?

§. 397.

Nunc de vitæ æternæ ineffabili gloria sub finem quædam dicenda sunt. Erat enim is diuisionis locus tertius. Voluptas generatim est, ex recentiorum doctrina, *cognitio perfectionis intuitiua.* (578) Cum vero omnium consensu, saltim plerorumque theologorum, vita æterna in adpectu faciei diuinæ posita sit; quanta existat


De vita
ætterna.

stat huius philosophiæ cum sacris consensio, iterum cognoscitur. Nimirum intueri faciem DEI longe perfectissimam, non potest non parere voluptatem incredibilem. Cum nihil fiat sine sufficienti ratione, & vero in vita isthac beata nullum cœlitibus peccandi auctoramentum, aut delinquendi illecebræ occurrere queant: certum est, *beatos omnes vna cum angelis in bono esse confirmatos*; quæ altera in hoc articulo a theologis explanata veritas est. In hac vita possunt aliquando peccandi incitamenta non dico, *digniora*, sed *fortiora* esse impulsibus gratiæ inhabitantis: nemo igitur credentium gratia in certis circumstantiis non potest excidere; at alia ratio est vitæ illius felicitis, quæ propter summam perfectionem peccandi irritamenta offerre nunquam potest. *Quid mors iam sit*, ex contrario intelligitur *vita*. *Qui non est mortuorum, sed viventium DEVS* faxit, vt perpetim viuentes cunctis suo nomini benedicamus in secula!

(578) Ita voluptatem definit Wolfius, & eum secutus ill. Bilfing. dilucid. §. 289. seqq. *Non alienum erit ad §§. 389. 395. 396. anteced. hanc obseruationem referre.* Est forsan, qui obiicit, *emendationem voluntatis primo suscipiendam: Paulum enim ante omnia fidem & candorem in œconomio DEI requirere* I. Cor. IV. 2. *Hanc autem virtutem voluntatis esse: lumen cognitionis per experientiam spirituales sensim sensimque comparari, si vel maxime zelus aliquando pro gloria DEI limites migret, excusari tamen excessum per candorem, quem dixi: semper igitur consultius esse prius de corrigenda voluntate cogitare, quam de collustrando intellectu.* Sed distinguendum est, vt iam §. 395. occupavi, inter cognitionem intellectus generaliore, quæ est illuminationis; & inter cognitionem indiuiduorum euentuum,

uum, pietatem colenti obuiorum, quæ pertinet ad experientiam spirituales. Illa docet, hæc adplicat. Illa ipsi substernitur candori, tantopere necessario I. Cor. IV. 2. Neque enim fidem suam DEO adprobare potest, qui rerum, quibus in Deum candor demonstratur, non plene gnarus existat: hæc autem, scilicet experientia spiritualis, candorem sequitur, multo usademum acquisita. Qui igitur in zelo pro DEI gloria limites migrat, excusari non potest, si circa cognitionem primam errauerit, veritatesque reiiciat magno æstu, quæ cum credendis & agendis cohærent; nisi forte dixeris, etiam pontificios culpa vacare, quum aduersus veritates euangelicas sua conscientia, sed erronea, inducti tantopere desæuiunt: existimant enim, se DEO probare suum candorem. Qui autem in zelo pro gloria DEI limites migrat, quantum ad cognitionem secundam, quæ experientiæ spiritualis est, & in adplicandis veritatibus versatur, quia nullam veritatem nec directe nec indirecte negat, sed sinistre modo in his aut illis casibus adplicat, excusari omnino debet oraculo Pauli II. Cor. V. 13. *thun wir zu viel, so thuns wir Gott &c.* Ita fieri potest, vt nimium quidam indignentur vel hæresi apertæ, vel vitiis auditorum, cum & mediocris zelus sufficere potuisset, dummodo veritatem ipsam non impugnent, licet in eius adplicatione hallucinentur, veniam tamen mereantur, quia candore acti talia susceperunt. At candor non excusat eos, qui ipsas veritates quocunque modo necessarias adgrediuntur: est enim ille obtentus persecutorum veritatis omnium.

F I N I S.

















na
4008

~~CONFIDENTIAL~~

193861

G

